Nab. 5.
10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841236-p0002-7

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS VICESIMVS

E RECENSIONE

b. IO. FRIDERICI COTTAE

THEOLOGI TVBINGENSIS.



TVBINGÆ

SVMTIBVS IO. GEORGII COTTÆ

MDCCLXXXI.



GEORGII HENRICI MÜLLERI

PROFESSORIS IN ACADEMIA DVCALI STVTTGARDIANA, ET IN AVLA SERENISSIMI WIRTENBERGIÆ PRINCIPIS A SACRIS

PRÆFATIO.

Fidem, quam in præfatione proxime ſuperiori dedimus, ex parte iamnunc a nobis perſolutam vides, BENEVOLE LECTOR, cum tomo hocce *locorum theologicorum viceſimo* in lucem evulgato, univerſum textum *Gerhardianum* typis exſcriptum accipis. Complectitur iſte tres locos poſteriores, pertractatione *noviſſimorum* occupatos, *de conſummatione ſeculi*, *de inferno*, ac *de vita aeterna*, cuius articuli enarratio toti huic operi, quoad GERHARDI perfectum eſt ſtudio, finem imponit exoptatum atque iucundiſſimum. In his ipſis capitibus

exponendis sibi constantem deprehendimus *auctorem*, eaque versatum diligentia & assiduitate, quæ locis illius theologicis utilitatem laudemque conciliavit diu post fata *auctoris* superstitem. Quam adcuratus fuerit in rebus, quas tractat, explicandis ac definiendis, quam solers in ordine capitum nexuque concinnando, quam acutus in distinctionibus, quam fœcundus in eliciendis consectariis, quam diligens in vero stabiliendo idoneisque argumentis commendando, quam acer vindex purioris doctrinæ adversus oppugnatorum quorumcunque impetum, quam egregius divinorum oraculorum interpres, in adducendis exponendisque veterum doctorum sententiis quam dexter, in effundendo variæ profundæque eruditionis adparatu quam copiosus, quam ingenuus denique & modestus ipse veri testis, id quidem tum ex universo hoc opere, tum præcipue etiam ex ultimorum locorum ἐργασίᾳ adeo perspicue elucet, ut nostra demum haud opus sit collaudatione. Quodsi vero in iis potissimum capitibus, quæ a penitiori cognitione nostra sapienti Dei consilio longius remota sunt, hominumque curiositatem varie solent exercere, plura ab *auctore* nostro sint conquisita, quam doctrinæ divinitus patefactæ investigatio, communisve utilitas requirere videatur; concedetur aliquid sive temporum, quibus vixit, indoli, sive diviti GERHARDI ingenio lateque diffusæ eruditionis copiæ, sive scopo, quem sibi proposuerat, expositionem rerum conficiendi quam plenissimam. Nec tamen, opinor,

pruden-

prudentia iustaque moderatio Theologo digna, in *auctore* nostro desiderabitur, siquidem vera a falsis, certa ab incertis ac probabilibus, necessaria a supervacaneis, utilia a levibus probe novit discernere, eamque sibi legem posuit, utne terminos, quibus nostram de futuris notitiam circumscribi voluit Deus, curiosis disquisitionibus transiliret, neve temere discuteret, quæ in sacris literis non diserte definita inveniantur. Imo humanæ infirmitatis nunquam non memor, ἐποχὴν in abstrusis id genus quæstionibus pia cum modestia servandam sæpius commendavit ipse, magisque solicitos iussit esse lectores suos *de fuga inferni vitaeque aeternae possessione*, quam *de exacta rerum istarum cognitione*.

De nostra qualicunque opera, in editione tomi huius *vicesimi* collocata, pauca sunt, quæ dicamus. Ignoscet lector æquus perpetuæ, qua memoriam COTTÆ nostri prosequimur, pietati, quod nomen Viri, de toto hoc opere præclarissime meriti, extremæ etiam illius parti præfigere maluimus, quam nostrum. Licet enim ad ultima perficienda manus *Editoris* erudita non pervenerit, lubentes tamen profitemur, in hoc ipso tomo parando, præter obsequium, monitis antesignani nostri præstitum, & fidelitatem in premendis vestigiis, quæ prioribus in tomis expressa reliquit, nobis deberi nihil. Easdem prorsus leges in fine operis secuti sumus, secundum

quas libri recensio omnis non sine luculentis eruditorum suffragiis instituta fuit. Et quum opera adiuti viri meritissimi humanissimique, M. PREGIZERI, *Diaconi Lauingacensis*, in id maxime enitteremur, ut *contextum Gerhardianum* meliorem, & a mendis priorum editionum repurgatum sisteremus; ne nova preli vitia irreperent, solicite, quantum quidem per locorum distantiam potuit fieri, curavimus cavendum. Ad uberiorem locorum heic pertractatorum illustrationem quæ adderemus, non deerant. Sed ista textui statim subiicere noluimus ob rationes superiori tempore adductas; eoque minus visum nobis est mutare consilium, quo certius cognovimus, plures lectorum nobiscum in votis habuisse, ut, quidquid de textu reliquum esset, arctissimo nexu ex se colligatum, *uno* volumine comprehenderetur. Quod cum, uti nunc prodit, iustam habeat magnitudinem, supplemento non potuit augeri, nisi valde neglecta non modo æqualitate cum tomis anterioribus, sed re etiam bibliopolæ, qui libro excudendo præbet impensas. Consultius itaque lectorumque ipsorum desideriis adcommodatius videbatur, spicilegium, Gerhardianæ *denovissimis* tractationi destinatum, in postremum volumen reservare. Occurrent in eo serie continua dissertationes b. *Editoris*, super præcipua doctrinæ sanctioris *de novissimis* capita multos per annos conscriptæ, non integræ quidem omnes, nec tamen aliena interpolatæ manu, sed, ut auctori constitutum fuit ipsi, breviores, selectis potis-

simum iis, quæ *historiae dogmatum* antiquiori, & recentiori illustrandæ inserviunt, prætermissa autem, quantum res exigit, explanatione, quam vocant, *thetica*, si quidem ista a GERHARDO nostro uberior in plerisque, nec minus adcurata sit exhibita. Denique in calce operis subiungetur *index*, qui cum rite confectus, ad totius operis utilitatem perfectionemque adprime faciat, superata laborum talium difficultate ac molestia, omni studio contendemus, ut res notatu dignæ, sive dogmata ipsa eorumque argumenta, sive adversariorum ἔλεγχον, sive doctorum ecclesiæ sententias vindiciasque, sive notitiam auctorum, sive oraculorum sacrorum explicationem vocumque biblicarum vim adtingant, certis distinctæ classibus, adcurate, plene commodeque lectorum proponantur oculis. Non ignoramus quidem, tum ex historia dogmacum universa, tum ex recentioribus maxime controversiis & disquisitionibus theologicis plura supereſſe, quæ auctorem emendare ac supplere egregie possint; nonnulla etiam ab *Editore* promissa, quæ peculiari supplementorum tomo inserere cogitavit; sed cum in scriptis Viri Desideratissimi, fato prærepti, quod omnino dolemus, nihil eiusmodi fuerit relictum, iustaque insuper præteritorum expositio plus otii, quam nunc concessum est nobis, nec exiguum temporis spatium requirat; nos quidem, cetera suo loco temporique relinquentes, commodis lectorum præsenti tempore melius prospectum iri existimamus, si nulla amplius interiecta mora opus vel tandem finiatur,

tur, quam si incerta supplementorum molitione diutius retardetur. Hæc, quæ de consilio nostro scire TE voluimus, BENEVOLE LECTOR, æquo, precamur, accipias animo, GERHARDIQUE & COTTAE nostri, quorum memoriam pie conservabis, studio & labore, in *locos theologicos* impenso, ita fruare, ut exinde tum in salutem tuam, tum in christianæ civitatis incrementa divinique nominis honorem, tanquam τελος huius operis summum, fructus redundent nunquam interituri.

Scripsi Stuttgardiæ III. Calendarum Aprilis, anno post reparatam salutem MDCCLXXXI.



LOCVS XXX.

DE CONSVMMATIONE SECVLI.

PROOEMIVM

I.

Collatio creationis & destructionis mundi.

Ut in primo codicis biblici capite describitur *mundi creatio*, quomodo scilicet Deus Pater per Filium in Spiritu sancto omnipotenti sua virtute cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, distinctorum sex dierum spatio ad laudem nominis sui & usum generis humani ex nihilo creaverit, Gen. I. 1. & seqq. sic in ultimis duobus eiusdem sacri codicis capitibus describitur *mundi finis* sive *seculi consummatio*, quomodo scilicet Dei Filius, Christus Iesus, per quem ab initio omnia condita sunt, ad extremum iudicium in adsumta natura humana sit rediturus, Apoc. XXII. 7. *ecce venio cito*, v. 12. *merces mea mecum*, v. 20. *vai etiam veni cito*; ac in hoc ultimo suo adventu mundum destructurus, cœlum novum ac terram novam creaturus, Apoc. XXI. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare iam non est*; v. 5. *dixit, qui sedebat in throno, ecce nova facio omnia*; ac pios ad se in gloriam cœlestem traducturus, impios vero a se in æternum ignem abiecturus sit, Apoc. XXI. 2. *Vidi sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* v. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis, & ipsi populus eius erunt &c.* v. 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum &c.* v. 7. *Qui vicerit, possidebit haec omnia, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* v. 8. *Timidis autem & incredulis &c. pars illorum*

erit in stagno ardente igne & sulphure, quae est mors secunda. v. 10. *Ostendit mihi civitatem magnam, sanctam Ierusalem, descendentem de cœlo a Deo,* v. 11. *habentem claritatem Dei &c.* v. 27. *Non introibit in eam aliquid coinquinatum aut faciens abominationem &c.* XXII. 1. *Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tanquam crystallum &c.* v. 15. *Foris canes & venefici & impudici &c.* ut sic Christus, qui scripturae centrum est, sit & maneat α & ω, *initium & finis, primus & novissimus.* XXI. 6. XXII. 23. Quod ergo in divino codice est primum & ultimum, illud quoque piarum nostrarum meditationum debet prora & puppis, α & ω, initium & finis esse, ut quoties oculos nostros ad cœlum elevamus, vel eosdem ad terram convertimus, toties animum nostrum subeat haec cogitatio, quod omnipotens Deus illa omnia ex nihilo creavit, & constituto tempore ingens illud aedificium eadem virtute iterum destructurus sit, ac proinde cor nostrum a rebus creatis, utpote transitoriis ac fluxis, aversum ad creatorem Deum, qui ab aeterno in aeternum immutabilis perseverat, convertamus, ac per caduca huius momentaneae vitae bona ita ambulemus, ne aeterna bona credentibus promissa amittamus. *Ille dies est,* inquit Petrus Damianus epist. III. c. 5. de die iudicii & consummationis seculi, *ad quem omnis praecedentium seculorum intentio ac summa colligitur, cui cuncta scripturarum volumina famulantur.* De hac seculi consummatione *extremum iudicium* immediate secutura uti porro agamus, ratio ordinis suo loco monstrata a nobis exigere videtur.

CAPVT I.

DE ONOMATOLOGIA.

ονοματολογια etymologia.

§. II. Vocatur hoc novissimum *mundi finis* ac *seculi consummatio*, 4 Esdr. II. 24. Matth. XIII. 39. XXIV. 3. XXVIII. 20. *Finis* propterea, qui finiet, hoc est, ultimam clausulam imponet huic seculo & omnibus, quae in eo geruntur, finis enim est rei το περας meta & terminus, Psalm CXIX. 96. *Omnium rerum vidi finem. Consummatio* propterea, quia perficiet & absolvet omnia, quae ad praesens seculum spectant. Quemadmodum enim Deus ab omni aeternitate certum constituit temporis punctum, a quo & cum quo mundus durationis suae capere debuit exordium per *omnipotentem virtutem creatricem*, quod vocare possumus *terminum a quo*: ita quoque ab omni aeternitate itidem definivit certum temporis punctum, in quo & cum quo mundus durationis suae debet habere finem, per *omnipotentem Dei virtutem destructricem*, *quod* vocare possumus *terminum ad quem;* eo adventante omnia finientur & consummabuntur, quae durante mundo fieri Deus constituit. Quemadmodum circulus finitur & absolvitur, quando circinus ad idem redit punctum, a quo factum est circuli initium, sic quando aderit temporis illud punctum, quod Deus in aeterno suo & immutabili decreto durationi huius seculi praefinivit, tunc finem sortietur circularis ille cœlorum motus & sublunarium generatio. Quamvis vero recte dicatur, *mundum & omnes totius universi creaturas* exceptis angelis, spiritibus immortalibus, & hominibus crea-

creaturis rationalibus ad imaginem Dei primum conditis, in fine mundi abolendas ac deſtruendas eſſe; (quia angeli boni & homines electi ex mortuis reſuſcitati in æterna gloria & lætitia cum Deo in ſempiternum vivent; angeli vero mali & homines damnati itidem ex morte ſuſcitati in æternis ſuppliciis vivent, vel potius perpetuo morientur) notari tamen poteſt, circa ipſos etiam *angelos* & *homines* aliquid occurrere, quod cum fine mundi etiam abolebitur ac finietur. *Boni angeli* non amplius hominibus exhibebunt ſua miniſteria, ſed una cum electis hominibus, cum quibus unam conſtituent triumphantem eccleſiam, cœleſti fruentur gloria, æterna exſultabunt lætitia, & propter completum electorum numerum quædam gaudiorum ſuorum percipient incrementa; *mali* vero *angeli* in abyſſum infernalem miſſi non poterunt amplius homines ſeducere, ſed una cum damnatis hominibus, cum quibus unum corpus conſtituent, æternis torquebuntur pœnis, & inſignia ſuppliciorum ſuorum ſentient augmenta. Sic ergo bonorum angelorum ceſſabunt λειτουργιαι, malorum vero μεθοδειαι, Heb. I. 14. Eph. VI. 11. Reſpectu *hominum* ceſſabit collectio eccleſiæ per verbum & ſacramenta, quia in piis fidei ſuccedet viſio, ſpei fruitio & poſſeſſio, impiis vero pœnitentiæ & indulgentiæ ianua penitus erit clauſa, ceſſabunt politiæ & regna huius mundi, ceſſabunt œconomiæ & generis humani per carnalem generationem propagatio, quia completus erit electorum numerus, ceſſabunt reſpectu *piorum* diaboli inſidiæ ac carnis & mundi illecebræ, ceſſabunt peccandi pericula, ceſſabunt omnia mala & adverſa; reſpectu *impiorum* ceſſabunt honores, voluptates, divitiæ & omnia, quibus in hac vita uſi, vel potius abuſi fuere homines huius ſeculi; ac tempora meta æternitas ſuccedet, ut proinde hoc noviſſimum finis mundi & conſummatio ſeculi merito dicatur.

§. III. Nomen *mundi* ſubſtantive acceptum varias in ſcripturis obtinet ſignificationes. Quidam triplicem acceptionem agnoſcunt: 1) *phyſicam*, qua pro *digeſtione & ordinatione ſingularum quarumque rerum formatarum & diſtinctarum* uſurpatur, ut Auguſtinus lib. de Gen. ad lit. imperf. c. 3. loquitur. 2) *Rhetoricam* ſive *metonymicam*, pro mundi incolis ſive hominibus, potiore ac præcipua mundi parte. 3) *Ethicam* ſive *moralem*, pro mundi dilectoribus, hominibus impiis & carnalibus. Nos ſic progredimur: *mundi* vox accipitur 1) *collective* de *continente* & *contento* ſimul, 2) *diſtributive*, de *continente* ac *contento* ſeorſim. Prioris ſignificationis exempla occurrunt in illis ſcripturæ dictis, in quibus accipitur pro toto cœli terræque ſyſtemate, & omnibus, quæ illius ambitu & complexu continentur. Iob. XXVIII. 24. *Intuetur fines mundi, & omnia, quae ſub cœlo ſunt, reſpicit.* Matth. XIII. 35. *Abſcondita a conſtitutione mundi.* Ioh. I. 3. *Mundus per ipſum factus eſt.* In poſteriori ſignificatione accipitur vel συνεκτικως de *continente*, hoc eſt, terrarum orbe, ſive οικουμενη, quam ad tempus hominibus inhabitandam Deus conceſſit. Matth. IV. 8. *Oſtendit ei omnia regna mundi.* XXVI. 13. *Praedicabitur hoc evangelium in toto mundo;* vel συνεχομενως de *contento*, idque tum προσωπικως de *hominibus in mundo viventibus*, tum πραγματικως de *certis quibusdam rebus* & conſtitutionibus in mundo traditis. De hominibus uſurpatur 1) ουσιωδως, *ſubſtantialiter & in concreto*, 2) συμβεβηκοτως,

accidentaliter & in abstracto. Substantialiter usurpatur a) γενικῶς *generaliter* pro omnibus in universum hominibus tam piis quam impiis, tam Iudæis quam gentibus, sine ullo gentis ac mentis discrimine. Ioh. I. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* III. 16 *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret.* b) εἰδικῶς, *specialiter* accipitur 1) pro *incredulis & impiis*, non regeneratis nec illuminatis, Ioh. I. 10. *Mundus eum non cognovit.* XV. 18. *Mundus vos odit.* Basilius lib. de SS. c. 22. *Mundus hic significat eos, qui carnali materialique vita devincti sunt.* Chrysostomus hom. VII. in Ioh. I. *Hoc loco mundus peccantium multitudinem, & terrenis rebus deditum, fluitumque & abiectum & omnibus obnoxium perturbationibus vulgus adpellat;* vel quod *spiritum mundi habeant*, spiritu autem Dei non regantur, 1 Cor. II. 12. hoc est, quod mundana tantum quærant & curent, spiritualibus prætermissis ac neglectis, quod sint τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, Phil. III. 19. vel quod maximam generis humani partem constituant, 1 Cor. I. 26. In hac significatione diabolus dicitur *princeps mundi*, Ioh. XII. 31. XIV. 30. quia *efficax est in filiis incredulitatis*, Eph. II. 2. ac instar principis in eorum cordibus regnat. 2) Pro *impiis*, qui *ante diluvium* vixerunt, Heb. XI. 7. *Noah per arcam damnavit mundum.* 2 Pet. II. 5. *Deus originali mundo non pepercit.* 3) Συνεκδοχικῶς pro maiori parte hominum, pro turba promiscua. Ioh. XII. 19. *Totus mundus post eum abit;* ubi totum pro maiori parte ponitur. Calviniani addunt, quod interdum accipiatur pro *solis piis & electis;* sed nondum potuerunt hanc significationem idoneo aliquo scripturæ dicto confirmare. Quæcunque enim adferunt, in illis vox *mundi* vel de toto genere humano, vel de omnibus ad ecclesiæ consortium vocatis generaliter accipitur; numquam vero & nusquam in tota scriptura unicus occurret locus, in quo specialiter pro solis electis accipiatur, qua de re in loco de prædestinatione ex professo agitur. Quidam volunt nomen *mundi* specialiter pro *solis Iudaeis* quandoque accipi, sed quæ pro adstruenda hac significatione adferuntur exempla Ioh. VII. 4. *manifesta teipsum mundo.* VIII. 26 *Haec loquor in mundo &c.* ea commode reduci possunt ad significationem generalem; sensus enim est, quod Christus omnibus hominibus in publico se manifestare debeat, quod nihil in occulto sed publice omnibus fuerit locutus. Συμβιβικοτῶς & *accidentaliter* accipitur tum in *mediam* tum in *malam* partem. Prioris significationis exempla habentur Eccl. III. 11. *Deus mundum tradidit in corda hominum*, id est, permittit, ut rebus ad hanc vitam pertinentibus occupentur, ut cogitent de futuris in mundo eventibus. 1 Cor. VII. 31. *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* v. 33. *Qui cum uxore est, sollicitus est de his, quae sunt mundi*, id est, coniugatus magis distrahitur curis mundanis ad hanc vitam pertinentibus quam cœlebs. Confer tractat. de coniug. §. 499. Posterioris significationis exempla passim obvia sunt. 1 Ioh. II. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quae sunt in mundo.* v. 16 *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculorum & superbia vitae, quae non sunt ex Patre, sed ex mundo.* Per *concupiscentiam carnis* intelliguntur libidines, crapula, commessationes, quibus adolescentes cumprimis delectantur. Per *concupiscentiam oculorum* amor divitiarum, oblectatio, quam capiunt avari ex aspectu suorum bonorum, quod vitium senibus maxime adhæret. Per *superbiam vitae*

vitae intelligitur ambitio, cupiditas honorum, cui mediæ ætatis homines potissimum sunt obnoxii. Sic ergo triplex hominum mundanorum genus in hoc dicto describitur, απολαυστικον sive *voluptuosum*, χρηματιστικον sive *quaestuosum* & πατητικον sive *ambitiosum*. Baptista Mantuanus:

Ambitiosus honos & opes & foeda voluptas,
Haec tria pro trino Numine mundus amat.

Gal. VI. 14. Per *Christum mihi mundus crucifixus est & ego mundo*, id est, per & propter Christum crucifixum didici contemnere gloriam, divitias, voluptates & cupiditates huius mundi, mortuus sum mundo, Rom. VI. 6. Gal. II. 20. ac proinde tam non desidero mundi vanitatem & malitiam, quam homo mortuus ac cruci adfixus. Bernhardus tom. I. serm. 6. de peregr. mort. & crucif. pag. 153. *Non solum ait mortuus mundo, sed & crucifixus, quod est ignominiosum mortis genus, ego illi, pariter & ipse mihi. Omnia, quae mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiae, vanae hominum laudes. Quae vero mundus crucem reputat, illis adfixus sum, illis adhaereo, illa toto amplector affectu.* Chrysostomus in comm. h. l. paulo aliter exponit: *facit Christi crux, ut mundus sit mihi miseria, mors, vituperium, maledictum, non secus ac crucifixus homo est omnibus abominabilis, & e converso, ut ego sim mundo crucifixus, id est, mortuus, despicabilis, abominandus ac detestandus. Nec illa me capere possunt, nec manibus iniectis me captivum aurere, quippe semel mihi mortua, neque ego illorum cupiditate teneri, quippe mortuus illis.* Sed res eodem redit. 1 Ioh. V. 4. *Omne quod ex Deo natum est, vincit mundum*, id est, mundanas cupiditates, concupiscentias carnis, quibus mundus indulget. Πραγματικως usurpatur, quando *ceremoniae legales* Iudæis in vet. test. traditæ, ac aliæ quævis hominum constitutiones religionis causa introductæ vocantur *elementa mundi* Gal. IV. 9. Col. II. 8. & 20. Quidam adpellationis rationem deducunt ex significatione φυσικη, qua *aër, aqua, ignis & terra* dicuntur στοιχεια, elementa mundi 2 Pet. III. 10. quia ceremoniæ illæ in rebus terrenis ac elementaribus in cibo, potu, vestibus, ædificiis occupantur; sed commodius est rationem adpellationis quærere in significatione τεχνικη, qua *prima litterarum rudimenta* dicuntur elementa, quia externa illa ceremoniarum observatio erat veluti quædam pædagogia, qua Iudæi in vet. test. imbuebantur, cui elementari ac puerili institutioni in nov. test successit vera & solida apertæ lucis ac θεογνωσιας manifestatio. Gal. III. 24. *Lex paedagogus noster fuit in Christo.* IV. 3. *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* v. 9. vocat *infirma & egena elementa*; quia non possunt in se & per se adferre Dei gratiam, iustitiam, peccatorum remissionem, consolationem conscientiæ & Spiritus sancti donationem, quæ beneficia per Christum nobis contingunt, & in verbo evangelii offeruntur. Atque hæ sunt potiores vocis *mundi* significationes. Rom. IV. 13. in peculiari quadam significatione videtur usurpari, quando *Abrahamo & semini eius per fidem promissio facta, quod sit futurus heres mundi.* Calviniani accipiunt *de solis electis*, sed nomen *mundi* nuspiam in scripturis sic accipitur, ac cum v. 11. Abrahamus dicatur *credentium*, ac proinde etiam electorum *pater*, quomodo hic dici poterit eorum *heres*? hereditate filiorum est, non autem patris

tris. Flacius in clavi pag. 694. mentionem facit quorumdam, qui nomen heredis accipere voluerint *passive*, quod *Abraham hereditabitur a toto mundo*, id est, quod omnes gentes huius mundi futuri sint eius filii. Sed quilibet videt, hoc esse nimis coactum, cum non Abrahæ solum, sed & semini eius hæc promissio dicatur facta. Ipse igitur *mundi* nomine intelligit *totam rerum naturam* sive omnes creaturas sub nomine terræ Canaan Abrahæ promissa. Ut enim per primum lapsum ex mundi dominis facti sumus mancipia Satanæ, & ipsa quoque rerum natura non filiis Dei sed vanitati servire cœpit: sic contra instauratis per Christum omnibus natura liberabitur a vanitate, & genus humanum plene in possessionem mundi pristinam restituetur, credenti totius mundi divitiæ. Adde quod pii in Christo capite suo heredes mundi facti sint, cum Christo totius mundi gentes *in hereditatem datae sint*, Psalm II. 8. perinde ut in Christo & cum Christo resuscitati & *in cæleſtibus bonis dicuntur collocati*, Eph. II 6. Quidam nomine *mundi* intelligunt beneficia spiritualia fide accepta, quia sancti, qui his beneficiis fruuntur, sunt in toto orbe diffusi, ac regnum Christi in hisce donis consistens per universum mundum dilatatur, quippe quod per prædicationem evangelii omnibus in mundo hominibus offertur. Simplicissimum videtur nomine *mundi* accipere *hereditatem cæleſtem*, per possessionem terræ Canaan tanquam præstantissimæ mundi partis adumbratam, sicut & Hebr. VI. 5. mentio fit μελλοντος αιωνος, quæ tamen significatio cum prioribus non pugnat, sed optima ratione cum illis coniungi potest, quia per Christum piis obtingunt bona non solum spiritualia sed etiam corporalia, nec tantum huius, sed etiam vel maxime futuræ vitæ bona. Hoc loco, quando de fine mundi agimus, accipitur vox *mundi* potissimum in prima significatione, qua pro cœli terræque machina & omnibus quæ sunt in ea, usurpatur, ita tamen ut angeli & homines ab hac consummatione accipiantur, illi quidem propter immortalitatem divinitus sibi concessam, hi vero tum propter animarum immortalitatem, tum propter corporum resurrectionem. Scholastici dicunt, mundum dupliciter considerari, 1) *extensive*, respectu cœli & omnium elementorum, quæ totius universi spatium replent, ac extensivam sive quantitativam mundi perfectionem propterea constituere dicuntur. 2) *Intensive* ratione diversarum specierum ac corporum tum animatorum tum inanimatorum ex elementorum mixtione compositorum, quibus pulcritudo universi quasi intenditur, unde intensivam eius perfectionem absolvere statuuntur. Quod si ergo quæratur de mundi consummatione in sensu priore, absolute respondetur, totum hoc universum, id est, cœlum & omnia elementa interitura. Sed si de fine mundi in posteriore significatione quæratur, addenda est exceptio, quod destructa cœli terræque machina, ac pereuntibus reliquis omnibus tam animatis quam inanimatis creaturis, speciebus simul & individuis, angeli tamen & homines sint in æternum victuri.

§. IV. *Seculi* sive αιωνος vox itidem variis modis in scripturis accipitur. Possunt tamen omnes significationes commode redigi ad duas generales classes. Quædam enim agunt de *seculo præsenti*, quædam vero de *futuro*, (sicut etiam cabbalistæ apud rabbinos distinguunt inter עולם הזה & עולם הבא *seculum*

lum praesens & seculum venturum) illud est temporarium & *fluxum*, hoc vero æternum & *fixum*, illud est *corporale* constans locorum ac temporum spatiis, hoc vero *spirituale* ab omni tempore & loco separatum. Ad *priorem* classem pertinent illa scripturæ dicta, in quibus accipitur 1) συσηματικως ac *materialiter* pro cœli terræque systemate. Heb. I. 2. *Deus per Filium condidit secula*, id est, mundum & omnia, quæ in eo sunt, quia mundus per certorum seculorum decursus durat. XI. 3. *Fide intelligimus* καταρτισθαι τους αιωνας. 2) Σχηματικως *formaliter*, & quidem dupliciter, primo in *partem meliam* pro *conversatione & conditione mundana* in hac vita, pro rebus, quæ in hoc mundo geruntur. Luc. XX. 34. *Filii huius seculi nubunt & nuptui traduntur*, id est, qui adhuc animalem & naturalem in terris vitam agunt, quibus opponuntur *filii resurrectionis*, v. 36. qui *digni habentur seculo futuro* & resurrectione ex mortuis ad vitam beatam v. 35. Sic 1 Cor. II. 8. per *principes huius seculi* intelliguntur tum potentia tum sapientia in hoc mundo eminentes; 1 Tim. VI. 17. *divites huius seculi* dicuntur, qui divites sunt in hoc mundo, quibus opponuntur *divites in Deo*, Luc. XII. 21. qui cœlestes & spirituales thesauros, salutarem Dei agnitionem, peccatorum remissionem, Spiritus consolationem & vitæ æternæ promissionem fide obtinent, qui in cœlo thesauros collegerunt, Matth. VI. 20. Secundo in *partem malam* pro corruptione vitæ, mentis ac cordis ex peccato orta, ad quam se adcommodant homines terrenis duntaxat adfixi, cœlestium vero contemtores. Luc. XVI. 8. *Filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis.* Rom. XII. 2. *Nolite conformari huic seculo.* 2 Cor. VII. 10. *Tristitia huius seculi mortem operatur.* Gal. I. 4. *Christus redemit nos ab hoc seculo perverso.* Eph. II. 2. vocatur αιων του κοσμου, *seculum huius mundi*, id est, cui homines mundani & terrenis adfixi se conformare solent. In hac significatione diabolus dicitur *princeps huius seculi* 2 Cor. IV. 4. Irenæus quidem lib. III. cap. 7. προσδιορισμον *huius seculi* coniungit non cum voce *Deus*, sed cum voce *infidelium*, quam lectionem adprobant Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus in comm. illius loci & Augustinus lib. XXI. contra Faustum cap. 2. sed nulla nos cogit necessitas, ut hac μεταθεσει utamur. Dicitur enim diabolus eodem sensu *Deus huius seculi*, quo *principem mundi* eum adpellari ostendimus; non quod res quasdam corporales huius seculi creaverit, ut Marcionitæ & Manichæi voluerunt, nec quod sit Deus absolute, sed quia est infidelium & impiorum hominum Deus, habito tum ad ipsum *diabolum*, tum ad *homines impios* respectu. Si diabolum ipsum respiciamus, is dicitur Deus tum *gloriatione*, quia divina opera mendaciter sibi tribuit, Matth. IV. 9. & divinos honores sibi deferri impudenter postulat, tum *operatione*, quia est *efficax in filiis incredulitatis*, Eph. II. 2. & cœcitatem in mentibus hominum operatur, ut h. l. apostolus loquitur. Si *homines impios* respiciamus, illorum Deus est *nomine*, *non autem numine*; *opinione*, quia pro Deo illum colunt, non autem *rei veritate*; *subiectione spontanea*, quia suggestionibus eius magis obtemperant quam divinis mandatis, non autem *dominatione quadam necessaria.* Nazianzenus orat. III. de rect. doct. sent. *Non hoc ei nomen tribuitur, quod totum in mundum & universos homines imperium obtineat, nam si hoc foret, iam olim omnes perdidisset, sed quod peccati sit auctor & eorum princeps, qui sub*

sub peccato quasi rege sponte degunt. Augustinus in Psalm CLXIII. *Est mundus, quem fecit Deus; est mundus, quem regit diabolus, id est, dilectores mundi.* Idem vel quicunque alius auctor libr. de gone Christi: *non fit diabolus vocatur, quia ipse est Deus huius mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne, quod transit, ut ei subiaceant, qui negligunt aeternum Deum, & diligunt instabilia ac mutabilia.* Glossa ordinaria in Apoc. XI. *Est mundus, cuius Deus est creator; est mundus, cuius Deus est redemtor; est mundus, cuius satan est seductor.* Ioh. Hussius lib. de antich. tom. I. f. 337. *Diabolus huius seculi non natura, sed participatione.* Eph. VI. 12. diaboli dicuntur κοσμοκρατορες τε σκοτες τε αιωνος τετε, *principes mundi tenebrarum huius seculi*, ubi posterius accipi potest ut εξηγητικον prioris, ideo diaboli dicuntur κοσμοκρατορες, quia in tenebris huius seculi dominantur. Potest etiam accipi phrasi Hebraica *substantivum pro adiectivo* positum κοσμοκρατορες τε σκοτες, id est, σκοτεινοι, *principes tenebrosi huius seculi.* Fullerus libr. III misc. sacror cap. 14. το σκοτος accipit in significatione propria, ac comparate huic seculo tenebras tribui existimat. *Densae* (inquit) *caliginis hic plena sunt omnia, si conferantur cum clarissimo cœli fulgore*; sed rectius tenebræ in significatione metaphorica accipiuntur pro peccato, miseria, ignorantia & αταξια, quo sensu etiam *potestas tenebrarum* diabolis adscribitur Luc. XXII. 53. Col. I. 13. 3) Χρονικως, *temporaliter*, idque dupliciter: Primo ολικως *totaliter*, tum ratione *termini a quo*, videlicet a tempore eo, quo cœpit tempus, id est, a mundi constitutione. Ioh. IX. 32. *A seculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos cœci nati.* Col. I. 26. *Mysterium, quod absconditum fuit a seculis & a generationibus; id est*, quamdiu durarunt secula, & generationes sibi invicem successerunt: tum ratione *termini ad quem*, videlicet usque ad tempus, in quo & cum quo finietur tempus, id est, usque ad finem mundi. Psalm LXXVIII. 69. *Terra fundata est in seculo.* CIV. 5. *Fundasti terram super basin suam, non inclinabitur in seculum seculi* Eccl. I. 4. *Terra stat in seculum.* Matth. XII. 32. *Non remittitur ei neque in hoc neque in futuro seculo.* Secundo μεριχως *partialiter*, atque itidem tum ratione *termini a quo* pro tempore longissimo, cuius initium fere est absconditum. Deut. XXXII. 7. *Memento dierum seculi*, id est, antiquorum ac priscorum temporum, quid in illis acciderit, quid Deus cum maioribus tuis egerit. Psalm LXXVII. 6. *Cogitavi dies antiquos, annos seculorum in mente habui;* ubi idem bis dicitur, expendi tempora prisca, quomodo Deus in illis liberationem ad se confugientibus præstiterit. CXLIII. 3. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi*, id est, qui iam olim mortui fuerunt. Esai. LVIII. 12. *Aedificavit in te desolata seculi;* id est, quæ multis seculis desolata ac vastata iacuerunt. Mal. III. 4. *Placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem sicut in diebus seculi;* εξηγησις statim sequitur, *sicut in annis antiquis.* Luc. I. 70. *Qui a seculo sunt prophetarum eius.* Act. III. 21. *Per os sanctorum a seculo prophetarum.* Tum ratione *termini ad quem* pro tempore diuturno, cuius finis ferme est absconditus, quia Hebræum עולם a radice עלם *celavit, abscondit*, originem suam trahit. Exod. XXI. 6. *Erit servus eius in seculum;* ubi ad longissimum pro spatio quinquaginta annorum accipitur, fieri enim potuit, ut intra pauciores annos e servitute exiret. 1 Sam. XXVII. 12. ait rex Achis:

Achis: *David erit mihi servus in seculum.* Hæc et similia loca notanda sunt propter Iudæos, qui ceremonias legales ad finem usque mundi servandas esse disputant propter dicta scripturæ: Gen. XVII. 13. *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus seculi*, sed statim additur explicatio v. 7. *in generationibus vestris.* Exod XII. 14. *Cultu seculi celebrabitis paschalem festivitatem;* sed additur, *in generationibus vestris.* XXXI. 16. *Sabbatum* vocatur *pactum seculi.* In his & similibus dictis nomen עולם, quod LXX. interpretes reddiderunt per vocem αιωνος, significat tempus diuturnum, cuius terminus sive finis latet, id quod æmulatus videtur apostolus in epist. ad Philem. v. 15. ut αιωνιον *hunc servum haberes*, id est, stabilem & diuturnum. Ad hanc classem reduci potest significatio illa vocis *seculi*, qua usurpatur a Latinis pro spatio centum annorum, unde apud Romanos *ludi seculares* dicebantur, qui centesimo quoque anno recurrebant.

§. V. Ad posteriorem classem pertinent dicta scripturæ, in quibus *seculum* pro absoluta æternitate accipitur, tum pro ea, quæ scilicet mundi creationem cogitatur antegressa, Psalm XXV. 6. *Reminiscere miserationum tuarum, quae a seculo sunt*, id est, ab omni æternitate, quia Deus non solum a constitutione mundi, sed etiam ab æterno est & manet misericors. XCIII. 2. *A seculo tu es*, id est, ab æterno, quia Deus ante constitutionem mundi exstitit, sicut explicatio additur XC. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a seculo & in seculum tu es Deus.* Act. XV. 18. *Nota sunt a seculo Deo omnia opera eius;* id est, iam inde ab ultima æternitate, quia Deus in tempore nihil discit, sed ut essentia, ita quoque scientia eius manet invariabilis. Eph. III. 11. κατα προθεσιν αιωνων, id est, æternam, quia electio facta est ab æterno. Tum pro ea, quæ vocatur *aeternitas a post*, quæ scilicet mundi finem cogitatur secutura. Dico *cogitatur*, quia nos non possumus æternitatem aliter concipere, quam cum quadam præteriti, præsentis & futuri perpetua successione, quamvis ipsa in se & formaliter considerata omnem temporis successionem excludat. 2 Paral. VII. 3. *In seculum manet misericordia eius.* Psalm X. 16. *Dominus regnavit in aeternum & in seculum seculi.* Rom. I. 25. *Deus benedictus est in secula.* XI. 36. *Ipsi gloria in secula.* Gal. I. 5. Philip. IV. 20. 1 Tim. I. 17. & alibi passim coniunguntur *secula seculorum*, ut non tantum huius vitæ secula sibi invicem succedentia οι αιωνες επερχομενοι, Eph. II. 7. qui habent τα τελη, 1 Cor. X. 11. ο νυν αιων, 2 Tim. IV. 10. ο αιων ουτος, Matth. XII. 32. sed etiam *seculum futurum*, ο ερχομενος και ο μελλων αιων, qui differentiæ causa ita adpellatur, ac fine caret, Matth. XII. 32. Marc. X. 30 Luc. XVIII. 30. XX. 25. Hebr. VI. 5. &c. rabbinis עולם השלמת simul coniungi intelligantur. Usitatum etiam est coniungi hæc duo, *a seculo & in seculum*, qua phrasi *aeternitas ab ante & post* emphatice exprimitur: Psalm XLI. 14. 106. 48. *Benedictus Dominus Deus Israel a seculo & in seculum.* XC. 2. *A seculo & in seculum tu es.* Dan. II. 20. *Sit nomen Domini benedictum a seculo & in seculum.* Quando de consummatione seculi hoc loco agitur, accipitur vox *seculi* in significatione priore ac præcipue ea, qua συσηματικως και χηματικως eam usurpari ostendimus.

§. VI. *Synonymia* spectatur, tum in *verbis simplicibus* Συνωνυμια.

plicibus, tum in *phrasibus coniunctis*. Ad priorem classem pertinet, quod mundi destructio vocatur, 1) τελος, *finis*, *terminus*, *extremum*. Matth. XXIV. 6. Marc. XIII. 7. Luc. XXI. 9. *Oportet haec fieri, sed nondum το τελος*. Proprie & in sensu literali agitur de excidio Hierosolymitano, ut adparet ex vers. 14. apud Matthæum; sed quia discipuli coniunctim quæsierant de tempore excidii Hierosolymitani & consummationis seculi, ideo etiam recte de utroque accipi potest, nondum adest finis, tum malorum: tum Hierosolymæ, multo minus totius seculi. 1 Cor. X. 11. Τα τελη, *fines seculorum in nos venerunt*; id est, vivimus seculo consummationi huius mundi proximo, totum tempus, quod inter primum Christi adventum in carnem & secundum ipsius adventum ad iudicium interiicitur, ab apostolis vocatur *tempus novissimum*, imo *hora novissima*, quia Christus omnia consummavit, neque quidquam ulterius exspectandum quam mundi finis. 1 Cor. XV. 24. *Deinde finis*, non spiritualis regni Christi, ut volunt Photiniani, sed huius seculi. 1 Petri IV. 7. Παντων το τελος ηγγικε, *finis omnium* sive totius universi. 2) Συντελεια, *consummatio*, Matth. XIII. 39. XXIV. 3. XXVIII. 20. Heb. IX. 26. ubi & αιωνος in singulari & αιωνων in plurali consummatio vocatur, quia secula sibi invicem in hoc mundo succedentia præsens hoc seculum absolvunt ac tandem finiunt. Confer harmon. de resurrect. cap. XII. p. 476. Synonymia *phrasium coniunctarum* cognosci potest ex illis scripturæ dictis, quæ ad το οτι demonstrandum paulo post adducentur.

CAPVT II.

AN SIT CONSVMMATIO SECVLI?

An secutura sit aliquando mundi consummatio? Affirmativa probatur 1) ex dictis scripturae. 1) ex vet. test.

§. VII. Ab ονοματολογια igitur transitum facimus ad πραγματολογιαν, in qua primo loco occurrit quæstio de *τω οτι*, *an scilicet secutura sit aliquando mundi consummatio*? Affirmantem sententiam demonstramus 1) ex *perspicuis scripturae dictis*. Classes eorum constitui possunt duæ, quædam enim ex veteri, quædam ex novo petita sunt testamento. 1) In veteri testamento præcipua hæc occurrunt: a) in *Mose*. Gen. VIII. 22. *Cunctis diebus terrae sementis & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, nox & dies non requiescent*, sive cessabunt. Ostendit Deus, se certos dies ac certum tempus præfiniviſſe, in quo vicissitudines sementis & messis, frigoris & æstus, æstatis & hyemis, noctium ac dierum sint futuræ; adventante autem constituto durationis termino desituras esse illas vicissitudines, ac mundum denuo, non quidem aquis diluvii, sed igne esse perdendum ac destruendum, tunc diebus terræ succedent *dies cæli*, id est, mera & absoluta æternitas. Lutherus in comm. illius loci: *Non est otiosum, quod dicit*, cunctis diebus terræ; *subindicat enim, hos terrae dies aliquando cessaturos, & secuturos alios dies cæli. Stantibus igitur diebus terrae terra stabit, & manebunt istae vices temporum, sed cessantibus his diebus terrae cessabunt ista omnia, & sequentur dies cæli, id est, aeterni dies, qui erunt sabbatum ex sabbato, ubi non occupabimur corporalibus laboribus ad*

ad parandum victum, erimus enim sicut angeli Dei, sed nostra vita erit agnoscere Deum, delectari sapientia Dei & frui praesentia Dei. Gen. XLIX. 1. *Convenite filii Iacob, ut adnunciem vobis, quid erit in novissimis diebus.* Hunc locum urget Origenes lib. III. περι αρχων cap. 5. *Si novissimi sunt dies*, inquit, *cessare dies necesse est, qui coeperunt.* Et sane prophetia Iacobi extendit se usque ad tempora Messiae, quae a prophetis & apostolis vocari solent novissima. Deut. XI. 21. *Quamdiu coelum terrae imminet, quamdiu sol terram illustrabit.* Hebraeum ad verbum: *Sicut dies coelorum super terram*, vel *secundum dies coelorum super terram*; utroque enim modo כ verti potest. Sensus est, usque ad finem mundi, quia nisi peccassent Iudaei repudiando Messiam & legem Domini contumaciter transgrediendo, promissam terram Canaan usque ad finem mundi possedissent. Lutherus eleganter reddidit: *So lange die Tage vom Himmel auf Erden währen.* Innuitur igitur fore tempus, quo cessabunt dies, quos coeli conversio super terram efficit, ac coelestis regio per terrenam Canaan praefigurata piis Israelitis possidenda tradetur. Deut. XXXII. 22. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni infima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Ignis nomen potest accipi μεταφορικως de ira divina, quae instar flagrantis ignis omnia absumit, quaeque populum Iudaicum ob Messiae contemtum in infernum usque prosternit; sed Iustinus in orat. ad Antonin. pium proprie accipit. *Exustionem mundi*, inquit, *quomodo per Mosen Spiritus propheticus fore praemonstravit, accipite. Sic autem ait: descendit ignis perpetuum vivens, & devorabit ad imam usque abyssum.* b) Ex *Iobo.* Iob. XIV. 12. *Non resurget homo, donec non erunt coeli.* Hebraeum עַד־בְּלִי שָׁמַיִם Ergo coeli non durabunt perpetuo, sed aliquando non erunt. Mercerus & quidam alii accipiunt *exclusive*, ut simplicem negationem, *homo non resurget, donec non erunt coeli*, quod nunquam fiet, scilicet iuxta naturam, resurget autem divina virtute. Sed ostendimus in tract. de morte in quaest. de imm. anim. §. 151. rectius accipi *determinative*, ut limitationem ac designationem temporis, quo homo aliquando resurget. XXIV. 24. *Humiliabuntur sicut omnia & auferentur.* Hunc locum Gregorius lib. XVII. moral. cap. 5. de consummatione seculi interpretatur, in Hebraeo tamen paulo aliter legitur. c) Ex *psalmis.* Psalm XLVI. 3. *Non timebimus, si terra loco suo moveretur, & montes in medium mare praecipitarentur.* Quidam accipiunt ut *conditionem impossibilem*, si vel maxime omnia in mundo ita turbarentur, ut montes in cor maris praecipitarentur, quod nunquam futurum est, tamen non timeremus. Sed reliqua dicta, quae de mundi transitu loquuntur, ac subsequens v. 4. testatum reddunt, hanc conditionem adiectam non esse pro impossibili habendam. Augustinus in comm. accipit de *conversione gentium* per praedicationem evangelii. Quidam allegoricam sectantur interpretationem, per terram intelligunt *imperia huius mundi*, quae diaboli impulsu veluti terrae quadam concussione acerrime colliduntur, per montes vero *diabolos*, qui in cor sive medium maris ruunt praecipites, id est, insanientes principes ac populos bellis invicem committunt, ecclesia instar arcis scopulo impositae in mediis imperiorum ruinis incolumi interim manente. Et sane congruit haec interpretatio phrasibus loquendi in scriptura usitatis,

ſitatis, Pſalm XXXIII. 8. LXVIII. 33. Ier. LI. 25. Zach IV. 7. Apoc. VIII. 8. interim cum ſenſus literalis nullam ſecum trahat abſurditatem analogiæ fidei adverſam, ideo una cum interpretatione allegorica retineri poteſt. Pſalm LXXII. 7. *Florebit in regno Meſſiae multitudo pacis* עַד בְּלִי יָרֵחַ, *donec non amplius luna.* Deſcribitur æternitas regni Chriſti, quod deſtructis omnibus huius mundi regnis in fine ſeculi ipſum tamen in perpetuum ſit permanſurum. XCVII. 1. *Dominus regnavit, exſultet terra* v. 2. *Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium baſis ſedis eius.* v. 3. *Ignis ante ipſum procedit, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* v. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt a facie eius &c.* Proprie & principaliter loquitur pſaltes de *vocatione gentium* per evangelii prædicationem ac regno Chriſti in hac vita; interim etiam referri poteſt ad regnum gloriæ in fine ſeculi inchoandum, quando omnes hoſtes plene ſibi ſubiiciet, & maieſtas regni eius publice conſpicietur. CII. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* v. 27. *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur.* v. 28. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Locus hic allegatur ab auctore epiſt. Hebræos I. 11. in quo mundi interitus verbis perquam emphaticis deſcribitur. 1) *Subiectum* eſt *cœlum & terra*, relativum enim הֵמָּה v. 27. ad utrumque refertur, cum v. 26. utriusque facta fuerit mentio; adde quod ſi cœli peribunt, multo magis veriſimile ſit etiam terram perituram, cum cœlum ſolidius ac firmius terra videatur. Neve quis cogitet, *cœlos aëreos* duntaxat, non autem *aethereos*, *inferiores* duntaxat, non autem *ſuperiores* eſſe perituros, ideo v. 27. additur particula univerſalis כֻּלָּם *omnes veteraſcent*, videlicet quotquot ſunt opera manuum divinarum, id eſt, quotquot ſunt a Deo conditi, ut adparet ex v. 26. 2) *Praedicatum* tria verba maxime emphatica habet α) אָבַד *periit, interiit*, quod notante Schindlero in lexico de omnimoda rei perditione uſurpatur. β) בָּלָה *inveteratus eſt, vetuſtate tritus, attritus & conſumtus eſt* inſtar veſtimenti vetuſtate attriti. Thomas in comment. ad Hebr. I. *Sicut veſtimentum adſumitur ad uſum, ceſſante vero uſu deponitur: ſic cum fuerit completus electorum numerus, mutabitur cœlum quaſi veſtimentum, quia iam amplius ad rerum generationem & corruptionem non inſervit.* γ) חָלַף *praeteriit, tranſiit, interiit*, Cant. II. 11. Eſai. II. 18. Dan. IV. 23. 25. 32. 3) *Antitheſis, tu autem permanes.* v. 27. *tu idem ipſe es, & anni tui non deficiunt.* Præfixum in voce וְאַתָּה recte exponitur *adverſative*; oſtendit enim ſeries textus, inſtitui oppoſitionem inter cœli terræque interitum, & ſtabilem ac fixum divinæ eſſentiæ ſtatum. *Anni* metaphorice Deo tribuuntur durationem continuam & ſimplicem denotantes, quia æternitatem non niſi per quamdam temporis ſucceſſionem perpetuo durantem concipere poſſumus, dicuntur autem anni Dei *non deficere, non conſumi*, ſicut dies & anni noſtri, Pſalm XC. 9. quia ſunt *dies & anni aeternitatis*, 2 Petr. III. 8. δ) Ex *prophetis* Eſai XXXIV. 4. *Tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & de ficu.* Quidam accipiunt in *ſenſu metaphorico*, ut animorum angor & perturbatio in ſummis calamitatibus ſignificetur, qui enim in mœrore ac luctu conſtituti ſunt, *illis lux non videtur eſſe lux, nec dies videtur eſſe dies, nec dulcia ha-*

habere dulcedinem, sed omnia mutantur eis in contrarium; adeo enim doloris anxietas oculos obnubilat, ut serenum cœlum tenebris offusum videatur, ac stabiles montes collesque moveri, ut loquitur Theodoretus in comment. Ier. IV. Confer similes metaphoricas descriptiones Esai XIII. 9. Ierem. IV. 23. XV. 9. Ezech. XXXII. 7. Amos VIII 9. Mich. III. 6. & ea, quæ in præced. tractat. in cap. de signis iudicii § 94: diximus. Rationem interpretationis adferunt eam, quia in præcedentibus verbis agitur de *particulari Dei iudicio*, quod exercebit adversus gentes, quæ Assyriorum fastum ac mores imitantur; sed ostendimus suo loco, prophetas a particularibus iudiciis sæpius progredi ad universale iudicium adversus omnes gentes, cumprimis vero ecclesiæ hostes in die novissimo exercendum, cuius præludium in particularibus illis iudiciis proponitur, in quo cœlum & terra destruetur. Absurdum igitur ac præposterum nequaquam censendum, si hic locus propheticus de interitu mundi accipiatur, quam interpretationem verborum emphasis confirmat. De exercitu cœlorum, id est, sole, luna, & stellis, instar aciei cuiusdam a cœlesti imperatore certo ordine dispositis & speciem perquam illustrem oculis hominum exhibentibus, Gen. II. 1. Neh. IX. 6. Dicit propheta, quod *colliquescet*. In Hebræo est נָמַק in *niphal* a radice מקק *liquefactus, dissolutus fuit*, ac per metaphoram, *corruptus, putrefactus, labefactatus fuit*. Ezech. XXIV. 23. Lev. XXVI. 39 Psalm XXXVIII 6. Benedictus Arias reddidit, *mucescent*, quæ enim putredini & corruptioni proxima, mucorem prius contrahunt. De cœlis dicitur, quod *complicabunt* se, sive *convolventur* sicut liber. In Hebræo est גְּלִילוּ a radice גלל *convolvit, complicavit*. Respectus habetur ad formam librorum, qua Hebræi usi sunt, a nostra diversam. Neque enim tales apud eos sunt libri, quales apud nos ex multis paginis conglutinatis aut consutis compacti, sed qui ex una pagina longa ac perpetua constabant, quæ quia circa lignum quasi circa axem instar telæ convolvitur, ideo liber apud eos vocatur מְגִלָּה *volumen*. Luc. IV. 17. *Cum traditus esset Christo liber prophetae αναπτυξας το βιβλιον, explicans librum, invenit locum*, v. 20. *και πτυξας, & complicans librum reddidit ministro*; hac forma legem in membrana descriptam adhuc hodie Iudæi in synagogis habent. Quemadmodum igitur creatio cœli *extensioni pellis seu tabernaculi* comparatur, Psalm CIV. 2. Esai XL. 22. unde ipsum cœlum vocatur רָקִיעַ *expansio*, Gen. I. 6. sic eiusdem interitus ac destructio *complicationi libri* seu voluminis aptissime confertur. Iustinus in qq. & resp. ad orth. q. 94. p. 348. *Quemadmodum firmamenti facturam sacrae literae per collationem adsimilarunt quandoque pellis extensioni, aliquando fumo firmato, aliquando rotunditati testitudinis cameratae, sic & eius solutionem per comparationem adsimilarunt aliquando libro, qui convolvitur, quandoque elemento, quod igne solvitur, nonnunquam vestimento veterascenti.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum lapsum: *istud cœlum e medio subducetur, non aliter quam pelles scenae, ac velum contrahitur e medio, ut in melius commutetur.* Neve quis cogitaret, cœlum ea ratione convolvendum sive complicandum, ut stellæ illi infixæ maneant, sicut characteres literarum in libro complicato, ideo addit propheta: *omnis exercitus eorum decidet;* in Hebræo est יִבּוֹל a radice נבל *ut defluit folium de vite, & sicut defluit de ficu.* Adducit propheta similitudinem

vineae & ficus, quia duæ illæ plantæ erant satis notæ ac familiares in terra Canaan. Confer Apoc. VI. 14. ubi eadem fere descriptio occurrit. Esai LI. 6. *Cœli ficut fumus deficient*, (in Hebræo est נִמְלְחוּ *consumentur*, *dissipabuntur*. Aquila reddit μεωθησεται, *in nihilum comminuentur*. Symmachus: αλιωσονται *in salis modum conterentur & evanescent*. LXX. interpretes: ὁ ὐρανος ὡς καπνος ἐστερεωθη, *firmatum est sicut fumus*. At si *firmitas pro robore accipitur*, *quomodo fumo*, *quod firmum est*, *comparatur*? resp. Hieronymus, quod *omnis cœlorum firmitas robur & fortitudo vento inanissimo & fumo*, *qui in auras solvitur*, *coaequetur*) *& terra sicut vestimentum veterascet*, *& habitatores eius similiter sicut haec interibunt*, *sed salus mea in seculum erit*, *& iustitia mea non conteretur*. Multi ex pontificiis accipiunt, ut hypotheticam ac conditionalem comparationem, ut sit sensus, *non quod cœlum & terra praeteritura sint aliquando*, *sed illud citius eventurum*, *quam contingat*, *ut inane excidat divinum verbum*. Sed ostendit ipse sonus verborum, prophetam non loqui *comparate* sed *absolute*, nec impossibilem quamdam conditionem proferre, sed cœli terræque transitum, promissionis autem suæ firmitatem sibi invicem ἀντιθετικως opponere, proinde ut Christus Matth. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XXI. 33. non ὑποθετικως sed κατηγορικως & adsertive dicit: *Cœlum & terra transibunt*, *verba autem mea non praeteribunt*. Sensus igitur est, quamvis cœlum, terra & homines constituto tempore sint interituri, tamen salus & iustitia credentibus promissa erunt perpetua & immutabilia, quia *creabo cœlos novos & terram novam*, *in quibus iustitia habitat*, 2 Petr. III. 13. Optime vero conferri potest hic locus propheticus cum oraculo Davidico Psalm CII. 27. ut enim ibi de cœlis dicitur, *veterascunt ut vestimentum*, ita hoc loco de terræ interitu eadem similitudo usurpatur, ne quis cœli ac terræ diversam rationem fore cogiter. Atque hoc modo oraculum propheticum antiquissimus ecclesiæ doctor, Irenæus exposuit lib. IV. adv. hæres. c. 6. p. 236. Hieronymus lib. XIV. in Esaiam tom. IV. p. 164. Chrysostomus in hom. ad Rom. VIII. Haymo & Lyranus in comm. h. l. Esai. LXV. 17. *Ecce ego creans cœlos novos & terram novam*, *& non memorabuntur priores*, *nec adscendent super cor*. Sanctius in comm. accipit μεταφορικως, quod *per cœli novi ac terrae novae creationem omnis rerum abundantia & ingens voluptas promittatur*, *sicut aerumnosa Israelitarum conditio per cœlum obscurum ac nubilum & terram sterilem ac aridam proverbiali loeutione in prophetis describitur*, qua ratione ad restitutionem ex captivitate Babylonica in verbis hisce propheticis respectus haberetur. Heerbrandus in comp. theol. in cap. de consumm. seculi p. 536. itidem arbitratur de ecclesiæ & religionis instauratione in his terris futura ibi sermonem esse. Sed manifestum est ex 2 Pet. III. 13. & Apoc. XXI. 1. de cœlesti beatorum patria unice sermonem esse; imo ex hoc ipso loco prophetico idipsum evidenter colligitur, quia talis rerum status hic describitur, qui in hac vita non habet locum; v. 18. *Gaudete & exsultate in aeternum in his*, *quae creo*. v. 19. *Non audietur in Ierusalem ultra vox fletus & vox clamoris*. Atqui in vita æterna demum hoc implebitur Apoc. VII. 17. Nec obstat, quod nonnulla addantur, quæ κατα ρητον accepta in patriam beatorum minime conveniunt, quia *prophetae verbis huius seculi describunt res futuri seculi*, *& a corporalibus beneficiis animos hominum ad*

ad spiritualia & cœlestia beneficia principaliter a Missa exspectanda evehunt. Esai. LXVI. 15. *Ecce Dominus in igne veniet, & tanquam turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis.* Hoc igne, in quo & cum quo Dominus ad iudicium veniet, universa cœli terræque machina conflagrabit, 2 Petr. III. 10. v. 16. *Quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicantur interfecti a Domino.* In die iudicii ex ore Christi gladius δισστομος procedet, quando contra damnatos horribilem illam sententiam pronunciabit: *ite maledicti:* cuius sententiæ exsecutio fiet per ignem internalem. Describitur igitur Deus tanquam fortis bellator, zelo iustitiæ ardens, & vindictam ab hostibus sumere cogitans, qui quadrigis invehatur, ex quibus igneos eiaculetur globos, ac furorem suum totus inflammatus evomat, quin & gladium suum vibret, ut sic igne & ferro obvia quæque prosternat ac vastet. Complementum huius vaticinii præcipue sequetur in die extremi iudicii. v. 22. *Sicut cœli novi & terra nova, quos ego facio, stant coram me, dixit Dominus, sic stabit vestrum semen & nomen vestrum.* Sicut æterna beatitudo in novo cœlo ac nova terra credentibus parata erit immobilis ac immutabilis, ita quoque pii vivent in æternum. Ezech. XXIV. 9. *Vae civitati sanguinum, etiam ego grandem faciam pyram.* v. 10. *Multiplica ligna, succende ignem, consume carnem & ossa comburentur.* Hieronymus libr. VII. in Ezech. *Sunt, qui totum ipsum locum ad consummationem seculi transferant. Mundus ergo, qui in maligno positus est, die iudicii divino igne succenditur, & civitas sanguinum ponitur super carbones ignis. Et proponitur sanguis, qui effusus est in propatulo creaturae universae, ut omnium scelera pateant, quia nihil occultum, quod non reveletur, ne terra operiantur aut pulvere.* Sed in sensu literali de incendio & excidio Hierosolymitano a Babyloniis metuendo hic agi videtur. Dan. II. 45. *Lapis abscissus a monte sine manibus comminuit ferrum, aes, testam, argentum & aurum*, id est, in fine seculi destruentur omnia mundi regna & succedet æternum regnum. VII. 11. *Et vidi donec interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni.* In die novissimo, quando omnia igni absumentur, etiam Turcica impietas & tyrannis abolebitur. v. 12. *Ac reliquis bestiis ablata erat potestas.* (in fine seculi abolebuntur omnia regna, 1 Cor. XV. 24.) v. 26. *Iudicium sedebit, ut auferatur potestas eius, & dispereat usque in finem.* v. 27. *Regnum autem & potestas & magnitudo regni, quae est subter omne cœlum, dabitur populo sancto altissimi;* deletis omnibus impiis & ecclesiæ hostibus electi in novo cœlo cum nova terra in perpetuum regnabunt. IX. 27. *Usque ad consummationem*, id est, usque ad finem mundi. LXX. interpretes εως συντελειας καιρου decretum est, *quod perseverabit desolatio.* XII. 4. *Obsigna librum usque ad tempus finis*; quod proxime præcedet finem mundi. Ioel. III. 20. *Sol & luna obtenebrabuntur & stellae retrahent splendorem suum.* v. 16. *Movebuntur cœli & terra, & Dominus spes populi sui.* Hieronymus in comm. *Mœrorem extremi diei & tormenta pereuntium ne sol quidem & luna astraque caetera poterunt intueri, sed retrahent fulgorem suum, & furorem iunicantis, reddentisque uniuscuiusque opus in caput suum, adspicere non audebunt. Non quod clementoria sint, quam Dei iudicia, sed quod omnis creatura in tormentis aliorum de suo iudicio pertimescat.*

Do-

Dominus instar leonis rugiet seu clamabit, ut tam excelsa eius vox erit ac terribilis, ut cœlorum cardines & terrarum fundamenta quatiantur. Cumque tam severus in eos fuerit, qui puniendi sunt, erit clemens erga populum suum & dabit eis fortitudinem. Soph. I. 18. *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae;* quod repetitur III. 8. Hagg. II. 7. *Movebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes.* Mal. IV. 1. *Ecce dies venit succensa quasi caminus & erunt omnes contemtores & omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens.* Confer ea, quæ de his vaticiniis propheticis dicta sunt in præced. artic. de extremo iudicio §. 13. ε) Ex *libris apocryphis.* 4 Esdr. VI. 6. *Facta sunt omnia creata per me solum & non per alium, & finis per me solum & non per alium.* v. 9. *Finis huius seculi Esau & principium sequentis Iacobi* v. 16. *Finem eorum oportet commutari.* v. 20. *Cum super signabitur seculum, quod incipiet pertransire, haec signa faciam.* VII. 30. *Convertetur seculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus iudiciis, ita ut nemo derelinquatur.* v. 31. *Et erit post dies septem & excitabitur, quod nondum vigilat seculum, & morietur corruptum.* v. 43. *Dies iudicii erit finis temporis huius & initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela.* XIV. 16. *Quantum invalidum fiet seculum a senectute, tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala,* v. 17. *prolongavit enim se magis veritas & adpropinquavit mendacium.* XVI. 14. *Ecce mittentur mala & non revertentur, donec veniant super terram.* v. 15. *Ignis succenditur & non exstinguetur, donec consumat fundamenta terrae.* Siracid. XVII. 30. *Quid lucidius sole? & tamen deficit.*

§. VIII. 2) Ex *nov. testamento.* a) Ex *evangelistis.* Matth. V. 18. *Amen dico vobis, donec transeat,* παρελθη, *cœlum & terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Luc. XVI. 17. *Facilius est cœlum & terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Quidam ex pontificiis accipiunt *comparate*, ac κατ' ανθρωπον dictum hoc sensu: *Si alterutrum horum praeterituram sit, praeteribit prius cœlum & terra, quam iota unum aut apex unus a lege; non quod cœlum & terra aliquando sint praeteritura, sed illud citius eventurum, quod nemo futurum putat, quam contingat, ut inane excidat divinum verbum, sicut communiter dicere solemus, cum aliquid fieri non posse, aut nunquam futurum significamus, citius cœlum ruet, aut prius rerum dissolvetur natura, quam hoc fiat. Hoc ergo diceret Christus, legem tunc praeterituram, quando cœlum ac terra praeteribunt, id est, nunquam praeterituram, quia aut illa nunquam deficient saltem quoad substantiam, aut quia vulgo, cuius opinioni in loquendo saepe se scriptor sacer adcommodat, in aeternum duratura existimabantur.* Iansenius in conc. evang. Sanctius in comm. Esa. LI. &c. Quidam sic exponunt: *Prius transiturum cœlum & terram, quam desiturum fieri, quae scripta sunt in lege. Nam ea tunc demum perfecte impleta erunt, cum cœlum & terra esse desierint.* Sed manifestum est ex Matth. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XXI. 33. Christum nequaquam *comparate* loqui, sed *absolute;* ac particulam *donec* non esse hoc loco *exclusivam*, quasi nunquam futurum sit, ut cœlum ac terra transeant, sed *inclusivam* ac *determinativam.* Sensus enim est, quod cœlum ac terra constituto divinitus tempore quidem sint transitura, interim legem Dei utpote normam æternæ

2) *ex nov. test.*

ternæ iustitiæ ac sapientiæ permansuram esse in æternum. Utitur autem Christus in describendo cœli terræque interitu voce παρερχεσθαι, quod est *praeterire*, *abire*, ita ut nullum prioris rei, quæ præcessit, maneat vestigium. Sic præterire dicitur *tempus*, Matth. XIV. 15. Marc. XIV. 35. *generatio hominum*, Matth. XXIV. 34. Marc. XIII. 30. Luc. XXI. 32. *homo praetergrediens*, Matth. VIII. 28. Marc. VI. 48. *navis*, Act. XVI. 8. *tempus huius vitae*, 1 Pet. IV. 3. Illæ res proprie dicuntur præterire, quæ cum semel præterierint nunquam revertuntur, iuxta illud Nasonis lib. III. de arte:

Nec quae praeteriit rursus revocabitur unda,
Nec quae praeteriit hora redire potest.

Cumprimis vero emphasis huius verbi pulcerrime exprimitur Sap. V. 9. παρηλθεν *transierunt mundana illa omnia tanquam umbra & tanquam nuncius transcurrens*, v. 10. *tanquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius cum praeterierit, non est vestigium invenire neque semitam itineris illius in fluctibus.* v. 11. *Aut veluti avis transvolantis aërem nullum invenitur itineris τεκμηριον.* v. 12. *Ictus autem alarum verberatum ventum levem & scissum vi stridoris commotis alis pertransit & post hoc non est inventum signum processus in eo, aut tanquam sagitta missa in scopum, divisus aër continuo in se resolutus est, ut ignoretur transitus illius.* Matth. XIII. 39. *Messis est* συντελεια του αιωνος. v. 40. & 49. *Sic erit in consummatione seculi huius.* Vocabulum συντελειας videtur desumtum ex Dan. IX. 27. εως συντελειας, *usque ad consummationem decretum est, quod perseverabit desolatio*, id est, usque ad finem mundi. XII. 4. *Obsigna librum εως καιρου συντελειας.* LXX. interpretes hoc nomine utuntur pro כָּלָה seu תְּכִלָּה pro finali & universali alicuius rei consummatione sive consumtione, 2 Reg. XIII. 17. Esdr. IX. 14. Neh. IX. 31. Psalm LVIII. 8. Ier. IV. 27. &c. sic dicuntur συντελειαι *sermones*, Matth. VII. 28. *dies*, Luc. IV. 2. Act. XXI. 27. ex quibus nihil reliquum manet. Matth. XXIV. 3. *Quod signum adventus tui & consummationis seculi?* XXIV. 6. Marc. XIII. 7. Luc. XXI. 9. *Oportet haec fieri, sed nondum το τελος* nec Hierosolymitani excidii, nec totius seculi. Matth. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt*, παρελευσονται, *verba autem mea non transibunt.* Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Act. III. 20. 21. *Oportet Christum cœlum capere usque ad tempora restitutionis omnium.*

§. IX. b) Ex *apostolis*. Rom. VIII. 21. *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei;* de hoc loco apostolico infra ex professo agetur. 1 Cor. VII. 31. Το σχημα του κοσμου τουτου παραγει. Iustinus in qq. & resp. ad orthod. quæst. XCV. p. 349. sic legit: παραγει το σχημα τουτου κοσμου ο θεος. Sed verbum παραγειν in nov. test. plerumque usurpatur *intransitive*. Nomine σχηματος utitur apostolus pro habitu sive conversatione externa in affectibus, gestibus & totius vitæ actionibus, Philip. II. 8. sicut & vox σχηματιζεσθαι de αναστροφη sive conversatione vitæ ac morum usurpatur, 1 Petri I. 15. intelligitur ergo per σχημα του κοσμου conversatio huius seculi, vita in hoc mundo, actiones huius vitæ atque una totus mundus; in hac enim vita homines ~~ducunt~~ *uxores, flent, gaudent, emunt,*

utuntur hoc mundo. v. 29. 30. & 31. Sed illud το χημα hic mundi habitus, hæc conversatio huius vitæ aliquando cessabit, quia *filii huius seculi nubunt ac nuptui traduntur, illi vero, qui digni habebuntur seculo futuro & resurrectione ex mortuis, nec nubunt nec nuptui dantur, nec ultra mori poterunt, aequales enim sunt angelis Dei.* Luc. XX. 34. 35. 36. Iustinus d. l. *Si praeterit habitus huius mundi, certum est, simul necessario alia omnia, quae propter habitum mundi sunt effecta, cum mundi habitu esse praeteritura, inducetur autem novum cœlum & terra, ubi iustis & iniustis factorum retributio fiet.* Ambrosius in comment. h. l. *Si forma mundi peribit, dubium non est, omnia, quae sunt in mundo, interire.* Quidam per το χημα intelligunt *speciem ac pulchritudinem*, ut sit sensus, quidquid in mundo habet externam aliquam speciem, quidquid est in mundo iucundum, voluptuosum & glorioſum, illud præteribit, quia nihil solidam felicitatem adfert in mundo, sed vana sunt, quæcunque sunt sub sole. Iac. Faber Stapulensis, quem sequitur Alciatus lib. II. παρεργων cap. 30. Το παραγειν interpretatur per *decipere seu fallere, blanda specie allicere.* Budæus exponit per παρεκτρεπειν *transversum agere*, cum in profanis scriptoribus in hac etiam significatione vocula illa usurpetur. Sed huius significationis exempla non occurrunt in sacris literis, & constat ex *locis parallelis* de mundi consummatione potius quam deceptione apostolum hic loqui. Psalm CXLIV. 4. ημεραι αυτω ωσει σκια παραγεσι. 1 Ioh. II. 17. ο κοσμος παραγεται. Mundus igitur *transire* dicitur, quia constituto tempore abolebitur, ita ut nullum eius remaneat vestigium, sicut transeunt sive prætereunt *viatores*, Psalm CII. 27. Matth. IX. 9. sicut luce adventante *tenebrae* prætereunt, 1 Ioh. II. 8. ac quia vox χηματος in scriptoribus Græcis de comœdiis usurpatur, ideo etiam hæc comparatio locum hic habere potest. Tota nostra in mundo vita nihil aliud est quam quædam comœdia, cuique enim nostrum imposita est certa quædam persona, quam decenter debet gerere, id est, cuique commissæ sunt certi alicuius officii partes. Quemadmodum igitur in comœdia variæ introducuntur personæ, quæ sibi invicem in certo ordine habito succedunt, & vicissim abscedunt, donec tandem totus adparatus removeatur, & nihil maneat reliqui; ita quoque res sese habet in hoc mundo, generatio una venit, altera abit, donec tandem mundus ipse simul transeat. Duæ in hac mundi scena sunt portæ, unam per nativitatem ingredimur, ex altera per mortem egredimur. Vestes, quibus ad personam nostram in hac fabula agendam induimur, sunt mundi bona, quæ commodato accipimus, qui regem agit, non auferet secum purpuram, quam in hac vita gestavit &c. Theodoretus in comment. huius loci: *Non amplius agricola & navigatio, non regna & imperia, non amplius servitus & dominium, non amplius artes & scientiae, non amplius paupertas & divitiae, ex his enim & quae sunt huiusmodi, constat vita praesens, futura enim habent aliam rerum differentiam.* 1 Cor. X. 11. Τα τελη, *fines seculorum in nos venerunt.* (Confer dicta superius §. VI.) XV. 24. *Deinde finis*, tum totius seculi, tum modi regiminis, quo Christus ecclesiam in hac vita gubernat. 2 Cor. IV. 18. τα βλεπομενα, προσκαιρα, τα δε μη βλεπομενα, αιωνια. Quidam per ea, *quae videntur*, specialiter intelligunt præsentis vitæ tribulationem, per ea, quæ non videntur, futuræ vitæ gloriam, quod col-

colligunt ex verſ. præcedente. Sed poteſt etiam accipi generaliter, quidquid in hoc mundo oculis obvium, tranſitorium eſt ac momentaneum, quod vero exſpectamus, æternum. Hebr. I. 11. adducitur oraculum Davidicum de cœli terræque interitu ex Pſalm CII. 26. Hebr. II. 5. *Non enim angelis ſubiecit οἰκουμενην μελλουσαν futurum orbem*, qui poſt huius οἰκουμενης tranſitum ſequetur. Heb. IX. 26. *Chriſtus ſemel επι συντελειατων αιωνων, in conſummatione ſeculorum, ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam adparuit.* Loquitur apoſtolus de primo Chriſti adventu, ut adparet, tum ex *finis huius adventus deſcriptione*, tum ex *ſecundi adventus oppoſitione*, v. 28. Quod ergo Chriſtus dicitur veniſſe επι συντελεια, accipiendum eſt ſenſu eo, quo prophetæ atque apoſtoli totum illud tempus, quod inter primum & ſecundum Chriſti adventum intercedit, ſolent vocare *noviſſimum*, Eſai. II. 2. Ier. XXIII. 20. Dan. II. 28. Mich. IV. 1. Act. II. 17. 1 Cor. X. 11. 1 Tim. IV. 1. 2 Tim. III. 1. 2 Petr. III. 3. 1 Ioh. II. 18. Cauſam *pluralis* numeri, quare apoſtolus dicat των αιωνων, expoſuimus ſuperius in homonymia. Heb. XII. 26. *Adhuc ſemel & ego movebo non ſolum terram, ſed & cœlum.* v. 27. *Quod autem adhuc ſemel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea, quae ſunt immobilia.* Hunc locum ad conſummationem ſeculi adcommodat Iuſtinus martyr in quæſtionibus & reſponſionibus ad orthodox. quæſt. XCIII. pag. 348. & addit: το δε σαλευομενον δηλοι την αυτε μεταϛασιν, ινα μεινη τα μη σαλευομενα ακινητα. Idem facit ex noſtris Philippus Nicolai libr. V. de vita æterna, qua de re quid ſtatuendum ſit, expoſitum vide in tractat. præced. de extremo iudicio §. XVI. 1 Petri IV. 7. *Omnium finis adpropinquat.* Το τελος ſignificat non ſolum finem & exitum, ſed etiam complementum, quando igitur completum erit tempus durationi huius ſeculi divinitus præfinitum, tunc ſequetur eius finis. 2 Petr. III. 7. *Qui nunc ſunt cœli & terra, reſervantur igni in diem iudicii.* v. 10. *Adveniet dies Domini, ut fur in nocte, in quo cœli magno impetu tranſibunt; ροιζηδον, cum ſtridore & fragore*, quod enim magna vi ac repentino impetu deſtruitur, magnum edit fragorem. Lutherus: *mit groſſem Krachen.* ροιζος eſt ſtridor & impetus ſive impetus cum ſtridore. Quemadmodum ædificii igne ſuccenſi contignationes ſuperiores magno cum fragore collabuntur, atque eo quidem maiore, quo ædificium ipſum eſt auguſtius; ſic univerſum hoc cœli terræque ædificium igne finali accenſum magno cum fragore conciet. Quemadmodum homo quandoque cum clamore vel gemitu ex intimo cordis receſſu ducto moritur; ſic quando virtus Dei conſervatrix ac ſuſtentatrix, quæ eſt quaſi anima mundi, a macracoſmo recedet, ultimum edet fragorem, ſive ſtridorem ac exanimis cadaveris inſtar collabetur. *Elementa vero calore ſolventur; καυσομενα λυθησονται*, comburentur & combuſta diſſolventur ſive diſſipabuntur. *Terra autem, & quae in ipſa ſunt opera, exurentur;* deſcendit apoſtolus a cœlo per elementa intermedia uſque ad terram, ut totam cœli terræque machinam deſtruendam eſſe ſignificet. v. 12. *Properantes in adventu diei Dei, per quam cœli igne ſuccenſi ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent; τακησεται colliqueſcent ac interibunt*, quæ enim tabe conficiuntur, interitui ſunt propinqua. Deſumta eſt hæc vocula ex Eſai. XXXIV. 4. *Tabeſcet omnis militia cœlorum.* v. 13. *Novos vero cœlos & novam terram ſecun-*

dum promissionem eius exspectamus &c. 1 Ioh. II. 17. *Mundus transit*, παράγεται, *& concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.* Qui mundanis adhærent, cum mundo pereunte transibunt, qui cœlestia quærunt, ac Deo vera fide & in spiritu adhærent, in æternum cum ipso vivent. Apoc. VI. 12. *Et vidi, & ecce terrae motus factus est magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis.* v. 13. *Et stellae ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur.* v. 14. *Et cœlum recessit sicut liber involutus, & omnis mons & insulae de locis suis motae sunt.* Aretas existimat hic describi *prodigia et miracula in passione Christi facta.* Ambrosius *excidium regni Iudaici* describi censet. Lyranus & alii accipiunt ut metaphoricam descriptionem horribilis illius *persecutionis*, quam Diocletianus & Maximinianus imperatores contra ecclesiam concitarunt, ut sic terræ motus significet persecutionis diuturnitatem & immanitatem, sol dicatur factus niger, quia Christus *sol iustitiae* in membris suis est denigratus & iniurioſe tractatus, *luna tota facta est sicut sanguis*, id est, universa ecclesia sanguine martyrum rubuit. *Stellae de cœlo ceciderunt*, id est, multi ecclesiæ doctores timore mortis in fidei confessione decederunt. Quidam adcommodant hanc descriptionem ad tempora antichristi; Hoc in comm. Apoc. p. 464. quam interpretationem satis aptam ac concinnam esse iudicamus, cum in hoc prophetico libro pleraque omnia parabolice sint accipienda. Quidam putant describi signa diem novissimum proxime antecessura ac horribilem omnium rerum perturbationem, quæ finem seculi proxime antecedet, quod colligunt ex v. 17. Plerique ex veteribus ad ipsam mundi destructionem in novissimo die futuram isthæc adcommodant, cum Esa. XXXIV. 4. iisdem vere verbis mundi interitus describi videatur. Confer Hieronymum & Cyrillum Alexandr. in comm. super Esaiam XXXIV. Eusebium lib. XI. de præparat. evangel. cap. de mundi innovat. Chrysostomum in hom. ad Neoph. Augustinum in Psalm CIII. Bedam & Primasium in comm. h. l. Apoc. X. 6. angelus *iurat per viventem in secula seculorum, tempus non fore amplius*, id est, mundum hunc interiturum, ac impios æternis pœnis tunc adficiendos, pios vero cœlesti gloria ornandos. XX. 11. *A facie sedentis super thronum fugit terra & cœlum, & locus non est eis inventus.* XXI. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare iam non amplius est.* v. 5. *Dixit, qui sedebat in throno: ecce nova facio omnia.* Ad hæc scripturæ dicta referri debent etiam illa, 1) in quibus Dominus ad iudicium dicitur *in igne venturus*, quia ignis ille cœlum, terram & omnia elementa consumet, 2 Petri III. 7. 2) In quibus mentio fit *novi cœli, ac novae terrae*, quia illa prioribus abolitis succedent, Esai. LXV. 17. 3) In quibus mentio fit *extremi iudicii*, quia iudicium extremum immediate sequetur totius universi consummatio, Matth. XIII. 39. 4) In quibus mentio fit *resurrectionis mortuorum*, quia resurrectio universalis futura est in die novissimo, qui ultimam huic seculo imponet clausulam, Ioh. VI. 39. *Et non resurget homo, donec non erunt cœli*, Iob. XIV. 12. 5) In quibus tempus Messiæ vocatur *dies novissimi*, Genes. XLIX. 1. Esai. II. 2. Mich. IV. 1. Act. II. 17. &c. Quod si enim dantur dies novissimi, utique etiam mundus aliquando cessabit.

§. X.

§. X. II) Ex *rationum momentis.* Illarum duæ possunt constitui classes. Quædam enim petuntur ex *natura creatoris Dei*, quædam ex *qualitatibus conditi mundi.* Ad *priorem* classem pertinent argumenta, quæ petuntur 1) ex *infallibili Dei veritate.* Deus in verbo suo prædixit, se constituto tempore mundum esse destructurum. Ergo hoc certissime futurum est, quia Deus cum sit *prima veritas*, mentiri nescit, Num. XXIII 19. 1 Sam. XV. 29. Heb. VI. 18. Omnia, quæ in scripturis prædicta exstant, definito tempore sunt secuta, ut quæ de diluvio, de Sodomæ excidio, de primo Salvatoris adventu, de Hierosolymæ destructione, de signis diem novissimum anteceßuris Spiritus sanctus per patriarchas, prophetas & apostolos prædixit, ea omnia evenerunt, utique ergo etiam illud de finali mundi excidio vaticinium non frustrabitur eventu. *Veritas praecedentium confirmat fidem sequentium.* Confer Augustinum epist. XLII. ad fratres Maudarenses. 2) Ex *decreti divini immutabilitate.* Deus ab æterno certum præfinivit mundo durationis terminum; ut enim immutabili sua voluntate constituit certum temporis punctum, quo mundus per creationem capere debuit exordium: ita eadem immutabili voluntate & decreto certum itidem constituit temporis punctum, quo mundus per conflagrationem debeat sortiri finem. Quare cum interitus mundi sit ex numero *των θελητων απλως*, id est, eorum, quæ vult Deus simpliciter & absolute, ideo ad illum recte adcommodari possunt oracula illa prophetica: Psalm XXXIII. 11. *Consilium Domini manet in aeternum.* Esai. XLVI 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Rom. IX. 19. *Voluntati eius quis resistet?* Hoc argumentum urget Petrus 2 epistol. III. 7. *Qui nunc sunt cæli ac terra, eodem sermone repositi*, τεθησαυρισμενοι, in thesauro divini consilii ac decreti quasi reconditi, *servantur igni in die iudicii & exitii impiorum hominum.* 3) Ex *iuramenti divini immobilitate.* Hebr. VI. 17. & 18. *Dei consilium ac Dei iuramentum* dicuntur *δυο πραγματα αμεταθετα*, quia nulla vi externa possunt moveri vel immutari. Iam vero de mundi interitu exstat in verbo patefactum non solum *Dei consilium*, sed etiam *iuramentum.* Matth. V. 18. ait Christus: *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut apex unus non praeteribit a lege.* XXIV. 34. *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec haec omnia fiant.* v. 35. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* ubi formula illa adseverandi ac iurandi recte refertur ad utrumque membrum. Confer Marc. XIII. 30. Lucæ XXI. 32. Cum primis vero huc pertinet, quod angelus Apoc: X. 6. *iurat per viventem in secula seculorum, qui creavit cælum, & quae in eo sunt, & terram, & quae in ea sunt, & mare, & quae in eo sunt, quod tempus non sit futurum amplius.* Per angelum enim illum intelligi *Christum*, patet tum ex præmissa descriptione, *fortis est* per divinam suam virtutem, qua omnes creatos angelos antecelit, *descendit de cælo*, per singularum præsentiæ suæ manifestationem, *amictus est nube*, id est, humana natura, quam in tempore adsumsit, *iris in capite eius*, quia reconciliavit nos Deo per passionem, *facies eius sicut sol luxit in transfiguratione*, Matth. XVII. 2. *pedes eius tanquam columnae ignis*, quia in iudicio finali hostes suos igne consumet; *pedem unum ponit in mari, alterum in terra*, quia ipsi *data est omnis*

II) Ex rationum momentis.

poteſtas in cælo, terra ac mari, omnia pedibus eius ſunt ſubiecta, Pſalm VIII. 7. LXXXIX. 26. Matth. XXVIII. 18. &c. Tum ex *locorum parallelorum collatione*, Apoc. I. 15. 16. IV. 3. V. 5. XI. 3. Tum ex *potiorum interpretum teſtificatione*, Primaſii, Bedæ & aliorum. Hic ergo increatus angelus angelorum omnium dominus ea, quæ de fine ſeculi prædicit, iuramento confirmat, quia noverat circa finem mundi fore εμπαικτας qui hæc non credant, 2 Pet. III. 4.

§. XI. Ad claſſem *poſteriorem* pertinent argumenta, quæ ducuntur 1) ex *primæva mundi creatione*. Quodcunque cœpit eſſe, illud etiam deſinit eſſe, niſi ſcilicet ad imaginem Dei immortalis ſit conditum, & ſupernaturali Dei virtute in æternum ſubſiſtat, quales ex omnibus creaturis ſunt ſoli angeli & homines. Iam vero mundus cœpit eſſe, per primam ſcilicet creationem. Ergo etiam deſinet eſſe, cum non ſit ad imaginem Dei conditus, nec ſupernaturali Dei virtute in æternum conſervandus. Hoc argumentum Petrus opponit εμπαικταις Chriſti ad iudicium ac mundi deſtructionem negantibus, 2 epiſt. III. 5. *Illud ſponte eos latet, cœlos iam olim exſtitiſſe creatos per Dei ſermonem & terram ex aqua & in aqua conſiſtentem;* id eſt, norunt quidem, aut ex ſacris literis facile intelligere poſſunt, mundum aſſe a Deo creatum, ſed ſtudioſe illud diſſimulant, ex eo vero colligere poterant ac debebant, mundum etiam eſſe interiturum. Si enim potuit Deus verbo ſuo mundum creare, utique etiam poterit eum verbo ſuo iterum deſtruere. Cyprianus lib. ad Demetr. ſect. II. *Haec ſententia mundo data eſt, haec Dei lex eſt, ut omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant, & infirmentur fortia, & cum infirmata fuerint, finiantur.* Athenagoras in legat. pro Chriſtian. *Mundus, quamquam Dei providentia regitur, non in eodem durare ſtatu poteſt, quoniam factus eſt.* (*) Minutius Felix in Octavio: *quis ſapientum dubitat, quis ignorat, omnia quae orta ſunt occidere, quae facta ſunt, interire?* Lactantius lib. VII. inſtit. cap. 1. *Quidquid eſt ſolido & gravi corpore, ut initium cœpit aliquando, ita finem capiat neceſſe eſt.* Baſilius hom. I. hexaem. *Quae ex tempore cœperunt, neceſſe prorſus, eadem ut aliquando deſitura ſint & conſummanda.* Damaſcenus lib. I. orthod. fid. cap. 3. Τα κτιζα ουτα, πιαντως και τρεπτα, ων γαρ το ειναι απο τροπης ηρξατο, ταυτα τη τροπη υποκεισεται παντως ει φθειρομενα, η κατα προαιρεσιν αλλοιωμενα. 2) Ex *primi mundi per diluvium deſtructione.* Hoc argumento itidem utitur apoſtolus v. 6. δι ων *is qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit.* v. 7. *Qui vero nunc ſunt cæli, eodem ſermone repoſiti ſervantur igni in diem iudicii.* Particulam δι ων vulgata reddidit *relative* per *quae*, ut reſpectus habeatur ad v. 5. præcedentem, in quo aquæ & verbi divini facta fuit mentio, per quæ antediluvianus mundus excidio fuit datus. Lutherus vertit *adverſative.* Quamvis terra Dei iuſſu conſiſtat δι υδατος ſive εν υδατι tanquam illi innatans, vel per aquam tanquam baſin, cui incumbit, Pſalm XXIV. 2. CXXXVI. 6. tamen eodem Dei iuſſu aqua primævo mundo fuit ολεθρευτικη ſive

(*) Baſilius hom. I. hexaem. fr. τα απο χρονε αρξαμενα παση αναγκη και εν χρονω συντελευθηναι. ει αρχην εχει χρονικην, μη αμφιβαλλης περι τε τελες, *ne dubites de fine.* GERHARDVS.

sive exitialis. Quidam reddunt *illative*, *quamobrem*, quo sensu etiam usurpatur cap. I. 4. Quia terra ex aqua & in aqua consistit, ideo facilimum Deo fuit, aquis diluvii mundum perdere. Scopus apostoli est, tum refellere hypothesin empæctarum, quod omnia in eodem statu ab initio creationis permanserint, id enim falsum esse ostendit prisci illius per diluvium inundatio ac vastatio; tum ex adlato diluvii exemplo adseverationem futuri interitus mundi per ignem deducere; ut ostendit antithesis aquæ & ignis. Prosper Aquitanicus de promiss. & prædict. Dei part. IV. cap. 7. *Finis diluvii 601. anno Noe terminatus finem mundi significat post sex aetates seculi.* Ad hoc argumentum reduci possunt alia particularium eversionum in terræ motibus & inundationibus exempla, quorum iam inde a prima mundi origine contigerunt longe plurima. Nicomedia, Nicæa, Antiochia, Tripolis, Damascus &c. terræ motibus concussa conciderunt, quædam urbes maris voragine & terræ hiatu sunt absorptæ. Atqui ut iudicia Dei particularia, quæ adversus ecclesiæ hostes & profligatæ impietatis homines exercet, sunt præludia universalis iudicii in die novissimo adversus omnes exercendi; sic particulares illæ urbium ruinæ sunt præludia universalis illius excidii, quo totus terrarum orbis in die iudicii interibit. 3) Ex *secutura novi cœli novaeque terrae creatione.* Si iuxta infallibilem Dei promissionem aliquando novum cœlum ac nova terra creabitur, utique oportet priora aboleri, quia ut verba apostoli, alio tamen fine & scopo ab ipso prolata, huc adcommodemus, *dicendo novum antiquavit prius, quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est*, Hebr. VIII. 13. Pulcre Clemens Romanus lib. III. recognit. *Necesse est, testam ovorum, quamvis pulcre & diligenter formata videatur frangi & resolvi, ut inde pullus procedat, & illud, pro quo totius ovi forma expressa videtur, adpareat: ita & huius mundi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni cælestis effulgeat.* 4) Ex *partium mundi corruptione.* Quotidianæ sunt in mundo generationum ac corruptionum vicissitudines, ac partes mundi videmus interire, utique ergo totus aliquando interibit. Lactant. lib. VII. inst. cap. 1. *Cum terram & aquam & ignem disperire, consumi, exstinguique videamus, quae sunt utique mundi partes, intelligitur id totum esse mortale, cuius membra sunt mortalia.* Augustinus in qq. vet. test. q. 28. *Res aeterna diversitatem abhorret, cum sit nec tactu nec visu capienda, utpote incorporalis; hic autem (mundus) passioni obnoxius est, quia & aqua repugnat igni, & ignis, si amplius fuerit, superat aquam, & terra, eum sit natura arida & frigida, patitur incendium, quasi res corporalis. Itaque inconveniens est mundum aeternum dicere, quem cum videmus passioni subiectum, & per secula senectute deficere credimus & finiri.* Mundus est ετεροκινητον, id est, aliunde regitur ac movetur, est ετεροσυνεκτικον, aliunde conservatur, & illa causa prima regens & conservans libere agit; ergo manum operi subtrahente, totum collabi necesse est. 5) Ex *quotidianae experientiae testificatione.* Constat publico & in oculos omnium incurrente experientiæ testimonio, totam rerum naturam ac totius universi molem quotidie magis magisque ad interitum vergere, vires creaturarum decrescere, ac tacita voce omnia clamare, quod finis mundi sit in propinquo. Singulæ mundi partes aliquam sentiunt debilitatem, in plantis minor virtus, in animalibus languidiores

res vires, ætas brevior &c. Cyprianus ad Demetrian. sect. III. *Scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea praevalebat &c. Quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat, ut nemo mirari debeat, singula in mundo cæpisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit & in fine* Et paulo ante: *Mundus ipse iam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur.* Serm. IV. de moral. circa finem: *Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa aedificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares &c. Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum sed fine testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus ruinis & plagis imminentibus exuaris?* Chrysostomus hom. XXXIII. in Ioh. *Non longe a fine absumus, sed iam mundus properat, hoc bella, hoc adflictiones, hoc terrae motus, hoc exstincta caritas significat. Quemadmodum enim corpus, iam adventante morte, innumeris malis adficitur, & domus prope casum in ruinas fatiscit; ita orbis terrarum ad finem properans tantis undique malis conteritur.* Idem in orat. de vanit. & brev. vitæ conqueritur, *nemini in mentem venire, quod haec mundana brevi ruitura sint, cum tamen res ipsae quotidie hoc clament.* Augustinus epist. XLV. ad Armentar. *Mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Nam quantum illi laudandi atque praedicandi sunt, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.* Hac de re in usu practico dicetur plenius. 6) *Ex solicita creaturarum exspectatione*, Rom. VIII. 19. ἡ ἀποκαραδοκια της κτισεως, *vehemens & anxia creaturae exspectatio*, qua velut exserto capite desiderat, *revelationem filiorum Dei exspectat.* v. 22. *Scimus quod tota creatura ingemiscat & parturiat,* συστεναζει και συνωδινει, *simul nobiscum ingemiscit, ac velut parturientis dolores sustinet usque adhuc;* ubi per insignem προσωποποιιαν και υποτυπωσιν exprimitur desiderium illud, quo tota rerum universitas a vanitate & a servitute corruptionis, cui in spe propter homines subiecta est, liberari expetit. Iam vero αδυνατον est, hos gemitus creaturarum a Deo non exaudiri, cum testetur Psaltes, quod etiam *pullos corvorum ad se clamantes audiat*, Psalm CXLVII. 9. quod *catulos leonum rugientes & quaerentes a Deo escam saturet*, CIV. 21. &c. 7) Ex *finis*, propter quem mundus conditus est, *remotione.* Homo non est praecipue ad hanc animalem, sed cœlestem vitam conditus, ut exacto in his terris vitæ transitoriæ curriculo cum Deo creatore suo in æterna gloria ac lætitia vivat. Ergo etiam mundus non est conditus, ut in æternum perseveret, sed ut homini ad hanc vitam necessaria per certum ac definitum tempus suppeditet; proinde etiam completo electorum numero abolebitur, & succedet novi cœli ac novæ terræ creatio, in quibus perfecta iustitia habitet, 2 Pet. III. 13. Terra ideo condita est, ut esset domicilium hominis viatoris; tota rerum universitas ideo creata est, ut esset speculum quoddam θεογνωσιας, & homini in via huius vitæ inserviret, ergo quando homo Deum a facie ad faciem videbit, ac in patriam adpulerit, adeoque viator esse desierit, nullus amplius erit huius seculi usus. Lutherus noster dicere fuit solitus: *die iezige Welt ist nur eine Vorberei-*

Vorbereitung und Gerüſte GOttes zu iener Welt, wenn das Hausfertig, ſo reiſſet man das Gerüſte ein.

§. XII. III) Ex *omnis generis hominum ſuffragiis.* Poſſunt illi itidem in duas claſſes diſtribui. Quidam enim ſunt *intra*, quidam vero *extra eccleſiam.* Ad *priorem* claſſem pertinent 1) *patriarchae, prophetae & apoſtoli*, qui immediato Spiritus ſancti adflatu impulſi finem mundi prædixerunt, quorum vaticinia in primo argumentorum genere enumeravimus. Memorabile cumprimis eſt, quod Ioſephus lib. I. antiq. cap. 2. circa finem refert, *nepotes Sethi obſervationes ſuas aſtronomicas, ne ex hominum notitia dilaberentur, excitatis duabus columnis inſcripſiſſe, quia noverant Adamum univerſalem rerum interitum praececinisse, unum incendio, diluvio alterum, ut ſi lateritiam columnam diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quae inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet.* 2) *Scriptores eccleſiaſtici*, qui unanimi conſenſu mundum certo tempore interiturum docuerunt, quamvis in eo ſententiis varient, utrum κατ' ϰσίαν mundus ſit annihilandus, an vero κατα ποιοτητας duntaxat immutandus, utinferius adparebit. Iuſtinus in orat. ad gent. *Deus confuſionem & interitum totius mundi, per quem mali angeli & daemones & homines non amplius exſtent, fieri nondum permittit propter ſemen chriſtianorum, quod naturae rerum cauſam eſſe novit &c.* Irenæus lib. IV. adv. hær. cap. 8. *Et quid de Ieruſalem dicimus, quandoquidem & figuram mundi univerſi oportet praeterire, adveniente tempore praeteritionis ipſius, ut fructus quidem in horrea colligatur, paleae autem derelictae comburantur.*

III) *Ex omnis generis hominum ſuffragiis.*

Novatianus presbyter, lib. de Trin. *In operum divinorum ſinu carbonum medius eſt ignis, quoniam ad igneum iudicii diem mundus iſte feſtinat.* Origenes hom. V. in Gen. *Adparet filius Loth didiciſſe quaedam de conſummatione mundi, quae immineret per ignem, ſed tanquam puellae non integre perfecteque didicerant, neſcierunt quod Sodomitis regionibus de vaſtatis igne, multum adhuc ſpatii integrum reſideret in mundo, audierunt, in fine ſeculi terram & omnia elementa ignis ardore decoquenda.* Lactantius lib. VII. inſt. cap. 14. *Nos, quos divinae literae ad ſcientiam veritatis erudiunt, principium mundi finemque cognovimus.* Baſilius hom. I. in hexaem. *Ne male perſuaſus credas, mundum hunc ut nullam aliquando ſortitum originem, ita nec ullo fine olim contrahendum. Praeterit enim figura huius mundi.* Gregorius Nyſſenus de hominib. opif. cap. 23. *Quemadmodum ſecula Dei verbo condita eſſe intelligimus, atque de rebus nuſquam adparentibus, ut apoſtolus ait, ea, quae cernuntur, facta eſſe credimus; eadem perſuaſione hoc etiam Dei verbum amplectimur, quo res univerſas a motu ceſſaturas neceſſario praedixit.* Olympiodorus ad Eccl. XII. *Sicut per verbum Dei creatura mundi creata eſt, ita et divino iuſſu quandoque reſolvetur.* Plura huius generis dicta ſubiungentur in quæſtione, an mundus κατ' ϰσίαν an κατα ποιοτητας ſit interiturus.

§. XIII. Ad *poſteriorem* claſſem pertinent, 1) *iudaei*, 2) *gentiles.* Iudæorum cabbaliſtæ diſtinguunt inter עוֹלָם הַזֶּה *ſeculum praeſens* & עוֹלָם הַבָּא *ſeculum venturum.* Sic enim loquuntur: שְׁנֵי עוֹלָמוֹת עוֹלָם הַזֶּה וְעוֹלָם הַבָּא Schindlerus in voce עלם. Gentilium Sibyllæ de fine mundi prophetarunt, ut conſtat ex illis quæ in

præced. artic. de extr. iudic. ſunt adducta. Illis adde quæ lib. II. orac. Sibyllin. exſtant:

Tunc ardens fluvius cælo manabit ab alto,
Igneus atque locus conſumet funditus omnes,
Terramque oceanumque ingentem & caerula penti
Stagnaque, tum fluvios, fontes, ditemque ſeverum,
Cæleſtemque polum, cæli quoque lumina in unum
Fixa fluent forma deleta prorſus eorum,
Aſtra cadent etenim de cælo cuncta revulſa.

Proſper de promiſſ. & prædict. Dei part. IV. cap. 20. citat hoſce verſiculos Sibyllæ:

Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit,
Sic pariter fontes, torrentes, flumina que igni.

Græca ſic habent lib. II. orac.

Και τοτε δη ποταμος τε μεγας πυρος αιτοθενοιο
Ρευρει απερανοθεν, και παντα τοπον δαπανησει,
Γαιαν τ' ωκεανον τε μεγαν, γλαυκην τε θαλασσαν,
Λιμνας και ποταμους, πηγας και αμειλιχον αδην
Και πολον ερανιον.

Lib. III. orac.

Τοτε δη ϛοιχεια πρόπαντα
Χηρευσει, κοσμω οποταν θεος αιτεριτειων
Ουρανον ειλιξει, καθαπερ βιβλιον ειλειται.
Πεϛσειται πολυμορφος ολος πολος ενχθονι δια
Και πελαγει, ρευϛε δε πυρος μαλερω κετερακτης
Ακαματος, φλεξει δ' αιαν, φλεξει δε θαλασσαν
Και πολον ερανιον, και ηματα και κτισιν αυτην
Εις εν χωνευσει &c.

Notus eſt verſiculus Orphei:

Εκτη εν γενεη κοσμος καταπαυσετ' αοιδοις.

Iuſtinus in lib. de monarch. pag. 82. adducit verſus Sophoclis:

Εϛαι γαρ εϛαι κεινος αιωνων χρονος,
Οταν πυρος γεμοντα θησαυρον χαση,
Χρυσωπος αιθηρ, η δε βυσκηθεισα φλοξ,
Απαντα τα πηγεια, και μεταρσια
Φλεξει πανεισ οταν δε εκλιπη το παν.
Φρηδος μεν εϛαι κυματων απας βυθος,
Τε δ' εδραιων ερημος, εδ' αρ' ετι
Πτερωτα φυλα βασασει πυρημενη.
Και γαρ καθ' αδην δυο τριβες νομιζομεν,
Μιαν δικαιων, χατεραν αδικων οδον,
Καπεια σωσει παντ' α προθ' απωλεσεν.

Venient enim illa ſeculorum tempora,
Cum ſolvet imbres ignis aether aureus.
Cremabit ergo flamma vi graſſans ſua,
Et hic & illic ſumma & infima omnia.
Sic univerſitate cuncta perdita,
Undis carebit omnis alveus ſuis.
Sedes requiret terra, nec poſthac aves
Geſtabit aer igne vaſtatus leves.

Binas

Binas avarus semitas orcus habet,
Unam bonis, sed alteram partem malis.
Est omnibus quoque terminus rebus suus.
Sed cuncta, quae periere, restituet Deus.

Clemens Alexandrinus lib. V. στρωματ. cap. 7. edit. Lat. p. 607. adducit hæc Diphili comici:

Erit nae erit novum nam tempus seculi,
Quando ignis effundet refertas copias,
Auratus aether, flamma quae pasta & fuit,
Terrena cuncta, cunctaque & sublimia
uret furens,
Sed universum ubi defecerit,
Totum profundum tunc peribit fluctuum,
Tellus manebit & deserta, non enim
Pennata producet, folia igne torrida
Servabit, at deinde cuncta quae perdiderat.

Ovidius lib. I. metamorph. fab. 9.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Idem in eleg.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Lucretius lib. V.

Una dies dabit exitium, multosque per annos
Sustentata ruet moles & machina mundi.
Nec me animus fallit, quam res nova miraque menti
Accidit, exitium cæli terraeque futurum.

Lucanus lib. I. Pharsaliæ.

Sic cum compage soluta
Secula tot mundi postremaque egerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet.
Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.
Communis super est mundo rogus, ossibus astra
Mixturus &c.

Eusebius lib. XI. de præparat. evang. cap. 17. adducit locum Platonis in Timæo: *Tempus cum cœlo factum esse tradit, ut simul facta simul etiam dissolvantur, si quando dissolutio quaedam eorum fiet.* Athenagoras in legat. pro Christ. Minutius Felix in Octavio & Eusebius lib. III. præpar. ev. cap. 15. testantur: hanc fuisse etiam Stoicorum doctrinam, inter quos omnium vetustissimi, ut Zeno, Cleantes & Chrysippus &c. tradiderunt, *omnia post longos circuitus in ignem & aevum resolvenda.* Seneca, Stoicorum vestigiis libenter insistens, in libro de consolat. ad Martiam sub fine sic scribit: *si tibi potest esse solatio commune fatum, nihil, quo fiat, loco habit, omnia-*

que fiernet, adducetque secum vetustas, supprimet montes, sorbebit maria. Et postea: *cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent, sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia uno igni, quidquid nunc ex dispositu lucet, ardebit.* Minutius Felix d. l. Epicureos *de elementorum conflagratione & mundi ruina*, eadem cum Stoicis sentire adserit. Lactantius lib. VII. inst. cap. 1. de Epicuro philosophico scribit, *ea in re ipsum fuisse veridicum, quod mundum & ortum & aliquando interiturum dixerit.* Lib. eiusdem cap. 14. *Etiam seculares prophetae finem rerum adnunciant.* Hieronymus lib. XIV. in Esaiam: *etiam philosophorum mundi haec est opinio, omnia, quae cernimus, igni peritura.* Theophilus Antiochenus lib. II. ad Autolyc. *Quod conflagrationem mundi nolentes volentes consentiunt cum prophetis philosophi, quamvis temporis respectu his multo sint iuniores, attamen ea ex lege & prophetis suffurati sunt.* Haec omnia saniores gentiles vel ratiocinio humano collegerunt, ruituram scilicet ac desituram tandem illam molem tot temporum motibus conquassatam inferentes, vel ex schola patriarcharum in Ægypto perceperunt απο πηγης αρυσαμενοι τα δογματα, *ex vero fonte sua dogmata haurientes*, ut de illis loquitur Theophilus Alexandrinus contra gentes lib. I. Quia vero in hac adsertione sibi non constiterunt, ut ex seqq. adparebit, ideo recte de illis pronunciat Lactantius d. l. quod non *comprehenderint veritatem, sed leviter tantum odorati fuerint, ita ut nullo modo senserint, unde eos odor ille sapientiae tam suavis, tam iucundus adflarit.*

Antithesis. §. XIV. *Antithesis.* Orthodoxiam in hoc doctrinae coelestis capite labefactant, quidam *directe*, quidam *oblique*, quidam *intra* ecclesiam, quidam *extra* ecclesiam. Intra & extra ecclesiam mundum finem habiturum esse negant εμπαικται, *illusores et epicuraei*, quorum voces μιμητικως a Spiritu sancto exprimuntur: Esai. LVI. 12. *Venite, sumamus vinum, & inebriemur sicera, & erit secundum diem hunc eras vel maior erit valde*, id est, sicut continuantur dies, ita quoque continuabimus compotationes, quin & ad hodiernam intemperantiam crastinus dies maiora adiiciet incrementa. At si metuerent, ne hodierno vel crastino die finis mundi adesset, non tam secure voluptatibus indulgerent. 2 Pet. III. 3. *Venient in novissimis diebus empaectae iuxta proprias concupiscentias ambulantes*, v. 4. *ac dicentes, ubi nunc promissio adventus eius, ex quo enim patres obdormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.* Confer 2 Tim. III. 1. Iudae v. 18. sed in die novissimo reipsa intelligent, sese plurimum fuisse hallucinatos. Intra ecclesiam *haeretici* varii, 1) *Cerinthus* per coeli terraeque destructionem ac novorum coelorum creationem nihil nisi Hierosolymitanae urbis devastationem ac reipublicae Iudaicae instaurationem intelligendam esse voluit. 2) *Innominati quidam haeretici* apud Augustinum de haeres. cap. 67. *hunc mundum in eodem statu, in quo nunc est*, docebant *esse mansurum.* 3) *Aeternales* ex dicto Genes. VIII. 22. perpetuo huius seculi statum absque ulla rerum mutatione mansurum colligebant. 4) *Origenes* apud Hieronymum tom. III. fol. 69. epist. 59. ad Avitum: *quid cavendum in libris Origenis περι αρχων cap. 3. successivam quamdam mundorum creationem & destructionem statuit. Rursum ait Origenes de mundo: nobis autem placet & ante hunc mundum alium fuisse mundum & post istum*

ipſum alium futurum. Vis diſcere, quod poſt corruptionem huius mundi alius ſit futurus? audi Eſaiam loquentem: erit cœlum novum & terra nova, quæ ego facio permanere in conſpectu meo. *Vis noſſe, quod ante fabricam iſtius mundi alii mundi in praeterito fuerint? auſculta Eccleſiaſten:* quid eſt, quod fuit? ipſum quod erit. Et quid eſt, quod factum eſt? ipſum quod futurum eſt. Et non eſt omne novum ſub ſole, quod loquatur & dicat: ecce hoc novum eſt, iam enim hoc fuit in ſeculis priſtinis, quæ fuerunt ante nos. *Quod teſtimonium non ſolum fuiſſe, ſed futuros mundos eſſe teſtatur, non quod ſimul & pariter omnes fiant, ſed alius poſt alium.* Sic ergo Origenes exiſtimabat *plures fore mundos per ſucceſſionem*, quam fuiſſe etiam philoſophi Democriti opinionem refert Simplicius teſte Thoma comm. I de cœlo cap. 9. 5) *Felicis Manichaei* regula erat, quam pertinaciter contra Auguſtinum defendebat: *Non modo quod genuit, ſed etiam quod fecit Deus, immutabile & aeternum eſt, ſicut ipſe immutabilis eſt & aeternus.* Auguſtinus de actis cum Felice lib. II. cap. 19. 7) *Albanenſes* dicunt, quod *mundus iſte ſemper fuit, nunquam habebit finem, quod iudicium futurum iam factum eſt, & amplius non fiet.* Guido de Albanenſibus Antonin. part. IV. tit. 11. cap. 7. §. 5. (*)

§. XV. *Extra eccleſiam* negarunt mundum interiturum: 1) *quidam ex Iudaeis.* Philo integrum librum ſcripſit hoc titulo περι αφθαρσιας τυ κοσμυ, quod *mundus ſit incorruptibilis*, in quo inter cætera ſic loquitur: *dicere mundum divinitus occidere flagitioſiſſimum eſt. Neque enim Deus auctor eſt inordinationis, confuſionis, interitus, ſed ordinis, venuſtatis & vitae, omnisque eum cauſam boni eſſe in confeſſo eſt, apud eos, qui veritatem profitentur.* 2) *Mahumet* in colloquio cum Iudæis *praeter hunc alium mundum factum eſſe negatur, qui ſit perpetuus.* Cent. Magd. VII. col. 610. 3) *Quidam gentiles.* Diodorus Siculus lib. I. biblioth. p. 6. edit Græc. *De primo hominum ortu duae apud ſummae auctoritatis phyſiologos & hiſtoricos* παρα τοις ονομαστοτατοις και νομιμωτατοις των τεφυσιολογων και των ιστορικων, *ſententiae habentur. Alii enim horum, qui & ortus & interitus expertem eſſe mundum ſtatuunt, hominum etiam gentes ab aeterno ſine ullo generationis principio exſtitiſſe adfirmant. Alii contra, qui & genitum hunc mundum & corruptioni obnoxium eſſe cenſent, perinde atque illum homines quoque certo tempore ortum conſecutos eſſe adſeverant.* Idem libro II. biblioth. p. 116. *Chaldaei mundi quidem naturam ſempiternam eſſe perhibent, quae neque certum principii ortum habeat, neque corruptionem ullo deinceps tempore admittat.* De Pythagoræis idem teſtatur Philo d. l. Xenophanes *mundum nec factum nec interiturum, ſed* ατελευτητον και αφθαρτον eſſe docuit, referente Galeno lib. de hiſtoria philoſ. cap. 42. in adpend. oper. p. 5. & Plutarcho lib. II. de placit. ac decret. philoſ. cap. 4. Plato, *quia cæleſte myſterium, quod non niſi*

(*) Sub annum Domini 1001. cum multi diem finis mundi prædixiſſent, eorumque prædictio deprehenſa eſſet falſa, nata eſt hæreſis dicentium *mundum eſſe incorruptibilem*, quæ ſe ſancti Petri Iocco 2 epiſt. III. tueri conabatur, uti ex Abbone, abbate Floriacenſi, refert Baronius anno dicto. GERHARDVS.

a prophetis ac Deo docente discitur, ignorabat, ideo in perpetuum dixit esse mundum fabricatum, ut de ipso loquitur Lactantius lib. VII. inst. cap. 1. non longe a princ. *Platonici mundum ortum habuisse, nunquam autem interiturum* dicebant, referente Damasceno in lib. de hæresib. pag. 575. Aristoteles cum non videret, quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, & hanc præscriptionem vellet effugere, *semper* ait *fuisse mundum ac semper futurum*, ut de ipso loquitur Lactantius d. l. Sane Scaliger exerc. III. & Conimbricenses VIII. physic. II. q. 2. art. 2. summum philosophum excusare conantur, quod *mundum duntaxat ingenitum esse* dixerit, ac *naturaliter eum interiturum* negaverit; sed contra eos multis insurgit Taurellius de rerum æternit. part. II. p. 260. Confer lib. VIII φυσικ. *axp.* text. 4. 10. 11. 15. 53. 76. & lib. I. de cœl. text. 20. & 22. lib. XII. metaph. text. 30. & 48. in lib. meteor. *ridiculum esse* adserit, *ob paucas leveque mutationes mundi totius permutationem statuere, indeque universi cladem colligere.* Pro Aristotelis opinione acerrime pugnat Averroës lib. IV. physic. comm. 6. & lib. VIII. physic. comm. 4. & 15. lib. I. de cœlo comm. 22. &c. eamdem vero late refellit Thomas lib. II. contra gentil. cap. 32. & part. I. q. 46. art. 1. Cicero lib. II. de nat. deor. totum mundum nec ortum esse nec finem habiturum, sed partes eius aliquas propter exustiones eluvionesque terrarum interituras. Plinio tribuitur vesana illa opinio, quod senserit *mundum esse numen aeternum neque genitum neque interiturum, totum in toto, imo ipsum totum.* Galenus itidem de mundi duratione iudicandum putat ex præcedentium temporum experientia: *semper ita fuit, sic igitur perdurabit.* Manlius de eo sic canit:

Non alium videre Patres, aliumve nepotes
Adspicient? . . . . .

Columella in procem. lib. de re rust. *Quas ego causas P. Sylvani procul a veritate abesse certum habeo, quod neque fas est, existimare rerum naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donavit, quasi quodam morbo sterilitate adfectam, neque prudentis, credere tellurem, quae divinum & aeternam iuventam fortita communis omnium parens dicta sit, quia & cuncta peperit, semperque & deinceps paritura sit, velut hominem senuisse.* Porphyrius Christianos ob hoc maximæ arguebat stultitiæ, etiam ex oraculis deorum suorum, quod istum mundum dicerent esse periturum, referente Augustino lib. XX. de civ. Dei cap. 24. ubi contra Porphyrium vel maxime urget locum Psalm CII. 27. Proclus philosophus in epicherematibus, *mundum incorruptibilem* esse contendit, cuius argumenta recitat ac refellit Iohannes Grammaticus, vulgo dictus Philophonus, in libro, quem ea de re adversus Proclum scripsit. Atque hæc de mundi æternitate opinio philosophis adeo familiaris est, ut Tertullianus lib. I. adv. Marc. cap. 13. scribat, *plerosque physicos formidasse, initium ac finem mundo tribuere.* Contra hos ac similes graviter invehitur Augustinus serm CXLIII. de temp. *Mundum aeternum esse dicitis, semper futurum, nunquam finiendum.*

§. XVI. Quomodo vero de fine mundi gentiles certi quid statuere potuissent, cum nec de *origine* nec de *duratione* eiusdem invicem secum, vel etiam cum veritate consenserint? De origine tres potissimum amplexi fuere opiniones. Quidam enim *mundum ab aeterno*

terno fuisse, quidam *in tempore eum existere cæpisse*, quidam *ex fortuito atomorum concursu novos quotidie mundos nasci & interire* somniarunt. De durazione mundi mirificas foverunt sententias. Plato in Timæo p. 706. dicit, *ante novem annorum millia alias fuisse Athenas, & longe praestantiores cives.* Ibidem Soloni exprobratur a sacerdote quodam Ægyptio, quod *Graeci semper sint pueri ob ignorantiam rerum veterum, quae apud ipsos & Aegyptios contigerunt*, cum e diverso in commentariis Ægyptiorum οκτακισχιλιων ετων, *octo annorum millium historiae* consignatæ exstent. Libr. I. de legibus scribit, *Aegyptios annorum decem millia egisse ante alios homines.* Lib. III. de legibus dicit μυριαχις μυρια ετη, *decies millies dena millia annorum ignorari.* Herodotus lib. II. p. 47. refert, *Aegyptios ab Hercule usque ad Amasim, Aegypti regem, numerare septendecim annorum millia*, cum quo fere congruit illum Diodori Siculi lib. II. biblioth. cap. 2. *Aegyptios ab Hercule numerare plusquam decem annorum millia.* Lib. II. cap. 1. *Heroes in Aegypto regnasse paulo minus decem & octo annorum millibus.* Lib. II. cap. 8. *Chaldaeos quadraginta tria annorum millia numerare usque ad Alexandri adventum*, ex quo astrorum observationes abs se coeptas gloriantur. De iisdem Chaldæis testatur Cicero lib. I. de divinat. quod *aut fluite, aut vane, aut imprudenter*, vel ut Lactantius iudicat lib. VII. inst. cap. 14. *delire* quadraginta & septuaginta annorum millia in literarum suarum monumentis consignata se habere gloriati fuerint. Prometheum *ad triginta annorum millia Caucaso religatum fuisse a Iove ob monstratum hominibus ignem*, ex Æschylo refert Ludovicus Vives in expos. lib. XVIII. de civ. Dei cap. 8. Socion lib. XXIII. successionis, narrat a Vulcano Nili Ægyptii filio, cui ignis inventionem & philosophiæ principia tribuunt, usque ad Alexandrum magnum fluxisse *annos quadragies octies mille, octingentos, sexaginta tres.* Plinius libr. XXX. nat. histor. cap. 1. ex Eudoxi testimonio scribit, *Zoroastrem, Bactrianorum regem, quinque millibus annorum ante bellum Troianum fuisse.* Plutarchus vero libr. de Iside & Osiride ex aliorum commentariis memorat, *praecessisse eum tempora belli Troiani quinque annorum millibus.* Confer Neandrum in theolog. in cap. de vit. ætern. p. 690. Constat autem in ecclesia, 1) mundum certo tempore a Deo conditum; 2) nec dum a prima mundi origine sex millia annorum effluxisse, quod tempus, si ad æternitatem comparetur, est στιγμη, μαλλον δε μοριον βραχυτατον στιγμης, ut Plutarchus in oration. consolat. ad Apollonium; 3) mundum certo & divinitus constituto tempore iterum esse interiturum.

§. XVII. Cæterum pro mundi æternitate adstruenda adferuntur tum *scripturae* dicta, tum quædam ex *rationis* principiis deducta argumenta. 1) Scripturæ dicta potiora hæc sunt: 1) Gen. VIII. 22. *Cunctis diebus terrae sementis & messis, frigus & aestus &c. non cessabunt.* Resp. contrarium potius ex hoc oraculo divino demonstravimus superius §. 7. 2) Deut. XXXIII. 15. mentio fit *collium* עלם, quod Chaldæus reddidit דלא פסקן *qui non cessant.* Vulgata: *collium aeternorum.* Resp. ostendimus superius vocem עולם non semper in scripturis significare absolutam æternitatem, sed longum tempus præteritum aut futu-

Argumenta pro mundi aeternitate. 1) ex scripturis.

turum, cuius duratio fere est abscondita, descendit enim a radice עלם *abscondit;* pro ratione igitur subiectæ materiæ explicanda est, ac dicuntur *colles seculi* vel respectu temporis præcedentis, quod *a seculo*, id est, iam inde a prima mundi origine exstiterint, quo modo Chaldæus reddidit Genes. XLIX. 26 דְּמִן עָלְמָא *qui sunt a seculo*, vel respectu temporis sequentis, quod *in seculum*, id est, usque ad mundi finem sint permansuri. 3) Psalm. LXXXIX. 29. *In aeternum servabo illi misericordiam meam.* v. 30. *Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli. Si dies cœli sunt aeterni, etiam ipsum cœlum erit aeternum.* Resp. Si cœli nomine intelligatur beatitudo piorum in futuro seculo; tum utique dies huius cœli sunt æterni, quia beatitudo est æterna, qua ratione *dies cœli* opponuntur *diebus terrae*, Gen. VIII. 22. Sin vero *cœli* nomine intelligatur cœlum stellatum sive firmamentum, quod perpetua circumrotatione dierum ac noctium discrimina in hoc visibili mundo efficit; dicendum erit, quod coniungatur duratio regni Messiæ usque ad finem mundi & usque in omnem æternitatem, sicut Christus promittit Matth. XXVIII. 20. se adfuturum piis *ad consummationem seculi*, ac 1 Thess. IV. 17. dicitur, quod in æternum præsens sit suis futurus, ex quo tamen inferri nequit, præsens seculum in æternum duraturum, quia vox συντελειας contrarium evidenter testatur. Utraque explicatio fidei est analoga, interim tamen prior textui magis congruit, tum quia æternitatis descriptio præcedit, לעד tum quia *dies cœli* a diebus terræ videntur distingui. 4) Psalm CXLVIII. 6. *Stare fecit ea* לְעוֹלָם וָעֶד *in perpetuum, in seculum statutum dedit, & non praeteribit.* Resp. v. 3. in genere de omnibus creaturis dicitur: *ipse praecepit, & creata sunt.* At nemo dixerit, omnes creaturas esse æternas. Accipiuntur ergo voces עד & עולם non *aeternaliter* sed *temporaliter*, pro constituto divinitus cuique creaturæ durationis termino, ut sit sensus: Deus corporibus cœlestibus præscripsit certos motus, & quibusvis creaturis sua munia, suum ordinem, quem observant usque ad diem novissimum. 5) Eccles. I. 4. *Generatio praeterit, & generatio advenit, terra autem in aeternum stat;* Hebræum: לְעוֹלָם cum quo congruit illud Psalm CIV. 5. *Fundasti terram super basin suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Resp. qui mundum non secundum substantiam interiturum, sed secundum qualitates duntaxat immutandum statuunt, respondent, *terram permansuram in aeternum*, ratione scilicet *substantiae.* Salonius in comm. h. l. Sed hypothesin illam, si non falsam, tamen dubiam & incertam esse, suo loco ostendemus. Quidam respondent, *Salomonem ut alia in hoc libro, ita quoque hoc ipsum dicere non secundum divinam eamque occultam veritatem, sed secundum id, quod humana ratio manifeste adsequi potest.* Dicere ergo eum, quod terra sit permansura & nunquam peritura, cum nobis nihil de eius futuro interitu liquido constet, & propterea, quod iam tot seculis eam permansisse animadverterimus, permansuram quoque in sempiternum, credendum nobis videatur. Sed hoc ipsum contra pertinacem adversarium vix demonstrari potest. Quidam respondent, hæc & similia dicta accipienda esse κατα δοκησιν, homines enim existimant, terram in æternum permansuram. Sed hæc explicatio est nimis diluta, neque enim verisimile est, Spiritum sanctum falsam hominum opinionem voluisse stabilire, vel saltem fomenta eidem subministrare.

re. Reſpondemus igitur ex illis, quæ ſuperius tradita, vocem עולם hoc loco ſignificare æternitatem non abſolutam, ſed *periodicam & determinatam*, videlicet certum aliquod diuturni temporis ſpatium, cuius duratio ab oculis hominum eſt abſcondita. Ex oppoſitione ſenſus eſt manifeſtus: *generatio praeterit, & generatio advenit*, id eſt, homines moriuntur & oriuntur, eſtque perpetua viciſſitudo venientium in mundum & ex mundo diſcedentium; ſed terra perſeverabit ſtabilis, nimirum uſque ad terminum durationi ſuæ divinitus præfixum. Alcuinus, Caroli magni præceptor in comment. h. l. *Terra in ſeculum ſtat, non in ſecula ſeculorum, quia cælum & terra tranſibunt, & ecce facta ſunt omnia nova.* 6) Eodem ſenſu accipiendum quod Eccleſ. III. 14. dicitur: *didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perſeverent* לעולם, *in ſeculum non in aeternum* quia v. 1. *omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt*, ſed in conſtitutum durationis ſuæ terminum. Quod ſi enim abſoluta æternitas hic intelligeretur, omnia Dei opera, etiam bruta & corpora mixta forent æterna. 7) Eſai. LIV. 10. *Montes recedent, & colles nutabunt, miſericordia autem erga te non recedet;* id eſt, futurum potius, ut montes recedant, quam ut miſericordia mea recedat. Reſp. ex aliis ſcripturæ dictis conſtat, hæc non eſſe accipienda per comparationem impoſſibilium, ſed imparium. In liberatione finali, quæ per Chriſtum nobis continget, quando ad vitam æternam excitabimur, vere recedent montes, ſed *miſericordia ipſius confirmata eſt ſuper nos in aeternum*, Pſalm CXVII. 2. 8) Ier. XXXI. 35. *Haec dicit Dominus, qui dat ſolem in lumen diei, ordinem & lunae ſtellarum in lumen noctis.* v. 36. *Si defecerint leges iſtae coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſrael deficiet, ut non ſit gens coram me cunctis diebus. Atqui eccleſia manet in aeternum.* Reſp. benevola ac benefica hæc eſt promiſſio, quod Deus uſque ad finem mundi ſibi aliquam ex genere humano colligere velit eccleſiam, eamdemque adverſus hoſtes perpetuo tueri, ſed ex eo inferri nequit, vel mundum nunquam interiturum, vel eccleſiam una cum mundo interiturum, quia incluſio unius non eſt excluſio alterius. Deus colliget ſibi eccleſiam, & ſervabit eam usque ad mundi finem, non tamen poſtmodum eam deſeret, ſed ad ſe in cœleſtem gloriam transferet, ut cum ipſo in æternum vivat ac triumphet. Hieronymus in comm. h. l. *Interrogemus Iudaeos, ſi cœli peribunt & omnes quaſi veſtimentum veteraſcent, quo modo ſemen Iſrael poteſt eſſe perpetuum? aut enim pereuntibus cœlis peribit & ſemen Iſrael, aut ſi fuerit perpetuum, ergo nec cœli peribunt. Quod ſi ſcriptura mentiri non poteſt, et perituri ſunt cœli, peribit igitur & ſemen Iſrael, maxime cum & Iacob loquatur ad filios*: venite & adnunciabo vobis, quid futurum ſit in noviſſimis diebus. *Quando autem dicitur, in noviſſimis diebus, ergo mundus ceſſabit, & alia fiet rerum diſpoſitio. Hoc adverſum illos. Caeterum noſtris mundum iſtum non eſſe perpetuum, etiam evangelium demonſtrat dicens*: Cœlum & terra tranſibunt; & ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. *Dicamus & aliter. Quamdiu mundus iſte fuerit, ſemen Iſrael & gentem Iudaicam permanſuram, non in his, qui nunc increduli ſunt, ſed in his, qui cum apoſtolis & per apoſtolos crediderunt, ut reliquiae ſalvae fierent.* Poſſet etiam reſponderi, comparationem in eo conſiſtere, quod quemadmodum naturalis ordo rerum in curſu ſolis, lunae ac ſtellarum nullis viri-

bus humanis mutari potest, ita adversus ecclesiam nullas hostium vires esse prævalituras: sed ex eo inferri nequit, quod ne quidem ab ipso Deo ille rerum ordo mutari possit; contrarium enim reipsa iam ante demonstravit Ios. X. 13. Esai. XXXVIII. 8.

§. XVIII. II) *Rationes* formantur eiusmodi: 1) a *stabili naturae perpetuitate. Si omnia ab initio creationis in eodem statu perseverabant, utique etiam deinceps in perpetuum eodem modo permanebunt. Sed verum prius. Ergo & posterius.* Hoc argumento usuros empæctas risu Sardonio conciones de mundi fine irridentes ostendit Petrus 2 epist. III. 4. Sed apostolus illis respondet negando tum *connexionem propositionis* tum *assumtionem argumenti.* Connexioni opponit mundi creationem. Si Deus potuit mundum creare, utique etiam potest eum iterum destruere. Quod autem Deus olim creaverit mundum, illud probat ex propriæ conscientiæ testimonio. *Sponte ipsos latet*, inquit, *cœlos iam olim extitisse per Dei sermonem.* Neve exciperent, quæstionem esse de *Dei voluntate*, an scilicet velit mundum destruere, non de *potestate*, an illud facere possit, ideo addit, *eos, qui nunc sunt, cœlos ac terram repositos eodem Dei sermone servari igni in diem iudicii.* Assumtioni opponit *diluvium;* quia enim priscus ille mundus aqua inundatus periit, ex eo manifestum, non esse veritati consonum, quod omnia ab initio creationis ita permanere dictitant; ideo etiam diluvii mentionem facit, ut ostendat, Deo facilimum esse, totam rerum naturam unico verbo, imo nutu, convertere & everti ere. Forte etiam mentione diluvii apostolus nos deducere voluit ad arcum post diluvium in nubibus erectum, cuius color purpureus mundum igne conflagraturum esse nos admonet, sicut cæruleus diluvii est monumentum. Adde quod argumentum ab experientia temporis præcedentis ad durationem rei in futurum ductum sit perquam lubricum, quia præcedentis temporis historia docet, qualis res fuerit hactenus, non autem qualis in posterum sit futura, ac de rei duratione non iudicandum est ex statu antegresso, sed ex natura ac voluntate causæ conservantis. Iustinus in everss. dogm. quorumdam Aristot. *Quod mundus esse cœpit, & aliquid est, & mire durat, voluntas Dei in causa est.* Iam vero Deus causa mundi conservans certum constituit diem, in quo totum hoc mundi ædificium destruere velit. 2) *A consequente absurditate. Si cœlum utpote Dei thronus, ac terra scabellum pedum ejus interibit, adeoque Dei domicilium destruetur, utique etiam ipse Deus interibit.* Esai. LXVI. 1. Act. VII. 49. Hoc argumento veteres quosdam hæreticos fuisse usos, testis est Irenæus libr. IV. adv. hæres. cap. 6 p. 236. *Quoniam* (inquit) *malignantes dicunt: Si enim cœlum thronus Dei est, terra subpedamentum eius, dictum est autem praeterire cœlum & terram, hisque praetereuntibus oportet etiam hunc Deum, qui supersedeat, praeterire, & ideo non hunc esse Deum, qui sit super omni.* Irenæus vero respondet illis hoc modo: *primo quidem nesciunt, quid sit cœlum thronus, & terra subpedaneum. Nec enim sciunt, quid sit Deus, sed putant eum more hominis sedere & contineri, non autem continere. Sed & praeteritionem cœli & terrae ignorant. Paulus autem non ignoravit dicens:* praeterit autem figura huius mundi. *Deinde quaestionem eorum solvit David; figura enim huius mundi praetereunte non solum Deum ait perseverare, sed & servos eius,*

II) ex rationibus.

Psalm

Psalm CII. 26. 27. *dicens ita*: initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem perseverabis &c. *manifeste ostendens, quae sint, quae praeterierunt, & quis est, qui semper perseverat Deus cum servis suis &c.* Nos simplicissime respondemus: primo ne quidem in sublunaribus & humanis procedit hoc argumentum, quod domicilio destructo etiam pereat habitator. Secundo *Deum nec cœlo nec terra contineri, sed cœlos palma metiri ac tribus digitis molem terrae adpendere.* Esai. XL. 12. unde negatur *super terram habitare*, 1 Reg. VIII. 27. eo scilicet modo, ut contineatur mundo, sicut homo continetur domus suæ habitaculo, ac ut ad sui existentiam mundo indigeat, additur enim *quod cœli cœlorum eum non capiant*, 2 Paral. II. 6. VI. 18. Tertio Deus ab æterno exstitit, antequam cœlum & terra crearentur, Psalm. XC. 2. Prov. VIII. 22. &c. ergo etiam destructo cœli terræque opificio in æternum permanere potuit. Sed in re manifesta pluribus opus non est. 3) *A divinae voluntatis immutabilitate. Si Deus mundum utpote aedificium a se constructum iterum destrueret, voluntas eius mutaretur, ac similis esset architecto destruenti, quod aedificaverat.* Resp. Deus ut non est in sua essentia ac voluntate mutatus per *mundi creationem*, ita quoque non mutabitur per *mundi destructionem.* Constituit ab æterno certum diem, in quo totum hoc universum destructurus est, ut scripturæ oracula testantur. Quod si ergo non destrueret, id est, si non faceret, quod se facturum constituerat, tum utique voluntatis eius consilium mutaretur. Nec vitio vertitur architecto, si ædificium vetustate attritum ac ruinæ proximum destruat, eiusdemque loco novum longe splendidius & augustius erigat. Clemens Romanus lib. III. recognit. inducit Simonem magum Petro apostolo eiusmodi quæsitum proponentem: *si visibile istud cœlum, ut ais, dissolvetur, cur ab initio factum est?* respondet Petrus, *propter hominum praesentem hanc factum esse vitam, ut esset interiectio quaedam ac divisio, ne quis forte indignus habitationem cœlestium & Dei ipsius sedem videret, quae his solis, qui mundi corde sunt, videnda praeparantur.* Excipit Simon: *si conditor bonus est & mundus bonus est, quomodo bonus bona dissolvet aliquando? Si autem quasi malum resolvit ac destruit, quomodo non videbitur malus, qui malum fecit?* Petrus respondet: *audi ergo nunc; cœlum istud, quod visibile est, & pertransit, si quidem propter semetipsum factum esset, haberet fortassis, quod dicis, aliquid rationis, quia resolvi minime deberet. Si vero propter aliud quid factum est, & non propter se necessario solvetur, ut illud, pro quo factum videtur, adpareat.*

CAPVT III.

DE CAVSA EFFICIENTE CONSVMMATIONIS SECVLI.

Causa efficiens destructionis mundi.

§. XIX. *Causa efficiens principalis* sive agens primarium in mundi destructione est ipse Deus, quod probatur 1) *scripturae dictis*: Psalm CII. 27. Hebr. I. 11. *Cœli sicut vestimentum veterascent, & sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur.* Dan. II. 45. *Lapis sine manibus abscissus consumit ferrum, aes, testam &c.* Hagg. II. 7. *Movebo cœlum*

lum & terram. 1 Cor. XV. 24. *Euacuabit Christus omnem principatum & potestatem & virtutem.* 2 Petr. III. 12. *Per diem Domini cœli igne succensi solventur*, id est, in novissimo illo die Deus cœlos igne dissolvet. Apoc. XX. 11. *A facie sedentis super thronum fugit terra & cœlum.* Huc pertinent etiam illa scripturæ dicta, in quibus Deus dicitur *ignis consumens*, Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. in quibus dicitur *in igne ad iudicandum venturus*, Psalm L. 3. Esai. LXVI. 15. &c. quia ignis ille divina virtute excitatus omnia vastabit & consumet; in quibus *cœlum & terra* dicuntur *verbo Dei* τεθησαυρισμενα και πυρι τηρουμενα, 2 Pet. III. 7. quia hoc *repositum in Dei thesauris.* Deut. XXXII. 34. 2) *argumentis* a) a *primaeva creatione.* Idem, qui in principio cœlum & terram condidit, in fine seculi eadem destruet. Psalm CII. 26. *Initio tu Domine fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt cœli*, v. 27. *mutabis eos ut vestimentum.* 4 Esd. VI. 6. *Facta sunt omnia creata per me solum & non per alium, & finis per me solum, & non per alium.* b) *A mortuorum resuscitatione & extremi iudicii administratione.* Is, qui dormientes ex terræ pulvere excitabit, & ad iudicium eos vocabit, etiam mundum & omnia, quæ in eo sunt, abolebit. Esai. LXVI. 16. *In igne Dominus iudicabit & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti a Domino.* c) *A secutura novi cœli ac novae terrae creatione.* Is qui nova creabit, vetera etiam antiquabit; Esai. LXV. 17. *Ecce ego creo cœlos novos &c.* Erit autem hæc mundi destructio *actio Dei extraordinaria* ac *singularis*, quia si generalem causæ primæ concursum in mundi sustentatione ac gubernatione respicere velimus, iuxta eum perpetuo durare posset mundus, sed quando Deus manum suam quasi subtrahet, *ac faciem suam vertet*, Psalm CIV. 29. tunc totum mundi ædificium collabetur; *omnia enim iam in ipso συνεστηκε*, Col. I. 17 ac *omnia portat verbo virtutis suae*, Hebr. I. 3. Errabant igitur stoici, qui, cum audierant mundum conflagraturum, ad causas naturales illam conflagrationem referebant dicentes eam fore, *cum humore consumto nec terra ali nec aër remeare posset*, referente Cicerone lib. II. de natur. deor. Iustinus in orat. ad gent. *Nos exustionem fore dicimus, sicut stoici tradunt, iuxta naturae rerum inter se omnium mutationis rationem, quod turpissimum adparet &c.*

§. XX. Agens *instrumentale* in hoc δεδργηματι est *ignis.* 2 Pet. III. 7. *Qui nunc sunt cœli & terra, eodem Dei sermone repositi igni reservantur in diem iudicii.* v. 10. *In die Domini cœli magno impetu transibunt, elementa vero καυσουμενα, igni accensa, solventur, terra autem, & quae in ea sunt opera exurentur.* v. 12. *Per diem Domini cœli πυρουμενοι, igniti, solventur, & elementa igne accensa tabescent.* Huc referenda sunt omnia scripturæ dicta, quæ *Dominum in igne ad iudicium venturum* testantur, Psalm XI. 6. L. 3. XCVII. 3. Esai. LXVI. 15. & 16. Dan. VII. 9. Soph. I. 18. III. 8. 2 Thess. I. 8. Apoc. IV. 5 XX. 9 quia igne illo tota rerum universitas conflagrabit. Typus huius conflagrationis proponitur in excidio Sodomitico, in quo *Dominus a Domino sulphur & ignem cœlitus depluit*, Gen. XIX. 24. unde Christus in concione de extremo iudicio ac fine mundi ad illud nos remittit, Luc. XVII. 29. quem sequuntur apostoli Petrus 2 epist. II. 9. Iudas v. 7. ac de hoc destructionis medio gentilibus aliquid ex schola patriarcharum innotuisse testantur dicta ex ipsorum monumentis superius

Causa instrumentalis.

rius adlata. Quemadmodum corpora maleficorum igni quandoque adiudicantur; sic Deus in noviſſimo die examine mundi cadaver conſervatrice virtute deſtitutum igni adiudicabit, quo in cineres ac favillas, imo in nihilum redigatur. Nemini etiam dubium eſſe debet, quin crebra illa incendia, quæ paſſim graſſari & videmus & audimus, ut & thermæ ſulphureæ paſſim etiam in ſeptentrionalibus regionibus hoc tempore erumpentes admoneant nos de univerſali illo incendio, quo totus terrarum orbis brevi conflagrabit. Si quis a nobis quærat, *cur Deus primum mundum aquis diluvii perdiderit, cœlos autem & terram, quae nunc ſunt, igne ſit conſumturus?* Illi ſimpliciſſime reſpondemus, *quia ſic placuit*; cum enim voluntas Dei ſit cauſa ſumma, ideo fruſtra alia quædam ſuperior cauſa quæritur. Probabiliter interim dicimus, quod primus mundus non erat penitus & in univerſum deſtruendus, ſi quidem nondum completus erat electorum numerus, ac Noa cum liberis in ſeminarium generis humani divino miraculo ſervabatur, ideo non ignis conflagratione, ſed aquarum inundatione mundum illum perdere Deo placuit; ſed in fine ſeculi completo omnium electorum numero totalis παυολεθρια ſequetur, cui efficiendæ ignis flamma vorax eſt omnium aptiſſima. Aqua purgat, ignis deſtruit & abſumit. Poſſumus etiam non abſurde cogitare, quod quemadmodum Deus flagrantes primi illius mundi libidines diluvii aquis exſtinxerit, ſic refrigeſcentem in noviſſimis mundi temporibus caritatem igne extremi iudicii accenſurus ſit.

Qualis ignis ille ſit futurus.

§. XXI. De hoc igne παυολεθριω multa diſputant ſcholaſtici magis *curioſe* quam *fructuoſe*; non *apodictice* ſed *ſceptice & academice*, non ex *certis ſacrarum literarum fundamentis*, ſed ex *rationis humanae praedicamentis*, unde cum Auguſtinus lib. XX. de civ. Dei cap. 16. de igne, quo mundus conflagrabit, & in quem damnati ſunt in die iudicii mittendi, modeſte dixiſſet: *cuiusmodi ille ignis & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui Spiritus divinus oſtendit*; Ludovicus Vives, vir doctiſſimus in comm. ad ea ſic adnotat ſcholaſticorum curioſas de eo diſputationes perſtringens: *neminem vero? Non interfuiſti digladationibus ſcholaſticis, ubi nullus eſt vel baccalaurius vel magiſtellus, qui ignoret, ignem fore elementarem illum, cuius domicilium eſt inter aërem & lunae globum deſcenſurum, eum ſcilicet & incendio ſuo reliqua tria purgaturum elementa. Quod ſi hoc parum probas, non deerunt, qui perſancte deierent, futurum ignem ex incendio radiorum ſolis in media plaga aëris excitato coeuntibus eo denſiſſimis & ardentiſſimis radiis velut in ſpeculum cavum & chalybeum. Sed non eſt mirum, tuo tempore non tantus erat ignis uſus, quantus nunc, cum, ut theologos omittam, philoſophi ſive Decembri medio, ſive medio Iulio nihil aliud ore, manibus pedibusque tractant & verſant, quam ignem. Ex philoſophis fiunt theologi, & hanc philoſophandi rationem etiam in ſcholas ſanctiores transferunt, propterea iſtis longe facilius eſt de igne definire, quam tibi & tui aequalibus vel maioribus.*

De ignis huius 1) natura & conditione.

§. XXII. Poſſunt vero omnia, quæ de iſthoc igne ſcholaſtici & eorum veſtigia legentes pontificii diſputant ad quatuor principalia capita revocari: 1) de ignis *illius natura & conditione*, 2) de eius ori-

gine ac generatione, 3) de eius *effectis ac operatione*, 4) de *tempore ac duratione*. 1) Naturam ac conditionem eius Bonaventura lib. IV. sent. dist. 47. sic describit, quod *futurus sit elementaris*; quod probare possit hisce rationibus: 1) quia *Deus non amplius creat novas species*, Gen. II. 2. 2) *Per ignem elementarem potest peragi conflagratio. At natura agit per pauciora, multo magis Deus, naturae dominus.* 3) *Sicut per elementum aquae facta est mundi purgatio, sic per ignis elementum fiet eiusdem destructio ac conflagratio.* Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 16. *Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut est factum mundanarum aquarum inundatione diluvium.* 4) *Scriptura absolute ac simpliciter vocat ignem.* At in fidei articulis το ρητον arcte tenendum. Alii contra statuunt, fore ignem *prorsus novum ac praeternaturalem* ab elementari igne specie distinctum, quorum sententia stabiliri posset hac ratiocinatione, quia ignis ille finalis differt ab elementari 1) ratione *causae efficientis*: quia ex causa supernaturali, ab omnipotente scilicet Dei virtute extraordinarie hic agente, adeoque ab igne iræ divinæ accendetur; 2) ratione *obiecti*: consumet hic ignis non solum aërem & terram, sed etiam mare, seipsum & omnia creata angelis & hominibus exceptis; 3) ratione *effecti*: quia elementaris ignis incinerando, hic vero annihilando operationem suam peraget. Adde, quod ignis, quo Sodomorum urbes conflagraverit, a Domino peculiariter dicitur excitatus Genes. XIX. Quidam purgationem mundi non tam per *ignem* fore statuunt, quam per *rerum purgandarum ignitionem*, qualis est in ferro candente, quod non ipsam ignis formam substantialem, sed vehementem calorem recipere falso asserunt. Nos hic malumus επεχειν, quam alterutram ex his sententiis, eiusdemque rationes refellere; iudicamus enim in his ac similibus quæstionibus, tutiorem esse ignorantiæ confessionem, quam temerariæ scientiæ opinionem. Nescitur, qualis futurus sit ignis infernalis, & quis audebit exponere, qualis futurus sit ille ignis conflagrationis? *Ut boni grammatici Varro dicebat esse quaedam ignorare, ita multo magis cordati theologi est, aequo animo nescire velle, quae Deus in verbo suo noluit revelare*; interim circa posterioris sententiæ rationes notamus, posse Deum etiam rem naturalem ad effectus supernaturales instrumentaliter producendos divina & infinita sua virtute evehere, ut historia miraculorum & institutio sacramentorum manifestum faciunt.

§. XXIII. II) De *origine ac generatione* huius ignis sex potissimum eminent sententiæ: 1) Quidam existimant, elementum ignis ex concavo lunæ globo descensurum, ut reliqua tria elementa expurget. Hieronymus Natalis in meditat. evang. p. 4. *Ignis elementum convertetur versus terram.* Iosephus a Costa de noviss. temp. p. 588. *Omnium elementorum acerrimus ignis extremas partes in hac contentione obibit, ac veluti firmissimo robore creaturarum pro Deo pugnantium adversus sceleratos agmen claudens impressione facta funditus evertet & profligabit.* Hæc opinio nititur hypothesi ea, quod ignis ille futurus sit naturalis & elementaris, quodque non annihilando, sed expurgando operationem suam sit peracturus. 2) Quidam subtilius philosophantur, *certo siderum concursu ultimum illud ac universale orbis incendium excitatum iri, quando scilicet omnia*

II) origine ac generatione.

mnia ſidera, quae nunc diverſos agunt curſus, in Canerum convenerint. Hæc opinio mathematicis præcipue arridet. 3) Quidam ſuſpiciuntur, *ex radiis ſolaribus ardentiſſimis ac denſiſſimis in nubibus mediam aeris regionem occupantibus quaſi in ſpeculum concavum coeuntibus productum iri hoc incendium.* 4) Sunt qui opinantur, *ex ultimae tempeſtatis impetu & fulgurum frequentia accedente cœleſtium influentiarum virtute ac potentia acceſſum iri hunc ignem.* 5) Quidam opinantur *ex ſubterraneis terrae cavernis, in quibus ignem concluſum teneri metallorum foſſores teſtantur, hoc incendium erupturum*, ac obvii cuiusque abſumtione tantopere invaliturum, ut ad ſphæram ſuam naturalem adſcendat, ac elementari igni aduniatur. 6) Gregorius de Valentia tom. IV. comment. in Thomam p. 2276. communiorem ac verisimiliorem ait eſſe ſententiam, *excitatum iri illum tam ingentem ignem ex concurſu repentino omnium naturalium cauſarum, quae poſſunt unquam in mundo ad ignis generationem concurrere*, (Bonaventura lib. IV. ſent. diſt. 47. art. 2. *Non ſolum ignis, qui eſt in ſua ſphaera, ſed omnes ignes, & qui ſuper terram & ſub terra ſunt, concurrent ad illam conflagrationem.) ac quidquid in igne illo craſſum, deſcenſurum cum impiis ad infernum ad pœnam damnatorum, quod autem ſubtile & lucidum, remanſurum in partibus ſuperioribus ad gloriam & laetitiam beatorum.* Nobis hic probatur modeſtia Auguſtini d. l. qui *hominem ſcire* arbitratur *neminem, cuiusmodi & in qua mundi parte futurus ſit ille ignis, niſi cui forte Spiritus Domini revelaverit.* Religio igitur nobis eſt, ea quæ in verbo revelata non ſunt, definire, & quæ captum humanum exſuperant, ſcrupuloſius inquirere.

III) *Effectis & operatione.*

§ XXIV. III) De *effectis & operatione* huius ignis reſpectu mundi deſtruendi duæ potiſſimum exſtant ſententiæ. Quidam enim *purgandi* duntaxat ac *emundandi*, quidam vero *annihilandi* vim huic igni tribuunt. Priorem opinionem plerique ex ſcholaſticis & pontificiis amplectuntur. Poſterior ſententia emphaticis ſcripturæ dictis magis convenire videtur, qua de re inferius ex profeſſo diſputabitur, quando de forma conſummationis quæſtio inſtituetur. Si in genere de actionibus huius ignis quæratur, Barradius libr. IX. comment. in conc. evangel. cap. 11. pag. 590. tres eius actiones fore adſerit. *Prima* erit *terrae combuſtio;* 2 Petr. III. 10. *Terra, & quae in ipſa opera ſunt, conſumentur;* exuret igitur terram, arborem, herbas, flores, animantia omnia, domos, metalla & omnia, quæ ſunt in terra opera, rediget in cineres. Ephremus libr. de pœnitentia cap. 4. *Cum viderimus igneum fluvium ab ortu ſolis usque ad occaſum emanantem, & veluti ſaeviens fluctibus mare, montes ac valles devorantem, terramque omnem, & quaecunque ſunt in illa, exurentem.* Conſentimus Barradio in hac ignis actione, ſed improbamus a) quod ab obiecto huius combuſtionis excipit *cœlos*, cum apud apoſtolum v. 12. diſerte addatur οι κρανοι πυρωθεντες λυθησονται; b) quod ignem illum *omnes homines*, qui tunc vivent, dicit eſſe interfecturum, ac tam bonorum quam malorum corpora incineraturum, qua in parte ſequitur Thomam in ſuppl. quæſt. 74. art. 7. Carthuſianum 1 Theſſ. IV. Abulenſem in Matth. XXIV. quæſt. 187 Sed contrarium adſerit apoſtolus 1 Cor. XV. 51. *Non omnes obdormiemus, ſed omnes immutabimur.* 1 Theſſ. IV. 17 *Nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum nubibus obviam Domino.* Contrarium adſerunt patres plerique omnes. Confer ea,

ea, quæ in præcedente articulo de resurrectione mortuorum in quæstione de immutatione vivorum dicta sunt uberius §. 115. & sequentibus. c) Quod combustionem illam extremo iudicio præmittit. Contrarium ostendimus in tractatu de morte, non longe a principio. *Secundam* ignis illius actionem Barradius fore dicit, *hominum iustorum purgationem.* Idem statuunt quidam ex veteribus & scholastici fere omnes. Origenes hom. III. in Psalm LXIII. *Omnes venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus, veniet tamen ad illum ignem.* Similia habet lib. VIII. in epist. Rom. homil. XIV. in Luc. & hom. XIII. in Ier. Lactantius lib. VII. inst. c. 21. *Iustos cum iudicaverit Deus, etiam igne eos examinabit.* Ambrosius in Ps. XXXVI. *Igne purgabuntur filii Levi, igni Ezechiel & Daniel.* In Ps. CXVIII. octon. 3. *Et si aliquis ut Petrus sit vel Iohannes, baptizatur hoc igne.* Thomas in supplem. quæst. LXXIV. art. 8. *Ignis, quantum pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos & bonos, qui vivi reperiuntur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo. In quantum vero aget ut instrumentum divinae iustitiae, diversimode aget in diversos, quantum ad pœnam sensuum. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur, boni vero in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, & divina virtute fiet, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporis patiantur. Boni vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne plus vel minus pro meritorum diversitate.* Glossa ordinaria 2 Thess. I. *Ignis, qui praecedet Christum, exuret terram, & purgabit electos.* Iosephus a Costa lib. IV. de nov. temp. c. 22. p. 639. *Igne illo, qui faciem iudicis iam descendentis praecedet, ubique grassante sceleratos arsuros puto, probos & iustos purgandos quidem, si quid labis insederit, ut insinuat apostolus 1 Cor. III. sed non necandos.* Hieronymus Natal. in medit. evang. p. 4. *Beatorum quidem materia corporum purgabitur per ignem, damnatorum non purgabitur. Viventium autem exurentur corpora, & sanctorum quidem purgabuntur, sed non adfligentur, eorum videlicet, qui sine ullo reatu pœnae inventi fuerint, malorum vero non purgabuntur, sed adfligentur aliorum animae, & corpora temporali pœna purgabuntur.* Sed hanc secundam ignis actionem negamus, a) quia, ut in principio tract. de noviss. monuimus, scriptura de purgandis materiali quodam igne piis nihil quidquam continet. b) Destituitur hæc opinio unanimi piorum veterum consensu. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 18. *Quaerat aliquis, an post factum iudicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum novum & terra nova reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, ubi erunt sancti, cum eos habentes corpora, in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quo non adscendet flamma illius incendii, quemadmodum nec undæ diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint. Sed nec ignem illius conflagrationis pertimescent immortales atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illaesa potuerunt.* Ex quo etiam constat librum 50. homiliar. in quo hom. XVI. contrarium statuitur, Augustini non esse. Statuimus igitur pios in *occursum Domino in aera raptos*, 1 Thess. IV. 17. ab ignis illius conflagratorii flammis prorsus immunes futuros, perinde ut Noahus cum suis in arca a diluvii aquis fuit conservatus. Resurgent enim in corporibus spi-

spiritualibus ac glorificatis, proinde etiam incorruptibilibus, in quæ nec ignis nec aqua nec ulla vis externa, ne ipsius quidem satanæ quidquam agere poterit. c) Origenes & Ambrosius *omnes* omnino *homines* ignem illum transituros statuunt, ad eorum igitur auctoritatem pontificii provocare nequeunt, quippe qui justos a pœna peccati adhuc persolvenda liberos eum pertransituros esse negant. d) Nititur hæc opinio falsis hypothesibus compluribus, videlicet quod *remissa culpa piis adhuc incumbat debitum luendae pœnae*, quod *detur materialis quidam ignis peccatorum labem expurgans*, quod *ignis judicii sit omnia, sic etiam hominum corpora purgaturus*, quod *morituri sint, quos dies novissimus deprehendet vivos*, quod *1 Corinth. III. agatur de purgatorio quodam igne post hanc vitam peccata expurgante*, quod *conflagratio per ignem praecessura sit extremum judicium &c.* Tertiam ignis actionem Barradius statuit *mundi expurgationem. Expurgabit enim cœlos & elementa juxta illud* 2 Pet. III. 12. Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore liquescent. *Expurgabuntur igitur cœli & elementa igne. Habent enim quasdam veluti sordes, quas ex peccatis hominum & daemonum contraxerunt. Nam quemadmodum violatum scelere homicidii templum sordes contrahit quasdam morales, indigetque expiatione; sic violatus infantis hominum flagitiis mundus sordes contrahit, a quibus est expurgandus. Admiscentur praeterea elementis extraneae adfectiones & substantiae, quae illa quodammodo contaminant, ideoque decoquendae sunt, ut omnino pura ac sincera reddantur.* Atqui apostolus non nudæ duntaxat expurgationis, sed dissolutionis, exustionis, liquefactionis adeoque interitus & abolitionis meminit, qua de re suo loco plenius. IV) De *tempore* ac *duratione* conflagrationis in scripturis nihil exstat revelatum; ideo caveat humana præsumtio temere in alterutram partem quidquam adseverare. Ludolphus Carthusianus de vit. Christi part. II. cap. 87. hisce tribus ignis actionibus addit quartam. *Habebit*, inquit, *iste ignis officium quatuor ignium, videlicet ignis infernalis ad reproborum punitionem, ignis purgatorii ad bonorum a venialibus purgationem, ignis terrestris ad vegetabilium & sensibilium consummationem ac corporum incinerationem, & ignis elementaris ad elementorum subtiliationem & innovationis eorum dispositionem.* Sed de hac quarta ignis actione in tract. de inferno dicemus.

§. XXV. *Antithesis.* Seneca in naturalibus quæstionibus lib. III. *per aquas periturum mundum* censet; quam inundationem prolixe describit. ac in *novo illo mundo post diluvium restituto illum hominem* dicit *esse restituendum, qui sit insciis scelerum & melioribus auspiciis natus.* Addunt quidam ex Berofo futuram illam inundationem, quando *sidera omnia, quae nunc diversos agunt cursus, in Capricornum convenerint.* Sed contrarium ex scripturis facili negotio demonstrari potest. Cumprimis vero apostolus Petrus destructioni mundi per aquas in diluvio factæ opponit finalem mundi destructionem per ignem futuram, quæ oppositio evidenter docet, mundum universum non esse aliquando per aquam periturum 2 epist. III. 6 Οτοτε κοσμος υδατι κατακλυσθεις απωλετο. v. 7. Οι δε νυν ουρανοι και η γη πυρι τηρουμενοι. &c.

CAPVT IV.

DE MATERIA CONSUMMATIONIS SECVLI.

Materia destructionis, totus mundus.

§. XXVI. *Materia sive patiens* in hac conflagratione erit *mundus* sive *tota rerum universitas cum omnibus partibus & contentis*, exceptis solis angelis & hominibus. Probatur hoc 1) ex *dictis generalibus*. 4. Esdr. VI. 6. *Finis omnium creatorum.* VII. 30. *Convertetur seculum in antiquum silentium.* Matth. XIII. 39. 40. 49. XXIV. 3. XXVIII. 20. *Consummatio seculi.* Rom. VIII. 21. *Creatura liberabitur a servitute corruptionis.* 1 Cor. VII. 31. *Transit figura huius mundi*; ubi nomen *mundi* generaliter accipitur pro tota cœli terræque machina & omnibus in ea contentis. X. 11. *Fines seculorum.* Hebr. IX. 26. *Consummatio seculorum.* 1 Petr. IV. 7. *Omnium finis adpropinquat.* 1. Ioh. II. 17. *Mundus transit.* 2) Ex *dictis specialibus*, quæ cœli, solis, lunæ, stellarum, terræ, montium, maris elementorum &c. mentionem faciunt. Constat ex adcurata locorum Scripturæ collatione, nomine *cœli & terrae* omnes mundi partes ac totum systema universi cœlestibus & elementaribus corporibus constans comprehendi, Esai. l. 2. Ergo quando cœlum ac terra dicuntur interitura, omnium creaturarum interitus significatur. Iob. XIV. 12. *Do, nec non erunt cœli.* Psal. LXXII. 7. *Donec non amplius luna.* XCVII. 5. *Montes sicut cera fluxerunt.* CII. 27. *Cœli peribunt, & sicut vestimentum veterascent.* Esai. XXXIV. 4. *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu.* LI. 6. *Cœli sicut fumus deficient, & terra sicut vestimentum veterascet, & habitatores eius similiter sicut haec interibunt.* Ioel. III. 20. *Sol & luna obtenebrabuntur, & stellae retrahent splendorem suum.* v. 21. *Movebuntur cœli & terra.* Soph. I. 18. & III. 8. *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae.* 4 Esd. XVI. 15. *Ignis succenditur & non exstinguetur, donec consumat fundamenta terrae.* Matth. V. 18. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XVI. 17. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt* 2 Petr. III. 10. *Cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra, & quae in ipsa sunt opera, exurentur.* v. 12. *Cœli igne succensi solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Apoc. VI. 12. *Sol factus est niger quasi saccus cilicinus, luna tota facta est, sicut sanguis.* v. 13. *Et stellae cœli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos immaturos.* v. 14. *Cœlum recessit sicut liber involutus, & omnis mons & insulae de locis suis motae sunt.* XX. 11. *A facie sedentis super thronum fugit cœlum & terra, & locus non est eis inventus.* XXI. 1. *Primum cœlum & prima terra abiit, & mare jam non amplius est.* 3) Ex *rationibus*: a) Quæcunque sunt creata, in fine mundi iterum destruentur. b) Quibus creaturis adhæret corruptio, illis in fine seculi continget *liberatio ab hac corruptionis servitute*, Rom. VIII. 21. c) Deus in fine seculi *nova faciet omnia*, Apoc. XXI. 5. 4) Ex *veterum* suffragiis. Quotquot mundum secundum *substantiam* interiturum statuunt, illi etiam eumdem cum omnibus partibus & contentis destruendum esse adserunt.

§. VIII.

Excipiuntur ab ea angeli & homines.

§. XXVII. Interim tamen *angelos & homines* ab hac conflagratione excipimus. Vtrique sunt *boni* vel *mali*. *Angelos bonos* ignis illius flammas nequaquam sensuros in propatulo est; sancti enim sunt & a peccato immunes, ergo etiam a peccati pœna. *Homines bonos* ab hoc igne exceptos fore constat, ex eo: 1) quia resurgent in corpore incorruptibili, immortali, impassibili, spirituali & glorificato, 1. Cor. XV. 43. 44. & 45. 2) Quos vivos dies novissima deprehendet, *in ictu oculi in momento immutabuntur*, XV. 52. *Nec praevenient eos, qui dormierunt, sed simul cum resuscitatis in nubibus rapientur obviam Domino in aere*, 1 Thess. IV. 15 & 17. 3) Sancti resurgent ad lætitiam & gloriam, non ad ignominiam & pœnam. 4) Peccata ipsorum perfecte condonata, pœnæ relaxatæ, labes & macula omnis abolita, nihil ergo vel purgandum vel puniendum vel abolendum supereſt. Lactantius lib. VII. instit. cap. 21. quamvis *iustos igni exanimandos* adserat, excipit tamen *perfecte iustos. Quorum*, inquit, *peccata vel pondere vel numero praevaluerint, perstringentur igni, atque amburentur; quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient, habent enim in se aliquid inde, quod vim flammae repellat ac respuat. Tanta est vis innocentiae, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc potestatem, ut impios urat, iustis obtemperet.* Angeli & *homines mali* an ab hoc igne immunes sint futuri, merito dubitatur. Pro *adfirmante* sententia urgeri posset, quod ignis ille corporeus & elementaris non possit agere in spiritus incorruptibiles, quodque impii post iudicium dicantur statim *ituri in ignem aeternum*, sive infernalem, non in hunc ignem conflagrationis, Matth. XXV. 41. & 46. Pro *negante* sententia urgeri posset, quod ignis conflagrationis & ignis infernalis specie differre minime videantur, quodque ab universali illi totius orbis incendio etiam impii videntur in quibusdam scripturæ dictis involvi. Esai. LXVI. 16. *In igne Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem;* ubi tamen vox *ignis* metaphorice potius accipitur, sicut adiunctum nomen *gladii* ostendit. Dan. VII. 11. *Vidi donec interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni.* Soph. I. 18. III. 8. *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae.* Malach. IV. 1. *Ecce dies Domini veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes contemtores & omnes facientes iniquitatem velut stipula, & inflammabit eos dies veniens.* Totum igitur hoc iudicio Dei committamus sinceris ac seriis gemitibus orantes, ut ab igne conflagrationis & inferni liberemur, *ac digni habeamur fugere ista omnia, quae ventura sunt*, Luc. XXI. 36.

Antithesis: pontificii a materia conflagrationis excipiunt. 1) cœlos stellatos.

§. XXVIII. *Antithesis.* A conflagrationis materia pontificii excipiunt 1) *cœlos superiores sive stellatos.* Barradius lib. IX. comm. in conc. cap. 11. pag. 592. *Quosnam cœlos ignis expurgabit? numquid eos, in quibus fulgent sidera? minime. Cœlos expurgabit aëreos, id est, ipsum aërem, qui in scriptura saepe cœlum adpellatur.* Blasius de Viega in comm. Apoc. XXI. p. 812. *Petrus cum ait*, cœlos esse igni reservatos, *cœlorum no-*

mine non fidereos, sed aereos cœlos intelligit, qui igni dicuntur reservati, quoniam ignis ille, quo universus mundus deflagrabit, ad aerem usque pertinget, eumque puriorem efficiet. Gregorius de Valentia tom. IV. comm. in Thomam. p. 2277. *Petrus cum ait*, cœlos magno impetu transituros & ardore solvendos, *non loquitur de sublimioribus illis corporibus cœlestibus, sed de cœlis aereis, hoc est, de toto illo spatio aeris.* Argumentis potest hæc opinio oppugnari sequentibus: 1) Ex *particulae universalis* adjectione, Psal. 102. 27. *Cœli peribunt*, יבלו & *omnes sicut vestimentum veterascent.* Buxtorfius in lexico exponit, *universi ipsi quotquot sunt*, veterascent. Iam vero *qui dicit omne is nihil excludit.* Si omnes cœli sunt interituri, ergo nulli remanebunt superstites. Apoc. XXI. 5. *Ecce nova facio omnia.* Ergo etiam *novos cœlos*, ut habetur v. 1. 2) Ex *subjecti descriptione.* Illi cœli peribunt, qui sunt *opera manuum divinarum*, Psal. CII. 26. in quibus est, *exercitus stellarum*, Esai. XXXIV. 4. Ioel. III. 20. Apoc. VI. 10. iam vero non solum aërei, sed etiam ætherei cœli sunt opera manuum divinarum; nec in aereis, sed in æthereis cœlis stellæ sunt infixæ. Cassiodorus in Psal. 102. *Quando dicit cœli peribunt, finem eos habere declaravit, ut nullus in stellis gentili errore confideret cum eas immutandas esse sentiret.* 3) *Ex distinctione.* Cœli, quos Petrus dicit, *magno impetu transituros*, distinguuntur non solum a terra, sed etiam ab elementis, 2. epist. III. 10. & 12. iam vero aërei cœli non distinguuntur ab elementis. Illa verba; *exspectamus cœlos novos* &c. *non de aëre, sed etiam de cœlis superioribus explicanda sunt*, inquit Barradius d. l. inde colligo, quod etiam priora verba, *cœli reservantur igni, cœli peribunt*, non de aëre tantum, sed de superioribus cœlis sint accipienda. 4) Ex *oppositione.* Sicut ex *terrae novae* creatione recte colligitur, priorem esse interituram, ita ex *cœli novi* creatione itidem recte infertur, prius esse transiturum. Esai. LXV. 17. LXVI. 22. 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. 5) Ex *partium enumeratione. Deficit sol*, Sir. XVII. 30. *stellae de cœlo cadunt*, Esai. XXXIV. 4. Matth. XXIV. 29. Apoc. VI. 13. Ergo & cœlum interibit. 6) Ex *patrum & gentilium testificatione.* Dicta patrum inferius enumerabuntur, dicta gentilium exstant superius §. XIII. 7) Ex *adversariorum quorumdam confessione.* Salmeronius disputat. IV. in Petri tom. XVI. p. 138. *Quod quidam ex patribus verba Petri interpretantur, non de supremis & veris cœlis, sed aereis & aqueis esse intelligenda, ratione etiam ipsius textus revincuntur. Nam imprimis ostendimus, numquam cœlorum nomine in plurium numero aereos & elementares cœlos accipi, deinde post cœlos nominatos subdit:* elementa vero calore solventur. *Et infra:* elementa ignis ardore tabescent, *quod ad aerem & aquam & sphaeram ignis spectare videtur. Non possunt ergo per cœlos accipi tria illa elementa, cum bis cœlos ab elementis distinguat, additque tertio, terra autem, & quae in ipsa opera sunt, exurentur, tanquam quae male servierint homini ingrato, qui rebellis exstitit creatori suo.* Blasius de Viegas in comm. Apoc. XXI. p. 812. fatetur, *in verbis Petri:* cœli magno impetu transibunt; *ipsa corpora cœlestia intelligi.* Aliud igitur effugium quærit; *per transitum* dicit, *non esse intelligendam cœlorum secundum ipsam substantiam immutationem, sed duntaxat mutationem in statum praestantiorem per transitum a motu ad quietem.* Sed huic detorsioni occurrit Salmeronius d. l. *Quod quidam* (inquit)

hunc

hunc tranſitum per ceſſationem cælorum a motu interpretantur, plane mihi violentum & extortum videtur. Solvi enim cælos igne per ceſſationem a motu, aliud eſt meo iudicio & longe minus, quam ſuccenſos igne ſolvi, & potius per alterationem & corruptionem ſignificat cælos perire. Quidquid enim arripit ignis, ſolet vi ſua & efficacia, ut ligna & faxa, in cineres convertere &c. Cum ait apoſtolus: magno impetu tranſibunt; *videtur ſimile eſſe ei, quod Dominus dixit*: cælum & terra tranſibunt, *quibus opponit*: verba autem mea non præteribunt. *Ergo non ita tranſibunt, ut maneant tantum ſine motu, ſed omnino tranſibunt, ut deſinant eſſe; unde & alibi dixit*: donec tranſeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege. *Nec his contentus Petrus idem repetit & inculcat*: per quem cœli ardentes ſolventur &c. *Vides ergo hanc repetitionem eſſe dicti prioris confirmationem, ut nequeat illam gloſſam admittere.* Hæc omnia Salmeronius rectiſſime. Nos frivolæ iſti expoſitioni opponimus hunc ſyllogiſmum: ſi cœli *peribunt, veteraſcent ut veſtimentum, complicabuntur ſicut liber, deficient ut fumus, tranſibunt, igne ſuccenſi ſolventur, recedent ut liber involutus, fugient, ut locus eis non inveniatur;* utique non ſolum a motu ceſſabunt, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam interibunt, vel ad minimum ſecundum formam & qualitates mutabuntur. Sed verum prius, ut conſtat ex dictis ad demonſtrandum το οτι finalis mundi interitus ſupra adlatis. Ergo & poſterius. Omnes fere pontificii vaticinium propheticum Eſai. XXX. 26. *Erit lux lunae ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptuplo maior*, in die noviſſimo dicunt eſſe complendum; utique ergo cœlum & aſtra non tantum a motu ceſſabunt, ſed etiam qualitatum alterationem per lucis incrementum ſentient. Ambroſius Catharinus in comm. Hebr. I. ſic ſcribit: *ex ſcripturarum teſtimoniis cogimur fateri, futuram vere aliquam magnam cælorum alterationem per ignem, & non tantum ſolam motus ceſſationem, per quam alterationem novi quodammodo fundentur cœli, & longe fient pulchriores, quam nunc exiſtant.*

§. XXIX. Argumenta pro cœli æternitate formari poſſunt eiusmodi: I) *A cœli natura ac conditione. Cœlum vel non habet materiam*, ut voluit Averroës lib. VIII. phyſic. com. 79. lib. I. de cœlo com. 20. & 95. lib. de ſubſtantia orbis cap. 2. *vel conſtat materia a ſublunaribus diverſa*; Ariſtoteles lib. XII. metaph. text. 10. ac lib. VIII. metaph. text. 12. *ut colligitur ex eo, quod Deus in principio dicatur creaſſe cælum & terram, id eſt, duas diſtinctas maſſas, ex quarum una cæleſtia, ex altera vero ſublunaria corpora poſtmodum formavit.* Origenes lib. II. de princip. c. 8. Auguſtinus lib. V. de Gen. ad lit. c. 5. lib. XI. de civ. Dei c. 32. Baſilius hom. I. hexaëm. Ambroſius lib. I. hexaëm. c. 6. *Utique ergo cælum eſt incorruptibile & perpetuum.* Barradius tom. III. lib. X. comm. cap. 1. p. 6128. *Communis philoſophorum & theologorum ſententia eſt, cælos eſſe incorruptibiles, quod vel ipſe ſenſus renunciat, cum tot annorum millibus nihil, quod corruptionem oleat, in illis fit conſpectum.* Reſp. 1) Salmeronius d. l. opponit, quod *Plato in Timaeo contrarium ſenſerit*, & addit: *videtur Petrus iſta dixiſſe ad ſententtam Ariſtotelis evertendam. Item conſtat, Ariſtotelem per illud principium: ex nihilo nihil fit; mundi creationem negaſſe, & aeternitatem mundi poſuiſſe, ac certis demonſtrationibus, ut ipſe putabat, eviciſſe, de animae etiam im-*

Argumenta pro cœli aeternitate I) ex cœli Natura et conditione.

mortalitate iuxta multorum patrum Graecorum ſententiam haeſitaſſe. Quid autem ſperes a philoſopho eiusmodi tam clara & aperta dogmata pernegante? Certe, ut verum fateor, ſatis patienti animo ferre nequeo, cum video quosdam adeo ſuperſtitioſe ac mordicus tueri Ariſtotelis dogmata, ut malint multos textus ſcripturae violentis gloſſis ac ſenſibus torquere, quam in unum impingere Ariſtotelem. Nam plus uni loco ſcripturae, per quam loquitur Spiritus ſanctus, tribuendum eſt, quam univerſis philoſophis unum & idem conſtanter dicentibus. Adde 2) quod hypotheſes huius argumenti nondum ſint ſatis firmiter demonſtratae. Cœlum enim ex materia & forma conſtare ſtatuunt ex Hebræis rabbinus Aben Tybbon in opere phyſico, cuius titulus רוח החן cap. 8. ex Græcis philoſophis Ariſtoteles lib. II. de generat. & corrupt. cap. 9. text. 51. lib. XII. metaph. text. 10. lib I. de cœlo text. 92. Simplicius lib. I. de cœlo comm. 8. ex Latinis Thomas part. I. q. 66. art. 2. Capreolus lib. II. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 1. concluſ. 1. & reliqui fere omnes, quod ipſum ex motu, qualitatibus, ſubſtantiarum diviſione & aliis principiis demonſtrare, in proclivi eſt. Illam vero cœli materiam cum materia ſublunarium eſſe ſpecie eamdem multi ex ſcholaſticis adſerunt, Bonaventura lib. II. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 1. Egidius de Roma in tract. de mater. cœli, Thomas de Argentin. lib. II. ſent. diſt. 12. art. 2 Durandus, Aureolus, Occamus ibid. q 22. Scotus lib. II. ſent. diſt. 14. q. 1. quam opinionem theologiæ magis conſonam eſſe ſtatuit Bielis lib. II. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 1. 3) Si vel maxime alterutra hypotheſis huius argumenti concedatur, nondum tamen ex ea æternitas cœli poſſet demonſtrari. Illud enim duntaxat ſequeretur, cœlum *naturaliter* eſſe incorruptibile. At hoc loco agitur de ſupernaturali & extraordinaria Dei actione, qua mundum interiturum eſſe, ſacræ literæ adſerunt. Duratio cuiusque rei pendet a libera voluntate ſupremæ cauſæ omnium conſervatricis, ut ſuperius etiam monuimus. 4) Præſtantiſſimi quidam theologi et philoſophi quamdam virium cœleſtium ſucceſſivam diminutionem, adeoque etiam partialem corruptionem agnoſcunt, quod inter cætera argumenta ſe evincere poſſe arbitrantur ex dicto pſalmographi Pſalm CII. 27. *Cœli ſicut veſtimentum veteraſcent.* 5) Univerſam creaturam (& ſic etiam cœlum) eſſe corruptibilem ſtatuunt Chryſoſtomus homil. X. ad populum & in com. Rom. 8. quem ſequuntur, uti ſolent, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in commentario illius loci. Confer gloſſam ordinariam Eſa. XXX.

§. XXX. II) *Ex apoſtolica cœli interituri deſcriptione. Illos cœlos apoſtolus Petrus dicit tranſituros, qui ex aqua & per aquam conſiſtunt*, 2 epiſt. III. 5. *Atqui cœli aetherei neque ex aqua neque per aquam conſiſtunt. Ergo non loquitur de cœlis aethereis, ſed de aere.* Reſp. 1) Apoſtolus nuſpiam dicit, cœlos ex aqua & per aquam conſiſtere, ſed ſimpliciter ſic ait v. 5. *Latet empaeſtas illos volentes, quod cœli erant prius, & terra ex aqua & per aquam conſiſtens.* De terra igitur ſeparatim, non de cœlo ac terra coniunctim hoc adſerit. 2) Multo minus *excluſivam* addit, quod illi duntaxat cœli ſint interituri, qui ex aqua & per aquam conſiſtunt, ſed v. 10. & 12. abſolute pronunciat *cœlos igne ſuccenſos eſſe diſſolvendos*, ac ut ſuperius monuimus, de illis cœlis ſeſe loqui oſtendit, qui ſunt ab elementis diſtincti, ac proinde nequaquam

II) Ex apoſtolica cœli interituri deſcriptione.

de

de aëreis cœlis agit. 3) Ac si vel maxime Petrus hoc loco tantum de aëreis cœlis loqueretur, quod salva veritate concedi nequit; nondum tamen sequeretur, illos duntaxat perituros, quia ex aliis scripturæ locis demonstrari potest, etiam æthereos cœlos esse transituros. Inclusio unius non est exclusio alterius. 4) Cœli illi, quos scriptura perituros adserit, Hebræis vocantur שָׁמַיִם quod quidam exponunt *aquae ibi*, ut hac ratione cœlum etiam sidereum ex aqua formatum esse, & aqua supra firmamentum collocatas adstruant; quidam vero rationem adpellationis proferunt eam, quod cœli sint a terra remotissimi, quia שָׁם locum remotum significat, ac formam *dualis* putant denotare distantiam a terra utrinque æqualem, vel duos mundi polos circa quos cœlum circumvolvitur. Schindlerus in voce שמים. Damascenus lib. II. orthod. fid. cap. 6. *Quidam naturam cœli dicunt esse ὑδατωδη, ut quod fit in medio aquarum genitum. Alii ex quatuor elementis, alii quintum corpus & aliud ab illis quatuor esse.* 5) Quamvis aër dici possit ex aqua consistere, quia ex materia aquæ effectus sit; dici tamen nequit consistere *per aquam*, quoniam absque aqua consistere potest, neque enim aqua, quæ in eo gignitur, consistentiam aliquam illi tribuit. Quidam respondet, *dici aerem consistere per aquam, quia volucres aeris ex aqua sint ortae.* Caietanus. At hoc nimis longe petitum, neque quisquam fando audivit ad aeris consistentiam volucres pertinere, cum contra potius volucres ex aqua consistere fuissent dicendæ, quia ex illa factæ sunt. 6) Videt Barradius argumenti huius infirmitatem, ideo alia ratione demonstrare nititur, in verbis Petri aëreos duntaxat cœlos intelligendos. *Cœlos*, inquit, *aerem significare probatur ex eo, quia adiungit*: pes quæ ille tunc mundus aqua inundatur periit. *Per quae, id est, per quos cœlos & terram mundus diluvio oppressus est. Iam vero per quosnam cœlos mundus inundatus periit? Non per superiores, ex illis enim ne gutta quidem effluxit aquae, sed per inferiorem aerem, cuius cataractae apertae sunt, aquarumve copiam infinitam in terras effuderunt. Per terram autem inundatus mundus periit, quia per aquas, quae super terram sunt, id est, per aquas maris & reliquas, quae terrae visceribus concluduntur, obrutus est mundus diluvio.* At Barradiana illa interpretatio per quam dura est & coacta. Particula δι ων quidam vertunt *adversative*, quidam *illative*, quidam *relative*, ut superius monuimus. Si *relative* accipere velimus, respectus habebitur non ad cœlos, sed ad aquas & Dei verbum, quorum in præcedenti versiculo facta erat mentio, per aquas enim & Dei verbum diluvium fuit orbi introductum, sicut Dei verbo ex aquis in principio mundus fuit conditus. Per hæc igitur, non autem per terram mundus fuit corruptus, terra fuit subiectum *recipiens* sive patiens corruptionis, nequaquam vero causa *agens*. Qui infaustum planetarum in trigono aqueo concursum diluvio causam præbuisse arbitrantur, vel per *fenestras cœli apertas*, Genes. VII. 11. eas, quæ supra firmamentum sunt, aquas in terram effusas esse opinantur, Barradio non concederent, cœlos sidereos a causis primævi mundi φθαρτικαις esse excludendos. Sed nos neutram hypothesin amplectimur.

§. XXXI. III) Ex *finalis interitus cum diluvio collatione. Christus inter devastationem terrae per diluvium,*

III) ex finalis interitus cum diluvio collatione.

um, & finale orbis excidium comparationem instituit Matth. XXIV. 37. Luc. XVII. 26. *Iam vero aquae diluvii non potuerunt usque ad cœlos stellatos adsurgere multo minus ullum eis nocumentum inferre. Ergo etiam ignis, quo conflagrabit mundus, non accendet orbes cœlestes.* Resp. 1) Comparatio non est extendenda ultra tertium, propter quod adhibetur. Christus vitam ac mores hominum, qui immediate ante diluvium vixerunt, cum statu novissimorum temporum finem mundi proxime antegressurorum comparat, nequaquam vero modum excidii utrobique parem fore adserit. 2) Noluit Deus per diluvium omnes mundi partes destruere ac devastare, quia seminarium aliquod generis humani in arca conservabat; erat igitur excidium illud mundi prioris *partiale* ac *particulare*, sed in fine seculi completo omnium electorum numero mundus secundum omnes partes destruetur, erit igitur illud posterioris mundi excidium *totale* & *universale*. 3) In diluvio nec aer nec aqua perierunt, quibus tamen elementis mundi finem adlaturum esse exitium, pontificii negare nequeunt. Franciscus Maronius lib. IV. sent. dist. 49. q. 4. *In diluvio non fuerunt omnia consumta, quia non pisces, sed illo igne omnia consumentur.* 4) Per diluvium orbis terrarum misere fuit devastatus ac destructus, sed per ignem conflagratorium iuxta pontificios expurgabitur ab adhærentibus sordibus, ergo non est æqualis utriusque excidii ratio. 5) Petrus finalem mundi interitum cum diluvio comparans disparitatem rationis distertis verbis monstrat. De diluvii namque excidio v. 6. in genere dicit, quod ὁ τοτε κοσμος, *mundus, qui tunc erat, aqua inundatus perierit*, ubi nomine *mundi* συνεδοχικως accepto inferiores mundi partes cum maxima incolarum parte intelligit; sed de finali excidio distincte & in specie loquitur v. 7. *Cœli, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi servantur in diem iudicii.* v. 10. *Cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem, & quae in ipsa sunt opera, exurentur.* v. 12. *Cœli igne succensi solventur, & elementa ignis ardore tabescent*, quæ ipsa partium mundi ἐξαριθμησις ostendit, omnia, quæ a summo cœlo ad infimam usque terram in mundi systemate continentur, in fine seculi esse conflagratura.

§. XXXII. IV) Ex *causarum interitus remotione. Cœli nulla indigent per ignem expurgatione, sicut sublunaria. Ergo etiam ab interitu in fine mundi erunt immunes.* Gerson in summ. de gaud. paradisi f. 433. *In cœlis propter impermixtionem nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus, unde non erit in iis purgatio per ignem, sed cessatio a motu.* Resp. 1) Scriptura non expurgationis, sed abolitionis in fine seculi futuræ meminit. 2) *Cœli non sunt mundi in conspectu Domini*, inquit Eliphas Iob. XV. 15. ad quæ verba Osiander sic adnotat: *Et si omnia perfecte bona fuerunt in prima creatione, tamen quia creaturae sunt mutabiles, praesertim propter hominum peccata, cœlum ipsum etiam videtur viribus suis aliquantum deficere, nec in primo perfectionis statu amplius constare.* Quidam tamen nomen *cœli* μετωνυμικως malunt accipere pro *cœlitibus*, id est, angelis, qui in conspectu Dei non sunt mundi, non *absolute* sed *comparate*, si scilicet ad summam divinæ essentiæ puritatem comparentur. 3) Paulus Rom. VIII. 22. generaliter loquitur, quod *omnis creatura simul ingemiscat, & a servitute*

IV) Ex causarum interitus remotione.

vitute corruptionis, cui subiecta est, liberari expetat. Ergo cœli ab hac liberatione non sunt excludendi. 4) Sol ministrat lucem impiis non volens, Matth. V. 45. Rom. VIII. 21. cœlum per motum & influentias agit in hæc inferiora, eademque reddit frugifera, ut hominibus pessime iisdem abutentibus inserviant, ab hac vanitate & corruptionis servitute liberatio aliquando sequetur.

§. XXXIII. V) Ex *Augustini assertione.* Is lib. XX. de civ. Dei cap. 18. sic disputat: *Petrus commemorans factum ante diluvium videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine huius seculi mundum istum perituruum esse credamus. Nam & illo tempore periisse dixit, qui tunc erat, mundum, nec solum orbem terrae, verum etiam cœlos, quos utique istos aëreos intelligimus, quorum locum ac spatium tunc aqua crescendo superaverat. Ergo totus, aut pene totus aer iste ventosus, quod cœlum vel potius cœlos vocat, sed istos utique imos, non illos supremos, ubi sol & luna & sidera constituta sunt, conversus fuerat in humidam qualitatem &c. Proinde qui cœli & quae terra, id est, qui mundus, pro eo mundo, qui diluvio periit ex eadem aqua repositus est, ipse igni novissimo reservatur in diem iudicii &c.* Augustinum ut in aliis ita etiam hac in re sequitur Beda in com. Marc. XIV. *Docet Petrus, quod non alii cœli sint igne perituri, quam qui aqua perditi sunt, hoc est, inania haec & nebulosa venturi aeris spatia.* Resp. 1) Augustinus & sua & aliorum ecclesiæ doctorum scripta a canonica propheticorum et apostolicorum librorum auctoritate distinguit; nec *cum credendi necessitate sed iudicandi libertate* eadem legenda esse adserit, epist. VII. ad Marcellin. epist. XIX. ad Hieronym. epist. XLVIII. ad Vicent. epist. CXI. ad Fortunat. epistol. CXII. ad Paulin. in procem. libr. III. de Trinit. lib. IV. de anim. & eius orig. cap. 1. libr. XI. contra Faustum c. 5. & alibi passim. 2) Quantum ponderis insit rationi, quam ex textu apostolico pro adstruenda hac sententia producit, ex illis, quæ hactenus dicta sunt, adparet. 3) Disputat Augustinus probabiliter, non autem dogmatum canones ponit. *Videtur*, inquit, *& quodammodo admonuisse &c.* in enarrat. Psal. CI. rem in dubio relinquit, ac neutram opinionem damnat. *Sunt* (inquit) *& cœli cœlorum superiores in firmamento, sed utrum & ipsi perituri sint igne, an ii soli cœli, qui etiam diluvio periere, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facile, maxime in angustia temporis explicari potest.* 4) Ex eo, quod Augustinus disputat, *cœlorum nomine in textu apostolico non aethereos, sed aereos cœlos esse intelligendos*, nequaquam inferri potest, quod absolute & simpliciter negaverit, cœlos æthereos esse interituros. Contrarium enim manifestum est ex cap. 24. eiusdem libri, ubi contra Porphyrium ex Psalm CII. 27. disputans inter cœtera sic scribit: *numquid quando cœli peribunt, mundus, cuius iidem cœli superior pars est tutior, non peribit?* Et postea. *Possunt in textu apostolico* 2 Pet. III. *isti cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reservandos, & ea elementa accipi arsura, quae in hac ima mundi parte subsistunt procellosa & turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit esse repositos salvis illis superioribus & in sua integritate permanentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta &c. Hoc autem quod de psalmo commemoravi, nullum cœlorum relinquere videtur, quod perituruum esse non dixerit. Ubi enim dicitur, opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, quam nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum a*

perditione fecernitur. Atque hæc dicta sint de *cælo stellato*, an illud ab omni penitus corruptione vel saltem qualitatum immutatione in fine seculi futurum sit liberum; quid vero de *cælo empyraeo*, quod supra orbes cœlestes collocant, statuendum, an scilicet etiam ipsum sit interiturum, manifestum erit ex iis, quæ in ultimo de novissimis tractatu differentur.

§. XXXIV. II) Excipiunt etiam pontificii ab illa finali totius mundi *παλιγγενεσία elementum ignis.* Gregorius de Valentia tom. IV. comm. in Thomam pag. 2276. *Verisimile est, ignem, quo terra conflagrabit, adscensurum ad sphaeram suam naturalem. Ignis, qui erit in sua sphaera naturali, cum ibi non habeat admixtas illas qualitates alienas, non alterabitur ab illo igne conflagrationis, sed tantum reliqua elementa & ignes aliqui, qui in inferioribus locis tunc reperientur impuri.* Blasius de Viegas in comm. Apoc. XXI. p. 812. *Ignis ille, quo universus mundus deflagrabit, ad aerem usque pertinget, eumque puriorem efficiet.* Et postea: *quod Petrus dicit, elementa calore solvenda, de aere & aqua accipiendum est, quae cum terra, de qua statim subditur, terra exuretur, extremo illo igne purganda sunt.* Resp. 1) Scriptura in genere dicit, *mundum transiturum, seculorum consummationem & finem omnium adpropinquare*, ut superius docuimus. 2) Apostolus absolute & indefinite dicit, *elementa calore esse solvenda*, iam vero ignem ex elementorum numero excipere non possumus. 3) Nulla huius exceptionis adfertur probatio vel in specie probabilis. 4) Hypothesis huius opinionis si non falsa, tamen dubia est & incerta, videlicet *ignem conflagrationis habere duntaxat vim elementa expurgandi, non autem eadem abolendi ac destruendi.* 5) Ignis si destituatur pabulo, seipsum consumit ac interit. 6) Beda in comment. 2 Petr. III. diserte adserit, *duo elementa, ignem videlicet & aquam esse perituram, reliqua vero duo terram & aerem non esse peritura, sed renovanda.* Haymo, Anshelmus, Rupertus, Aretas in comm. Apoc. 21. in dubio relinquunt, an etiam ignis sit transiturus.

II) Elementum ignis.

§. XXXV. III) *Superiorem aeris regionem.* Barradius lib. IX. comm. in conc. evang. cap. 11. p. 592. *Quaeritur, quousque ignis sit adscensurus? Respondet glossa interlinearis* 2 Per. III. *his verbis: tantum adscendet ignis iudicii, quantum adscendit aqua diluvii. Adscendit autem aqua diluvii quindecim cubitis super montes* Gen. VII. *totidem adscendet ignis. Glossa ordinaria* 2 Thess. I. *ignis erit in mundo, qui praecedet Christum, tantum spatium aeris occupans, quantum occupavit aqua in diluvio. Eadem est magistri & scholasticorum theologorum sententia.* Respond. 1) Contra hanc opinionem pugnant omnia illa, quæ §. proxime præcedente adduximus. 2) Petrus dicit *elementa calore solvenda*, non certas duntaxat elementorum partes. 3) Psalmographus adserit, *cælos omnes perituros.* Quod si ergo ex hypothesi pontificiorum nomine *cælorum* intelligendi sunt cœli aërei, non poterit esse alius sensus, quam totum & omne aeris spatium inter orbes cœlestes & terram interiectum esse periturum. 4) Ecquis certos ipsos reddidit, ignem conflagrationis mundi non esse altius adscensurum, quam olim adscenderunt aquæ diluvii?

III) Superiorem aeris regionem.

§. XXXVI.

§. XXXVI. IV) *Mare.* *Mare renovandum, ut ne substantiam quidem suam retinere videatur, sicut terra & cœlum, praesertim si verum, quod quidam dicunt, aquam non fore post mundi finem fluidam, sed consolidatam & instar sphaerae conglobatam. Etenim neque iam fluet, neque resluet, nec ulli pisces futuri sunt, qui in ea natent, ut fluidam eam esse oporteat, atque ita maior videbitur futura mutatio in aqua, quam in cœlo & in terra, cuius causa non esse dicatur.* Barradius lib. X. comm. c. 1. p. 611. *Aqua in novo mundo erit sicut crystallus, aer ut cœlum, ignis ut luminaria cœli.* Resp. 1) Repetantur ea, quæ hactenus dicta. 2) Quid clarius illo oraculo apocalyptico XXI. 1. *Mare iam non est?* in quem locum sic commentatur Primasius & ex eo Beda: *utrum maximo illo ardore flectetur mare, an & ipsum in melius vertatur, non facile dixerim. Cœlum quippe novum & terram novam, non autem & mare novum futurum legimus.* Idem in comm. 2 Petr. III. *aquam perituram* dicit. Andreas Cæsarienſis in comm. Apoc. XXI. *Notandum de cœlo & terra eum quidem dicere*: Abiit: *id est, mutatum est; de mari autem*: mare non erit amplius. *Quae enim utilitas maris, cum non sit opus hominibus illud navigare?* Haymo in comm. eiusdem loci titubanter incedit. *Quod sequitur*, inquit, *& mare iam non est, utrum ad literam, id est, ut mare cum fluminibus exsiccetur, possit intelligi, an solummodo spiritualiter hoc dicatur, dubium est. Terra enim aquarum contunctione subsistit, quoniam & infra & extra & supra aquas continet, ne naturali ariditate fatiscat, quoniam nisi aquis temperaretur, in cinerem redigeretur. Ideo utrum maximo illo ardore mare cum fluminibus siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facile dixerimus, quod etsi factum fuerit per Dei potentiam, licet arida sit terra, satis subsistere poterit. Quatuor siquidem sunt elementa, ex quibus duo sunt immutanda in melius, sicut hic dicitur, & Dominus in evangelio manifestat, cum ait:* cœlum & terra transibunt, *id est, immutabuntur. Utrum autem mare vel ignis transeat, id est, immutetur, Deus scit, licet hic legamus. Et mare non est.* In simili dubio versantur Anshelmus, Aretas & Rupertus ibidem. 3) Frustra regerit Blasius de Viega d. l. *eodem sensu dictum esse a Iohanne*: & mare non est; *quo antea dictum fuerat*: primum cœlum & prima terra abiit, *seu disparuit.* Concedimus sane, esse harum phrasium ἀδυναμιαν, sed negamus per το abire qualitatum duntaxat alterationem describi, cum ex parallelis scripturæ locis manifestum sit, totalem interitum & abolitionem eadem exprimi. Quid clarius illo effato, quod in capite proxime præcedente v. 11. exstat, *a facie sedentis super thronum fugit terra & cœlum, & locus non est inventus eis.* Sed hac de re in sequenti quæstione dicetur plenius. Tranſitum enim recta iam facimus ad

IV) *Mare.*

CAPVT V.

DE FORMA CONSVMMATIONIS SECVLI.

Forma consummationis.

§. XXXVII. *Formam consummationis* dicimus fore non nudam qualitatum alterationem, sed ipsius substantiæ abolitionem, adeoque

que totalem annihilationem, ut sic *terminus a quo* consummationis sive destructionis sit *esse*, *terminus* vero *ad quem non esse* sive *nihil*. Antequam vero hanc sententiam nostram ex sacris literis & rationum momentis demonstremus, notamus sequentia capita: 1) Non diffitemur, multos ex piis veteribus in eam concedere opinionem, quod mundus non κατ' ουσιαν sit interiturus, sed κατα ποιοτητας duntaxat sit immutandus. Irenæus lib. V. adv. hæres. cap. 36. *Non substantia neque materia conditionis exterminatur, verus enim & firmus, qui constituit illam, sed figura transit mundi huius, hoc est, in quibus transgressio facta est, quoniam veteratus est homo in ipsis, & propter hoc figura haec temporalis facta est, praesciente omnia Deo. Praeterunte autem figura hac & renovato homine & vigente ad incorruptelam, ut non possit iam veterascere, erit cœlum novum & terra nova.* Proclus apud Epiphanium hæres. LXIV. *Non placet autem, ut illud dicatur, quod omnia funditus pereant, & terra & aer & cœlum non futura sint. Exardescet quidem ad purgationem ac renovationem descensione facta totus mundus igne dilutus, non tamen ad perfectum interitum ac corruptionem deveniet. Si enim melius est non esse, quam esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod peius est, elegit? frustra laboravit? Igitur ad hoc, ut sit, & maneat, creaturam Deus construxit. Manet creatura in melius ac decentius renovata, exsultans & gaudens resurrectione ob filios Dei &c. At si non pereunt universa, dixerint adversarii, quomodo igitur Dominus cœlum & terram praeteritura esse dixit: & propheta dixit: Peribit cœlum veluti fumus & terra veluti vestimentum inveterascet? Quandoquidem hic mos est scripturis, respondebimus, ut hanc mundi transmutationem in meliorem ac magis gloriosam restitutionem interitum ac perditionem dicant, tanquam videlicet prior figura pereat, per universorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas est in scripturis divinis. Praeterit enim figura huius mundi & non mundus.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. XV. *Creatus hic mundus rursus renovabitur &c. ut non maneat admiranda haec domus plena iniquitate. Pertransibit hic mundus, ut pulchrior restituatur &c. Non tristemur, tanquam soli morientes, cum & astra moriantur, fortasseque rursus excitabuntur. Complicabit cœlos Dominus, non ut perdat eos, sed ut rursus meliores illos excitet. Audi quomodo peribunt cœli, mutabis eos ut vestimentum. Sicut perditio hominis dicitur, ut tamen resurrectio exspectetur, sic & cœlorum resurrectionem exspectamus.* Hieronymus in Esa. LI. *Perditio cœlorum non interitum sonat, sed mutationem in melius &c. Si cœlum & terra peribunt atque veterascent, qua consequentia habitatores eius sicut ista morientur, cum animas esse perpetuas & resurrectura corpora noverimus? ex quo perspicuum est, cœlum & terram non perire, sed in melius commutari.* Esai LXV. *Ex loco* Psal. CII. 27. cœli sicut vestimentum veterascent, *perspicue demonstratur, perditionem & interitum non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius. Neque enim illud, quod alio in loco scriptum est:* Luna fulgebit ut sol & sol septuplum lumen accipiet; *interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, nostrae conditionis ponamus exempla. Infans enim cum in puerum creverit, & puer in iuvenem, & iuvenis in virum, & vir in senem, unquaquam per singulos aetates perit. Idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & aetati pristinae periisse dicitur. Quod intel-*

telligens & Paulus apostolus loquebatur, Præterit enim figura huius mundi. *Confideremus quid dixerit. Figura præterit: non substantia. Hoc idem significat & Petrus:* Novos cœlos & novam terram videbimus *Non dixit alios cœlos & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos.* Augustinus lib. XX. de civ. Dei c. 14. *Peracto iudicio definet hoc cœlum & haec terra, quando incipiet esse cœlum novum & terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus, unde & apostolus ait:* Præterit figura huius mundi, *non Natura.* Cap. 16. *illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.* Cap. 24. *Cœli intelliguntur perituri salvis illis superioribus & in suo integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta.* Chrysostomus homil. X. ad popul. Antioch. *Cum resurrexerimus, & incorrupta sumserimus corpora, tunc & cœli corpus & terrae & mundi totius incorruptum erit immarcessibile.* Idem homil. V. ad Theodorum dicit fore *quandam αναλογιαν corporum & caeterorum per immortalitatem & gloriam, ut quemadmodum illis propter nostrum peccatum servitutis & corruptionis iugum inductum fuit, ita nobis a morte liberatis illa quoque a corruptionis molestia liberanda, & ad pristinum splendorem reducenda sint.* Cyrillus Alexandrinus in comm. Esai. LI. *Innovationem reparationemque ad meliorem statum adposite dixit mortem elementorum. Itaque fore praedicit, quemadmodum corporum humanorum, renovationem rerum creatarum, quasi a mortuis resurrectionem.* Salonius in Ecclesiasten: *Cœlum & terra transibunt per meliorationem, sed non per ablationem, quia igne iudicii purgata meliorabuntur, quoniam renovabuntur, sed non penitus destruentur. Tantum quippe ardebit sursum & terra deorsum, quantum malitia hominum simul & daemonum coinquinari potuit.* Gennadius Massilienfis lib. de eccles. dogm. cap. 69. *Elementa, id est, cœlum & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram quoque mundi, id est, imaginem substantiae transituram,* Andreas Cæsarienfis in comm. Apoc. VI. *Cœlum recessit sicut liber involutus. Per hoc significatur, cœlum non subiturum aliquem interitum aut abolitionem, sed tantum quamdam involutionem & ad meliorem statum mutationem.* Gregorius magnus lib. XVII. moralium cap. 7. *Cœlum & terra per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt, &c. Cœlum & terra non alia condenda sunt, sed haec ipsa renovanda. Cœlum igitur & terra transit & erit, quia & ab ea, quae nunc habet, specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura servatur.* Cononitæ in seculo septimo *mundi creationem quidem secundum materiam & formam, interitum autem secundum formam solummodo* concedebant. Conturiæ Magd. VII. col 124. Isidorus Hispalensis lib. de doctr & fide cap. 36. *Elementa, id est, cœlum & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram autem mundi, id est, imaginem non substantiam transituram.* Iulianus Toletanus lib III. prognost. cap. 46. *Mutatione rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus &c.* Beda in 2. Petr. III. *Cœlum & terra consumta per ignem mox abeunte ignem*

gratiorem resument speciem. Praeterit enim figura huius mundi, non substantia, sicut & carnis nostrae non substantia perit, sed figura immutabitur, quando quod seminatur corpus animale, resurget spirituale. Damascenus lib. II. orthod. fid. cap. 6. circa finem: *ὁ παντελως ἀφανισθησονται οἱ οὐρανοι, non penitus disparebunt, nam veterascent quidem, & velut amictus involventur, & immutabuntur, & erit cœlum novum & nova terra.* Nicephorus lib. XVIII. hist. eccles. cap. 47. Ioh. Philoponum hoc nomine taxat, quod *statuerit consummationem sive interitum visibilis huius mundi ac rursum novi mundi creationem alteram.* Et huic Philoponi sententiae opponit dogma canonis, *qui mundi interitum iuxta formam solummodo non autem secundum materiam fore statuit.* Similia occurrunt apud Alcuinum in comm. Ps. Cl. Ambrosium Ansbertum lib. XI. in Apocal. Eliam cretensem in orat. X. Gregorii Nazianzeni, Haymonem in comm. 1. Corinth. 7. Rabanum lib. IV. de universo cap. 10. Euthymium in comm. Ps. CI. Anshelmum lib. de similitud. cap. 43. & in comm. 1 Cor. VII Lyranum in com. Hebr. I. in comm. 2 Petr. III. & in comment. Apoc. XX. &c.

§. XXXVIII. II) Proinde sententiam de substantiali mundi φθορᾳ seu interitu non defendimus ut *fidei articulum* ad salutem scitu ac creditu simpliciter necessarium, sed eam emphaticis scripturae dictis, quae de fine mundi loquuntur, magis conformem esse dicimus. III) Ex eo porro consequens est, illis, qui contrariam opinionem amplectuntur, ac per ἀλλοιωσιν mundi transitum definiunt, non esse dicam haereseos temere scribendam. IV) Unde multi malunt in hac quaestione ἐποχὴν, & futurae experientiae eventui rem committere, quam certi quiddam determinare. Iodocus Clichtoveus commentator Damasceni lib. II. orthod. fid. c. 6. p. 87. *Nosse operae pretium est, non parvum, apud auctores ambiguitatem agitari, quo modo perituri sint cœli & inveterandi. Quidam statuunt, mundum re ipsa & secundum substantiam interiturum; aliorum vero sententia est, elementa & cœlos esse perituros, non secundum substantiam, sed secundum proprietates & accidentia. Utra autem harum sententiarum sit veritati conformior, & utri potius accedendum sit, haud facile est ex sacris litteris diiudicare. Id circo totum potius divinae ordinationi committitur sine adcuratiore indagine. Ita enim futurum est, quemadmodum ipsi constituit. Quomodo autem fore decreverit, non amplius pervestigandum est, neque ulterius perquirendum, quam divina determinaverunt eloquia, credendumque haud dubie, quod cœlum & terra transibunt, Christi autem verba non transibunt, & hac sola fide contenti abire debemus. Satius enim est in huiusmodi inquisitionibus, ubi certum nihil ex scripturae constat, pie dubitare, quam temere quidquam definire.* Idem videtur quibusdam ex nostris. Heerbrandus in compend. theol. in cap. de consumm. seculi quaest. ult. p. 537. *Num secundum accidentia & proprietates inhaerentes, an vero etiam secundum substantiam mundus sit perituras, non est humani ingenii acie curiose perscrutandum, sed consilium hoc est in solius Dei Patris cœlestis potestate & arbitrio.* Mylius in explic. August. confess. art. XVII. p. 231. *Disceptationem illam, utrum φθορᾳ an ἀλλοιωσει transitus mundi definiendus sit, pia ἐποχὴ rectissime dirimit, quae in sensu futurae experientiae quam divinationum σκέ-*

(*) Item in epist. ad Hebraeos tom. II. f. 466. in elucidario eiusdem tom. III. f. 242.

σκεψει certiorem essi quaestionis illius solutionem statuit. Eadem verba repetit Huterus disp. XXII. de præcip. fid. artic. th. 28. Lobechius disp. XIX. in August. confess. th. 48. Ζητευεον *illud, an mundus ratione qualitatum in melius commutandus sit, ut perpetuo duret, an vero ουσιας seu substantiae ratione in nihilum sit transiturus,* εποχη *Christiana rectissime dirimit, Spiritus sanctus illud nuspiam exprimit &c.* Schilterus in disput. de duobus hominis novissimis in cap. de transitu mundi thes. 16. commendat in hac quæstione sententiam Augustini epist. LXXVIII. *Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri.* Meisnerus part. I. sobr. Philos. sect. III. c. 3. q. 5. το επεχειν *hic est tutissimum & locum habere debet regula Bernhardi serm. IV. omniam sanct. Quod nulli datum est experiri, nullus conetur effari &c.* V) Quin & quidam ex nostris qualitatum immutatione mundum transiturum esse arbitrantur. Lutherus solitus fuit dicere: *der Himmel hat izo sein Werkeltages-Kleid, dort aber wird er anziehen sein Sonntags-Kleid.* In postill. eccles. dom. IV. post Trinit. *Die Sonne ist izt nirgend so schön, hell und klar, als da sie im Anfang geschaffen war, gewesen ist, sondern ist um der Menschen willen wol halb finster, russig und besudelt, an jenem Tage aber wird sie GOtt wieder ausfegen und reinigen durchs Feuer, daß sie heller und klärer seyn wird, denn sie im Anfang ist gewesen. Weil sie aber muß um unser Sünde willen leiden und den ärgsten Buben so wol als den Frommen leuchten, darum verlanget sie herzlich nach jenem Tage, da sie wieder soll ausgepuzet werden, und allein den Seligen mit ihrem leuchten dienen.* Brentius homil. LIII. in Lucam f. 621. *Num cælum & terra ita transibunt, ut nihil eorum omnino maneat? minime omnium. Non tranfibunt omnino, sed mutabuntur. Abiicient vestimentum corruptionis, & induent novam vestem incorruptionis, futura quidem cæli ac terræ mutatio, non autem in totum abolitio.* Althamerus in conciliat. locorum pugn. cent. I. loc. 4. *Cælum & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. Cæli solventur, id est, fient alii mundiores, sicut aurum igne solvitur, non ut intereat, sed ut purius fiat expurgata scoria.* Philippus Nicolai lib. V. de vita ætern. cap. 10. part. I. operum Germ. p. 333. *Es soll die izige Welt verbrennen, und zwar im Feuer ganz untergehen, aber doch nicht materialiter mit Vernichtigung ihres Wesens, sondern formaliter nach ihrer izigen Gestalt und baufelligen Zustand;* quod ipsum declarat exemplo corporum ex pulvere ad vitam resuscitatorum. Pelargus, cum adhuc esset orthodoxus, in Iesuitismo loc. XXIII. p. 203. *Sententia vera est, mare, quod ad varios usus hominumque commoda optimi creatoris iussu deservit, innovatum cum cæteris elementis, & a servitute restituto homine liberatum iri.*

§. XXXIX. Hisce præmissis pro adstruenda mundi κατ' ουσιαν destructione producimus hæc argumenta: 1) ex *scripturae sacrae dictis.* In illis vero notanda: I) *emphatica futuri interitus descriptio.* Deut. XXXII. 22. *Ignis succensus in furore meo ardebit usque ad infernum inferiorem, & consumet terram,* (Hebræum: תֹּאכַל *perdet, absumet*) *& fructum eius, & inflammabit fundamentum montium.* Iob. XIV. 12. *Non resurget homo, donec non erunt cæli.* Hebræum: עַד־בִּלְתִּי שָׁמַיִם Psalm LXXII. 7. *Florebit multitudo pacis usque ad non lunam,* id est, donec non amplius sit luna. CII. 27. *Cælum & terra peribunt.* In Hebræo

Argumenta pro adstruenda mundi κατ' ουσιαν destructione

1) ex scripturae dictis.

bræo est אבר *periit, interiit, omnimodam rei perditionem notans.* Opponitur enim generationi. Ut ergo generatio formaliter & præcise sumta est ipsius substantiæ productio, ita interitus seu corruptio est eiusdem destructio. Esai. XXXIV. 4. *Tabescet omnis militia cœlorum.* In Hebræo est נמק *liquefactus, dissolutus fuit.* LXV. 17. *Cœli priores non memorabuntur, nec adscendent super cor.* Dan. IX. 27. *Usque ad consummationem.* XII. 4. *Usque ad tempus finis.* Soph. I. 18. III. 8. *Igne zeli devorabitur omnis terra.* Matth. V. 18. XXIV. 35. Marc. XIII. 31. Luc. XVI. 17. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt,* παρελευσονται. Matth. XIII. 39. XXIV. 3. XXVIII. 20. Συντελεια, *consummatio seculi.* 1 Cor. VII. 31. *Figura huius mundi* παραγει, *praeterit.* X. 11. XV. 24. *Deinde* τελος, *finis.* Hebr. IX. 26. *In consummatione seculorum.* 1 Petr. IV. 7. Τελος των παντων. 2 Petr. III. 7. *Cœli & terra reservantur igni.* v. 10. *Cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur,* λυθησονται, *terra autem, & quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 12. *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* 1 Ioh. II. 17. *Mundus* παραγεται, *transit.* Apoc. X. 6. *Tempus non erit amplius.* XX. 11. *A facie sedentis super thronum fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis.* XXI. 1. *Primum cœlum & prima terra abiit, & mare iam non amplius est.* Confer, quæ de emphasi horum dictorum omnium ac singulorum adiata sunt superius §. 7. & sq. hic tale ex illis formamus argumentum: quidquid ita transit, præterit, abit, consumitur, inflammatur, exuritur, perit, tabescit, dissolvitur, ut conflagret, finiatur, consummetur & non sit amplius, nec locus ei inveniatur, illud non qualitatum duntaxat immutationem sed ipsius substantiæ abolitionem sustinet. Iam vero de cœlo & terra emphaticis illis loquendi formulis omnibus Spiritus sanctus utitur. Ergo. *Quid est dispariisse cœlum & terram, & ita fugisse, ut locus eis uspiam inveniri non posset, nisi amplius non esse, pro eodem igitur non esse, abiisse & fugisse usurpanda sunt;* scribit Blasius de Viega in Apoc. XXI. p. 812.

§. XL. Ad hoc argumentum sententiæ nostræ primarium variis modis excipiunt, qui contrarium defendunt: 1) *Cœli peribunt non quoad substantiam, sed quoad motum & statum.* Barradius libr. X. Conc. evang. cap. 1. *Cœlestia corpora immutabuntur non quoad substantiam, sed tantum secundum quemdam transitum a motu ad quietem & ad alium statum praestantiorem.* Blasius de Vieg. in Apoc. XXI. *Cœli visibiles non amplius erunt secundum quid, id est, secundum pristinam formam accidentariam.* Timplerus cap. 3. phys. generat. q. 11. Resp. hæc exceptio non satisfacit emphasi dictorum scripturæ, ut cuilibet primo statim intuitu adparet. Quid enim? num *interire, perire, transire, liquescere, non amplius esse &c.* nihil aliud est quam cessare a motu? num *consummari, absumi, dissolvi, e memoria plane deleri* nihil aliud est quam immutari? Sic ergo piorum corpora in die resurrectionis & iudicii immutanda possunt dici interitura, peritura, quin & non amplius futura, imo quidquid in hac vita qualitatum alterationem sustinet, illud non amplius esse dici posset. Num *ita fugere, ut locus ei non amplius inveniatur*, est transire a motu ad quietem? sic ergo quidquid a motu quiescit, omni loco exsulare dicendum erit. Urgemus hoc argumentum: in quo το *esse* cœli & maris consistit, illud in fine mundi abolebitur, quia de cœlo & ma-

ri

ri dicitur, quod *non amplius erunt*. Iam vero *esse* cœli & maris consistit non in qualitatibus, non in motu, non in forma accidentaria, sed in forma essentiali. Ergo in fine mundi non qualitates tantum, non motus tantum, non forma accidentaria tantum, sed ipsa essentialis forma cœli et maris abolebitur. Aliud est *non* amplius *esse*, aliud vero non amplius *tale esse*. Scriptura simpliciter et absolute pronunciat, cœlum et mare non amplius futura, hoc non est temeraria audacia mutandum in eam loquendi formulam, quod non amplius sint *talia* futura. Quidquid ea ratione interit, ut dicatur *a conspectu Dei* παντεπομι *effugisse*, nec locus aliquis, in quo amplius existat, inveniatur, illud non accidentaliter duntaxat ratione qualitatum, sed essentialiter ratione substantiæ interiisse censendum. Iam vero de cœlo et terra Apoc. XX. 11. id diserte adseritur. Ergo. Literali verborum sensui in explicatione scripturæ tamdiu inhærendum, donec evidens necessitas ab eo discedere nos cogat. Neque immerito quis dubitaverit, an cessatio a motu posset dici cœli perfectio. Cœlum eo fine a Deo conditum est, ut perpetuo moveatur, hic cœli motus dependet ab eius forma essentiali, proinde motus potius est cœli perfectio quam quies; perfectio enim rei consistit in eo, ut adsequatur finem a Deo creatore sibi præstitutum. Confer ea, quæ de cœlorum interitu diximus superius §. 28. 2) *Verbum* perire *non semper est tota substantia interire, sed secundum quid duntaxat aboleri. Nam primus mundus aqua diluvii inundatus dicitur periisse*, 2 Petr. III 6. *qui tamen secundum esse substantiale non fuit abolitus; impii in die iudicii dicuntur perituri*, v. 7. *qui tamen essentiae abolitionem vel annihilationem minime experientur.* Martinius in theol. p. 1076. Resp. cœlum et terra non tantum dicuntur interitura ac peritura, sed etiam non amplius futura, ac ita transitura, ut locus eis non inveniatur, quod nec de primævo mundo, nec de impiis scriptura adserit. Abludit etiam exceptio a vero quæstionis statu, qui in eo consistit, an vocabulum απολεσθαι significet mutationem rei ὑσιωδως manentis in statum meliorem, quod nos negamus; cuius quæstionis pars adfirmans ex primævi mundi et hominum impiorum exemplis probari nequit, cum nec mundus primævus per diluvium in meliorem statum fuerit mutatus, sed misere & horribiliter devastatus, nec impii in die iudicii in meliorem statum sint mutandi, sed potius æternæ morti tradendi & sempiterno exitio perdendi. Si ea, quæ in meliorem statum evehuntur, possunt dici απολεσθαι, utique etiam de corporibus beatorum idem dici poterit, quod absonum. Scriptura non per απωλειαν sed μεταχηματισμον gloriosam illam immutationem corporum describit, Philip. III. 21. Adde, quod sit maxima disparitas inter απωλειαν mundi primævi per *diluvium*, ac præsentis mundi destructionem per *finale incendium*; ibi erat partium duntaxat quarumdammundi devastatio, hic erit totius machinæ mundanæ abolitio; ibi erat inundatio duntaxat per aquam superficiem totius οικουμενης occupantem, hic erit conflagratio per ignem cœlum & terram absumentem; ibi seminarium aliquod humani generis manebat residuum, hic vero completo omnium electorum numero succedet finalis & perfecta huius seculi consummatio. 3) *Cœli peribunt, id est, perire possunt, si Deus velit, veterascent*

ſicut veſtimentum, ideſt, poterunt veteraſcere. Barradius d. l. Reſp. imo vero non ſolum de potentia corruptionis, ſed de ipſo actu pſalmographus loquitur: *Cœli peribunt & veteraſcent.* Profero argumentum tale: quo ſenſu ac reſpectu in oppoſito membro dicitur Deus permanere, ac idem ſemper eſſe, eo etiam ſenſu ac reſpectu cœli dicuntur perire & veteraſcere. Iam vero Deus non eo tantum ſenſu ac reſpectu dicitur permanere, ac idem ſemper eſſe, quod non tantum poſſit permanere & idem ſemper eſſe, ſed quod ipſo etiam actu permaneat ac ſemper idem ſit. Ergo etiam cœli eo ſenſu ac reſpectu dicuntur perituri, non quod poſſint duntaxat perire, ſi Deus velit, ſed etiam quod vere et ipſo actu tempore divinitus conſtituto ſint perituri. Urgeo etiam hanc regulam: in propheticis vaticiniis verba non ſunt accipienda tantum de potentia, ſed de ipſo actu, alias nulla eorum foret certitudo, nullus uſus. Sic quando Iacobus patriarcha dicit: *non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat Silo;* nequaquam eſt ſenſus, quod fieri poſſit, ut ſceptrum in tribu Iuda relinquatur uſque ad Meſſiæ adventum, ſed quod revera & ipſo actu ſit relinquendum in hac tribu ſceptrum, donec Meſſias veniat. Idem iudicium de vaticiniis reliquis. Iam vero nemo negare poteſt, Pſalm CII. & in aliis ſcripturæ dictis, quæ de fine mundi loquuntur, proponi vaticinium 4) *Verba Chriſti de cœli ac terrae tranſitu per comparationem intelligenda ſunt: facilius eſt perire cœlos incorruptibiles quam mea verba.* Ianſenius, Sanctius & alii ex pontificiis. Piſcator in epiſt. Rom. VIII. obſerv. XVII. Reſp. oſtendimus ſuperius §. 8. Chriſtum non loqui *comparate* ſed *abſolute*, ac particulam *donec* non eſſe *excluſivam*, quaſi nunquam futurum ſit, ut cœlum & terra tranſeant, ſed *incluſivam.* Adde, quod hæc exceptio non poſſit adcommodari omnibus & ſingulis ſcripturæ dictis, quæ de fine mundi agunt. Quis enim erit ſenſus dicti apud Iobum: *non reſurget homo, donec non erunt cœli?* Num is, facilius eſt cœlos non eſſe, quam hominem non reſurgere? quis ſenſus oraculi Davidici: *Cœli peribunt, tu autem idem permanes?* Forte is erit, facilius eſt cœlos perire, quam te non permanere eumdem. At hac ratione propoſitiones abſolutæ mutantur in comparatas, ac nullum manebit ſcripturæ dictum, ex quo vel qualitatum duntaxat immutationem in mundo futuram probari poſſit; omnia enim per conſictam illam comparationem explicari, vel potius detorqueri poterunt. Explicent vero nobis pontificii, quomodo hæc interpretatio adcommodari queat viſioni apocalypticæ: *Vidi thronum magnum candidum & ſedentem ſuper eum, a cuius conſpectu fugit cœlum & terra, & locus non eſt inventus eis.* Num dicemus, hunc eſſe ſenſum, facilius eſt cœlum & terram fugere, quam iudicem ſuper thronum ſuum non ſedere? at quis non videt, hoc eſſe coactum & conſictum? quis non animaduertit, hunc ſenſum dictis ſcripturæ inferri, non autem ex illis naſci? 5) *Si cœlum & terra per totalem abolitionem peribunt, qua conſequentia habitatores eius ſicut iſta morientur ac peribunt,* Eſai. LI. 6. *cum animas eſſe perpetuas, & reſurrectura corpora noverimus?* Eſt hoc argumentum Hieronymi in comm. illius loci. Reſp. Hieronymus ibidem monet, quod verba prophetica: *cœlum ſicut fumus liqueſcent:* Aquila reddiderit: μειωθησεται, *comminuentur in nihilum;* Symmachus: αλυωσονται, *in ſalis modum con-*

conterentur & evanescent. Iam vero manifestum est, substantialem interitum his verbis emphatice exprimi. Verba Hebræa נָמַס – מָסַס recte verti possunt *sicut haec* id est, quasi nihil interibunt; *sie werden vergehen als ein Schniplein oder Kliplein.* Vide Lutherum in not. marginal. Adde, quod hominum interitum nemo possit vocare accidentalem duntaxat mutationem, multo minus in meliorem statum immutationem, (alias quotquot moriuntur, ad perfectiorem statum eveherentur) sed & substantialis compositi destructio.

§. XLI. II) *Comparatio.* Interitus cœli ac terræ confertur cum illis, quæ totaliter & essentialiter corrumpuntur. Ergo ipsa quoque non accidentaliter duntaxat mutabuntur, sed substantialiter interibunt. Psalm XCVII. 5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Cera ab ardore solis non modo dissolvitur, sed etiam tandem plene ac plane absumitur. CII. 27. Hebr. I. 11. *Cœli sicut vestimentum veterascent.* Esai LI. 6. *Terra sicut vestimentum veterascet.* Quando vestimentum veterascit, non mutatur in statum perfectiorem & pulcriorem mutatis duntaxat qualitatibus, sed potius successive atteritur, & prorsus inveteratum ac detritum dissuitur ac disrumpitur, disruptum & usui minus commodum tandem abiicitur, sic veterascunt etiam cœli sicut vestimentum, tum quia ad interitum magis magisque inclinant, diminutis scilicet viribus & influentiis, tum quia substantialiter ac plenarie tandem interibunt instar vestimenti vetustate attriti. Esai. XXXIV. 4. *Complicabuntur sicut liber cœli.* Apoc. VI. 14. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Creatio cœli per *expansionem tabernaculi* seu cortinæ descripta, Psalm CII. 26. est ipsius substantiæ cœli productio, ergo etiam destructio ac interitus cœli per *complicationem libri* descriptus est ipsius substantiæ cœli abolitio. Esai. XXXIV. 4. *Omnis militia cœlorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu*, quod Christus sic videtur exponere Matth. XXIV. 29. *Stellae de cœlo cadent;* & Iohannes huc videtur respicere Apoc. VI. 13. *Stellae cœli ceciderunt super terram sicut ficus emittit grossos suos, cum a magno vento movetur.* Quemadmodum folium ab arbore decidens non mutatur in statum meliorem ac perfectiorem, nec qualitatum duntaxat alterationem sentit, sed secundum substantiam corrumpitur; sic cœli, qui ad morem foliorum cadentium defluere dicuntur, non ad statum perfectiorem elevari, sed essentialiter corrumpi intelliguntur. Quando cœlum instar libri complicabitur, stellæ foliorum instar ab arbore cadentium defluent. Ergo non manebunt stellæ firmamento infixæ, sicut characteres literarum manent in libro complicato. Esai. LI. 6 *Cœli sicut fumus deficient.* Fumus non secundum qualitates duntaxat mutatur, multo minus in perfectiorem statum extollitur, sed a vento dissipatur, aut si ventus absit, sua sponte evanescit; unde ea, quæ facili negotio, citissime & totaliter intereunt, fumo comparantur. Psalm CII. 4. *Defecerunt dies mei sicut fumus*, quod v. 12. exponitur, *defecerunt sicut umbra.* Sap. V. 15. *Spes impii tanquam fumus, qui a vento dissipatus est.* 1 Cor. VII. 31. *Schema huius mundi praeterit.* Sicut finita comœdia aulæa, & quæ comico actui inservierunt, e medio tolluntur, ut nuspiam amplius oculis intuentium sint obvia; sic decursu huius vitæ spatio cœlum & terra instar cuiusdam aulæi, quod huius seculi co-

mœdiæ inſerviit, e mediotolletur, nec amplius conſpicietur.

§. XLII. Excipiunt 1) Pſalm CII. 27. *uſurpari de interitu cœlorum verbum* חָלַף, *quod mutationem duntaxat, non autem abolitionem ſignificat.* Reſp. imo verbum hoc non tantum qualitatum mutationem ac rei alicuius renovationem, ſed etiam quandoque rei interitum ac perditionem notat, ut ſignificet idem quod *praeteriit*, *tranſiit*, & in ſignificatione activa: *ſuſtulit*, *removit*, *corrupit*. Eſai. II. 18. *Idola mutabuntur.* Targum: יְסוּפוּן *ceſſabunt*, *peribunt*, *ex terra tollentur*. XXIV. 5. *Mutarunt ſtatutum.* Targum: אַכְטִלוּ, *aboleverunt*. Cant. II. 11. *Imber tranſiit*, *ſibi abiit &c.* Utraque vero ſignificatio hic habet locum, quod cœli ſecundum qualitates ſint mutandi, videlicet ante diem noviſſimum, & quod totaliter ſint interituri, videlicet in die noviſſimo, ut colligitur ex addita ſimilitudine veſtimenti, quod primo quidem vetuſtate atteritur, poſtea vero plane diſrumpitur ac interit. Adde quod in locis parallelis hæc cœlorum mutatio per ipſam תש *eſſe* deſitionem & abitionem deſcribatur. 2) *Veſtimentum cœli*, *id eſt*, *ſplendor & claritas ipſius*, Pſal. CIV. 2. *mutabitur*, *quia lux ſolis erit ſeptuplo maior*, Eſai. XXX. 26. *interim ipſa ſubſtantia permanebit*, *ſicut homo mutato veſtimento idem manet.* Blaſius de Vieg. in Apoc. p. 813. *Non dixit regius vates*, *cœleſtia corpora omnino peritura*, *ſed alio longe nobiliori & praeſtantiori*, *tum quoad lucem*, *tum quoad ſtatum*, *veſtimento induenda*, *exploratum autem eſt*, *ſolius veſtimenti mutationem non ad ipſam internam corporis mutationem pertinere.* Reſp. propheta regius non lucem & ſplendorem cœlorum, ſed ipſos cœlos inſtar veſtimenti mutandos eſſe adſerit. *Omnes*, inquit, *ſicut veſtimentum veteraſcent*, *& ſicut opertorium mutabis eos*, *& mutabuntur.* Quemadmodum ergo homo vetus veſtimentum abiicit, & novum induit; ſic Deus cœlos adſpectabiles velut veteraſcens veſtimentum mutabit, ac novos cœlos condet. Thomas in comm. Hebr. I. *Sicut veſtimentum adſumitur ad uſum*, *ceſſante vero uſu deponitur*: *ſic cum fuerit completus electorum numerus*, *mutabitur cœlum quaſi veſtimentum quia iam amplius ad rerum generationem & corruptionem non inſervit.* 3) *Veſtimentum poteſt mutari*, *ut tamen non penitus abiiciatur aut conſcindatur*, *ſed in futurum uſum reſervetur*, *ſicut contingit in veſtibus hyemi aptis*, *quas veris tempore ſeponimus*, *& venturae brumae reſervamus.* Lyranus in Heb. I. *Sicut ceſſante frigore mutatur veſtis*, *quae erat contra frigus neceſſaria*, *non quidem tunc mutatur ſic veſtis*, *quod corrumpatur*, *ſed quia frigus ceſſat*: *ſic cœli & elementa dicuntur mutari*, *quia motus cœli & alteratio elementorum*, *quae ſunt propter generationem*, *manente tamen ſubſtantia ceſſabunt.* Reſp pſalmographus non nude ac ſimpliciter interitum cœlorum comparat mutationi veſtimentorum, ſed veſtimentorum *veteraſcentium ac vetuſtate attritorum*, quæ ita mutantur, ut abiiciantur & eorum loco nova adſumantur. Quemadmodum nova ac mutatoria veſtis vocatur non illa, quae renovatur, ac cui lacinia adſuitur, ſed quæ ex novo panno conficitur, ſic novi cœli dicuntur, non qui renovantur, ſed qui de novo creantur. Gen. XLV. 22. Iud. XIV. 12. & 19. 2 Regum V. 5. 22. & 23. חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת *mutationes veſtium*, id eſt, mutatoriæ veſtes dicuntur, non quæ ex vetuſtis purgatæ, renovatæ, conſutæ &c. ſed quæ prorſus novæ & a prioribus prorſus diverſæ. Quando Geneſ.

XLI.

XLI. 14. dicitur, Ioseph *mutasse vestes* coram Pharaone sistendus, tum non est sensus, quod illas ipsas, quibus in carcere indutus erat, purgaverit ac interpolaverit, sed quod abiectis prorsus veteribus vestibus novas & a prioribus diversas induerit. Quemadmodum quando de vestimentis Israelitarum in deserto oberrantium dicitur, quod per 40. illos peregrinationis annos *non inveteraverint*, Deut. VIII. 4. XXIX. 5. tum sensus est, quod ipsorum quidditas manserit salva; ita e converso, quando vestimentum aliquod dicitur veterascere, tunc quidditatem suam non amplius sartam tectam retinet, nec destructis qualitatibus vitiosis in statum perfectiorem mutatur, sed essentialiter per attritionem corrumpitur, & ut poeta canit:

. . . *Adsiduo consumitur usu.*

Iam vero David & Esaias prophetæ testantur cœlum & terram instar vestimenti inveteratura. Quando David a luctu surgens *vestes mutat*, 2 Sam. XII. 20. non pristinas a squalore & sordibus purgat, sed prioribus abiectis novas induit; sic Deus mutans cœlum sicut vestimentum, non renovat priores cœlos, sed novos creat. 4) *Cœli complicabuntur sicut liber. Iam vero liber involutus non penitus interit.* Resp. quando liber convolvitur, nullus eius ad lectionem manet usus, sic cœli in hac vita sunt liber τῆς θεογνωσιας, *adnunciant enim gloriam Dei*, Psalm XIX. 1. sed in fine seculi hic liber convolvetur ac complicabitur, quia electi utpote intuitiva Dei notitia fruentes nullo amplius externo divinæ cognitionis adminiculo indigebunt. Confer dicta parallela, quæ de cœlorum interitu agunt, ut & ea, quæ de hac ipsa similitudine §. 7. & proxime præcedente sunt adlata.

§. XLIII. III) *Oppositio.* Psalm CII. 27. *Cœli peribunt*, וְאַתָּה תַּעֲמֹד, *tu autem permanes, seu stabilis manes.* Præfixum enim, non solum est *copulativa*, sed etiam quandoque *adversativa*, quam significationem hoc loco eam obtinere, manifestum est ex serie textus. Sic ergo concludimus: quo sensu ac respectu Deus dicitur permanere, eodem sensu ac respectu cœli dicuntur perire, alias non esset oppositio directa. Iam vero Deus dicitur permanere essentialiter. Ergo cœli intelliguntur perire essentialiter. Vel hoc modo: quidquid in oppositione directa ac perfecta uni oppositorum tribuitur, alteri derogatur & vice versa. Iam vero secundum essentiam permanere in hac oppositione Deo tribuitur. Ergo secundum essentiam permanere cœlis derogatur. Quæ enim alias foret oppositio. Cœli perpetuo sibi similes & incorruptibiles a motu ad quietem aliquando transibunt, tu vero secundum essentiam permanebis? v. 28. eadem oppositio emphatice repetitur: *Mutabis eos sicut vestimentum*, וְאַתָּה הוּא *tu vero idem ipse*, scilicet es ac manes, *& anni tui* לֹא יִתְּמוּ, *non deficient*, non consumentur. Anni, qui Deo tribuuntur ανθρωποπαθως, explicandi sunt θεοπρεπως, sunt enim anni æternitatis omnis successionis prorsus expertes, sicut & *dies*, qui Deo tribuuntur Dan. VII. 9. sunt *dies aeternitatis.* 2 Petri III. 8 תַּמּ significat *plene & totaliter consumtus est.* Quemadmodum igitur anni Dei non deficiunt, indeatque ideo, quia ipse secundum essentiam idem semper est ac manet, sic e converso vi oppositionis cœli ideo mutabuntur ac deficient, quia eorum essentia non manet eadem, sed abolebitur Anni Dei non deficient, id est, non e

rit tempus, quo Dei essentia varietur vel aboleatur. Ergo vi oppositionis cœli peribunt ac mutabuntur, id est, erit aliquando tempus, quo essentia ipsorum mutetur ac aboleatur. Esai. LI. 6. *Cœli sicut fumus dissolventur, terra sicut vestimentum veteraſcet; salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.* Quidam per salutem & iustitiam μετωνυμικως intelligunt Christum Salvatorem, qui a Deo nobis factus est *iustitia*, 1 Cor. I. 30. sicuti etiam Esaiæ XL. 8. & in aliis scripturæ locis sic vocatur. Quidam beneficam Dei promissionem de Messiæ beneficiis, sed res eodem redit. Quemadmodum ergo salus & iustitia inde atque ideo dicitur non deficere, quia manent in sempiternum, Ioh. XII. 34. *Audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum*; sic cœli inde atque ideo vi oppositionis dicuntur deficere quia non durabunt in æternum, sed aliquando essentialiter ac totaliter interibunt. Matth. XXIV. 35. Marc. XII. 31. Luc. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Verbum Dei non transibit seu stabile permanebit in æternum in Esai. XL. 8. non secundum externa παθη sive accidentia, videlicet scriptionem, lectionem, prædicationem &c. sed ratione ουσιας seu quidditatis, inde sic colligimus: Quo sensu ac respectu verbum Dei dicitur manere, eo sensu cœlum ac terra dicuntur transire, ut ostendit oppositio. Iam vero Dei verbum inde atque ideo dicitur manere quia ουσια, quidditas & materiale eiusdem manet. Ergo cœli inde atque ideo dicuntur transire, quia ουσιας & quidditatis abolitioni obnoxii erunt. Si statuatur, cœlos qualitatum duntaxat mutationem, non autem substantiæ abolitionem experturos; inter cœli ac terræ transitum ac verbi divini permanentiam non esset oppositio, sed collatio. Vt enim accidentia seu formale externum verbi divini transit manente eius quidditate ac materiali, sic cœli, quoad qualitates & externa accidentia, iidem transirent manente eorumdem ουσια sive essentia, 1 Ioh. II. 17. *Mundus transit & concupiscentia eius, qui autem facit Dei voluntatem, manet in aeternum.* Mundi vocabulum πρωτως ac principaliter hic accipitur ηθικως pro mundanis voluptatibus ac vitiosis cupiditatibus, επομενως ac consequenter etiam accipi potest φυσικως pro cœli ac terræ systemate, quia non solum *quidquid est in mundo*, videlicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitae*, v. 16. *transit*, sed ipsum etiam mundi ædificium aliquando per conflagrationem interibit, unde addit apostolus, *mundus transit & concupiscentia eius.* Qua igitur ratione transit concupiscentia, ea etiam ratione transit ipse mundus, quia το *transire* æqualiter de mundo & concupiscentia eius prædicatur, & vice versa. Qua ratione illi, qui voluntatem Dei faciunt, manent, ea ratione mundus transibit, quia apostolus mundi transitum & eorum, qui voluntatem Dei faciunt, permanentiam directe invicem opponit. Iam vero concupiscentia prorsus ac totaliter interit, ac qui voluntatem Dei faciunt, in æternum manebunt. Ergo mundus prorsus ac totaliter interibit, nec substantia eiusdem in æternum manebit.

§. XLIV. IV) *Novi cœli ac novae terrae promissio.* Esai. LXV. 17. *Ecce ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non adscendent super cor.* LXVI. 22. *Sicut cœli novi & terra nova, quos ego faciam, stant coram me, dicit Dominus.* 2 Petr. III. 13. *No-*

Novos cœlos & novam terram exſpectamus ſecundum ipſius promiſſionem, in quibus habitat iuſtitia. Apoc. XXI. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare iam non amplius eſt.* v. 5. *Dixit, qui ſedebat in throno: ecce nova facio omnia.* Obſerva 1) vocari cœlos *novos* ac terram *novam*, non immutatos ac renovatos. 2) Eosdem dici *creandos.* Quamvis vero vox *creandi* reſpondens Hebræo ברא quandoque uſurpetur pro formatione rei ex præiacente materia, Gen. I. 21. & 27. ac pro renovatione ſive novarum qualitatum introductione, Pſalm LI. 12. tamen prima ac propria ſignificatione uſurpatur pro alicuius rei ex nihilo productione, Gen. I. 1. Agnoſcunt hoc ipſimet rabbini. Sic enim ſcribit rabbinus D. Kimchi in libro rad. בָּרָא לְשׁוֹן בְּרִי אֶה הוּא הִתְחַדֵּשׁ הַדָּבָר וְיֵצְאתוֹ מֵאַיִן לְיֵשׁ *Omnis ſignificatio creationis eſt innovatio rei & egreſſio eius ab eo, quod non eſt, ad id, quod eſt.* Et rabbinus Nachmanni in Gen. I. ſcribit: אֵין אֲצִלֵנוּ בִּלְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ בְּהוֹצָאַת חֵישׁ מִן הָאַיִן אֶלָּא לְשׁוֹן בָּרָא *Non exſtat apud nos in lingua ſancta, quo productionem rei cuiuspiam ex nihilo exprimamus, niſi nomen* ברא. Si cœlos novos creare idem eſſet, quod priores renovare, tunc dici etiam poſſet, *Deum in noviſſimo die novos homines creaturum*, quia corpora reſuſcitatorum novis qualitatibus induet. Sed poſterius dici nequit, quia Deus non creabit homines novos, ſed prius mortuos & exſtinctos reſuſcitabit. 3) Priorum cœlorum nullam amplius fore recordationem. At ſi priores κατ ισχυν manerent, oculis intuentium perpetuo obverſarentur, tantum abeſt, ut omnis eorum memoria penitus foret deleta 4) Singulariter nota connexionem: *Vidi cœlum novum & terram novam; primum enim cœlum & prima terra abiit.* Quia primumcœlum & prima terra abierunt, ideo novos cœlos ac novam terram Deus creabit. Atqui ſi κατ ισχυν primum cœlum ac prima terra manerent, nec abiiſſe, nec in illorum locum novi cœli ac nova terra ſucceſſiſſe dicerentur. 5) Ne quis το παρερχεσθαι *abire* qualitatum duntaxat αλλοιωσει acciperet, ideo additum eſt, και η θαλασσα ουκ εστιν ετι, *& mare iam non amplius eſt.* Sicut mare inde atque ideo dicitur abiiſſe, quia non amplius eſt, id eſt, quia eſſe deſiit; ita quoque cœlum & terra inde atque ideo dicuntur abiiſſe, quia non amplius ſunt, id eſt, quia eſſe deſierunt, quod non poteſt aliter quam de eſſentiali interitu accipi. *Connexio* probatur, quia harum univerſi partium eſt æqualis ratio. Si terra ſecundum ſubſtantiam maneret, utique etiam mare, cum terra per aquam conſiſtat, 2. Petri III. 5. 6) Tandem v. 5. ſubiungitur: *Ecce nova facio omnia.* Non dicit immuto ac renovo omnia, ſed *nova facio omnia*; id eſt, quæ poſt abitum prioris cœli & terræ facio: omnia ſunt nova & a prioribus tota ſpecie diverſa. Excipiunt, *Petrum non dixiſſe, alios cœlos & aliam terram videbimus, ſed veteres & antiquos in melius commutatos.* Hieronymus in comm. Eſai. LXV. Reſp. καινον uſurpatur non ſolum pro renovato ac ſecundum qualitates mutato, ſed etiam pro alio ac ſecundum eſſentiam novo. Sic αρτιοι καινοι dicuntur recentes a veteribus quoad eſſentiam diverſi Matth. IX. 17. *novae linguae* ſunt aliae linguæ, Marc. XVI. 17. *nova veſtis* eſt alia ac recens, Luc. V. 36. &c. Eodem modo accipitur Hebræum חָדָשׁ non ſolum pro renovato ſed etiam pro alio. Sic Exod. I. 8. *Surrexit rex novus*, id eſt, alius LXX. ετερος, *alter.* Deut XXIV. 5. *Cum acceperit vir uxorem*

novam

novam, id est, aliam post prioris repudium vel mortem, LXX. interpretes: προσφατως nuper.

§. XLV. 2) Ex *rationibus*: I) *ab incorruptibilitatis conditione.* αφθαρσια και αθανασια est pars imaginis divinæ, ad quam sola creatura rationalis condita, non autem creatura ulla alia, Sap. II, 23. *Creavit Deus hominem επι αφθαρσια, & ad imaginem propriae similitudinis fecit eum;* quo dicitur: ideo conditus fuit homo ad incorruptibilitatem, quia ad imaginem Dei fuit conditus. Iam vero nulla creatura alia præter angelos & homines est ad imaginem Dei condita. Ergo etiam nulla creatura est ad incorruptibilitatem condita. Creaturæ animatæ longe sunt nobiliores inanimatis, unde muscam sole in ordine entium nobiliorem esse philosophi adserunt. Atqui nulla creatura corporea animata, solo homine excepto, ad immortalitatem & incorruptibilitatem condita, nec resurgent creaturæ animatæ in die novissimo, sed & individua & species earum in consummatione seculi abolebuntur. Ergo nec inanimes creaturæ cœlum, sol, luna & stellae &c. erunt incorruptibiles. Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 8. ex libris Varronis refert, *stellam veneris mutasse magnitudinem, cursum & figuram, idque accidisse, tempore regis Ogygis*; ac notum est patrum nostrorum memoria anno scilicet Christi supra 1572. in signo Cassiopeæ novam stellam adparuisse, ac postquam fere per biennium visa fuerat, iterum evanuisse; de qua licet diversa exstent Mathematicorum & astronomorum iudicia, tamen in ipso æthere eam situm habuisse, ac veram stellam, non autem cometam in aere accensum fuisse, colligitur ex eo, quod Cometæ, qui in elementari regione acceduntur, non ubique eumque intuentibus exhibent adspectum, sed ob propinquitatem nunquam eodem in loco observantur, si ad stellas fixas collatio fiat, quin & tardius quam sidera moventur, quorum neutrum in nova illa stella observatum fuit. Ex eo igitur adparet, ne ipsa quidem corpora cœlestia a transmutationibus esse penitus libera. Confer ea, quæ de cœlis dicta sunt superius §. XXVIII.

2) *ex rationibus. I) ab incorruptibilitatis conditione.*

II) *a temporis cessatione.* Constat ex sacris literis in consummatione seculi finem habiturum esse omne tempus. Apoc. X. 6. *Iurat angelus, tempus non fore amplius.* Esai. LXVI. 23. *Et erit de mense in mensem & de sabbato in Sabbatum;* id est, erit in vita æterna perpetua festivitas & quies pacatissima, quia neomeniæ & sabbata erant populo Israelitico dies festivi. Sic ergo verbis huius seculi prophetа describit res futuri seculi. Constat etiam ex communi theologorum ac philosophorum suffragio, meram & nudam æternitatem omnem temporis successionem excludere. Iam vero tempus est commensuratio durationis secundum motus corporum cœlestium. Quod si ergo cessabit tempus, utique etiam cessabit motus cœlestium corporum; alias enim corporum glorificatorum duratio iuxta illum posset numerari ac commensurari. Excipiunt, *motum cœlorum cessaturum, non autem substantiam interituram.* Atqui motus cœlorum dependet a propria eorum forma. Quod enim fingunt intelligentias orbibus cœlestibus adsistentes eosque moventes, suffragio sacrarum literarum destituitur, ut suo loco plenius demonstratur.

II) *a temporis cessatione.*

Ces-

Cessante ergo motu cœli, cessabit finis, propter quem cœlum conditum, cessabit perfectio, ad quam cœlum conditum, cessabit propria formæ operatio, in qua & cum qua cœlum conditum. *Sicut deorsum ferri terrae naturale est, ita circulariter moveri cælo;* inquit philosophus lib. I. de cœlo text. 15. cessante ergo hoc motu naturali, interibit etiam ipsum cœlum, unde subiungimus rationem. III) *A finis remotione.* Cœlum conditum est fine eo, ut motu & influentiis in hæc inferiora agat, et ad creatoris agnitionem homini inserviat. Sed post seculi consummationem cessabunt vicissitudines generationum & corruptionum in sublunaribus, ergo cessabunt etiam influentiæ cœlorum in hæc inferiora. In vita æterna beati Deum videbunt a facie ad faciem, ergo non opus habebunt creaturarum magisterio. Tota rerum universitas fine eo condita est, ut homini viatori præbeat domicilium, victum & vestitum, atque ut sit θεογνωσιας quoddam speculum. Iam vero corpora beatorum glorificata nec victu nec vestitu nec terreno quodam domicilio indigebunt, nec in speculo amplius & ænigmate, sed clara & intuitiva visione Deum cognoscent, beati non amplius erunt in via, sed in patria; non amplius erunt *viatores*, sed *comprehensores*, ideo etiam non indigebunt amplius huius vitæ adminiculis. Quorsum illa terræ marisque restitutio cum vastissima aëris regione, si nullæ erunt inferioris huius orbis incolæ, sed omnes aut cœli cives beatissimo Dei conspectu fruentes, aut inferni ditiones a facie Dei & omnium creaturarum usufructu in æternum abiecti? IV) Ex *cœlestis Hierosolymae descriptione.* Esai. LX. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* v. 20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apoc. XXI. 22. *Templum non vidi in nova illa civitate*, descendente a Deo ex cœlo. *Dominus enim Deus omnipotens est ipsius templum & agnus.* v. 23. *Et civitas non eget sole nec luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam; & lucerna eius est agnus.* XXII. 5. *Nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernae neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos.* Si in cœlesti Hierosolyma non est templum aliquod materiale, ergo nec aliud quoddam corporale domicilium. Si solis & lunæ, nobilissimarum creaturarum splendor non est incolis sanctæ huius civitatis necessarius, quanto minus reliquarum creaturarum usus. XXI. 25. *Nox non erit illic*, ergo nec προπης αποσκιασμα, Iac. I. 17. *Deus erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28 Ergo nec sustentationem nec delectationem quærent a creaturis. V) Ex *absurdi consecutione.* Si cœli ac terræ exspectatur futura quædam renovatio, utique etiam reliquarum creaturarum αποκαταστασις exspectanda erit, neque enim dari potest evidens ratio, cur quædam duntaxat & non omnes creaturæ sint renovandæ. Si elementa sunt renovanda, utique etiam corpora mixta & animata ex elementis orta, iisdemque præstantiora. Si animalia ac plantæ renovandæ, aut omnia, quæ unquam exstiterunt, specierum individua renovabuntur; aut quædam duntaxat, illa sci-

III) a finis remotione.

IV) ex Hierosol. cœlestis

V) ex absurdi consecutione.

scilicet, quæ extrema mundi conflagratio in die novissimo adprehendet. Si prius, quomodo novus ille orbis omnia individua animalium aereorum, terrestrium, aquatilium, amphibiorum capiet, nisi mirandum in modum dilatetur, eiusque pomœria proferantur? Si posterius, quæ potest dari ratio, cur Deus isthæc tantum individua illo honore dignetur, neglectis, quæ interierunt, reliquis omnibus? Priora, quæ ante mundi finem interierunt, non minus quam posteriora, quæ diem novissimum vivendo attingunt, vanitati fuere subiecta, & promissionem liberationis a servitute corruptionis acceperunt, Rom. VIII. 20. eccur igitur illis duntaxat felicitas perennitatis et perennitas felicitatis contingit, reliquis in squalore & situ æternum permanentibus? Franciscus Puccius adverss. Socinum pag. 38. *Qui tenent renovandam esse terram & cœlum, audebuntur dicere terram fore sine bestiis, aquas sine piscibus, aerem sine avibus, & hos fœtus elementorum perituros, qui sensu simili nobis praediti sunt, cum ipsa elementa, quae sensu illo carent, restituantur?* Sed & brutorum atque arborum illa individua renovata, quem præstabunt hominibus usum, quod ministerium, quale servitium? Num speciem suam per generationem ac plantationem propagabunt? Si quis adfirmet, statuenda erit denuo generationis & corruptionis in futuro seculo quædam vicissitudo. Si neget, cogitandum ipsi erit, quomodo tot myriadibus hominum ad vitam æternam resuscitatorum tam pauca brutorum & vegetabilium individua sufficiant. Si terra per ultimum incendium expurganda & renovanda, utique cum omnibus speciebus erit renovanda, absque illis enim est *inanis & vacua*, omni prorsus ornatu restituta, Gen. I. 2. Si omnes species animantium terram incolentium restituendæ, etiam omnia specierum individua, ut ostendimus. Sed hæc omnia sunt ασυστατα. Si differentiæ, quæ dividunt genus, ad perfectionem & ornatum universi pertinent, consequens fuerit, mundum, qui hodie ante novissimam illam instaurationem eas obtinet, sed post instaurationem ex adversantium hypothesi magna ex parte illis destituetur, minus perfectum tunc fore, quippe præcipua ornatus & complementi sui parte fraudatum. Si quis excipiat, *divisionem generis* (substantiæ corporeæ) *in has differentias* (in simplicem & mixtam, animatam & inanimatam, rationalem & brutam, sensitivam & vegetativam *huic soli seculo convenire, atque omnes illas differentias, corporeum, animatum, sentiens &c. in homine επιτομικως & eminenter reperiri*; is cogitet, primo idem excipi posse de cœlo & elementis, quod huic scilicet duntaxat seculo illorum usus conveniat; deinde πολυποικιλον Dei sapientiam multo magis in expressa distinctarum specierum ac formarum varietate, quam in ista earumdem epitome relucere; ac proinde si nostræ physices aliquis usus in futuro seculo futurus rectiore consilio omnia nobis spectanda propositum iri, cum singula penitius introspicere ac plenius intelligere poterimus. Tilenus part. II. disput. 67. §. 45. & 46. VI) *Ex entium serie & connexione.* In entium gradu summum obtinet locum Deus, ens increatum & infinitum, cui competit æternitas absoluta, ab *ante & post*, principio & fine prorsus carens. Proximo deinde loco statuuntur spiritus creati, angeli scilicet & animæ

VI) *Ex entium serie & connexione.*

mæ humanæ, quibus proprie competit ævum, principium habens sed fine carens. Ultima subsellia occupant substantiæ corporeæ physicæ interitui ac corruptioni obnoxiæ, principium ac finem suæ durationis habentes, quæ proinde non magis perennitatis, quam substantiæ spirituales incorporeæ corruptionis sunt capaces. Si excipias, *cælum ut a qualitatibus contrariis, ita etiam ab interitu per naturam esse immune; elementa licet per partes generentur & corrumpantur, tamen perennem habere naturam in toto; animantium & plantarum individua interire, species vero permanere.* Resp. hæc omnia in hoc duntaxat seculo locum habere, quamvis de cœli incorruptibilitate non immerito dubitetur, sed in fine seculi hæc omnia esse desitura, ut præcedentia argumenta ostendunt. Si regeras, *etiam corpora nostra, quamvis elementaria, tamen perpetuo esse victura.* Resp. resurrectionem ex peculiari Dei beneficio, speciali promissione & supernaturali virtute provenire, ut suo loco ostendimus.

3) *ex Patrum dictis.*

§. XLVI. 3) *Ex quorumdam patrum dictis.* Clemens Romanus lib. II. recognit. inducit apostolum Petrum duos docentem cœlos, unum *superius & invisibile, perpetuum & aeternum, quod spiritus beati incolunt; alterum inferius, visibile, variis distinctum sideribus, corruptibile & in consummatione seculi dissolvendum ac prorsus abolendum, ut eius corpulentiae amoto velamine adpareat cælum illud excelsum iis, qui eius adspectu digni sunt.* Hippolytus in orat. de consummat. mundi: *Fluvius igneus egrediens cum furore instar maris saevi exuret montes & colles, & mare delebit, ac aethera velut ceram inflammatione dissolvet, stellae cadent de cælo, sol convertetur in tenebras & luna in sanguinem, cælum more libri volutabitur.* Iustinus Martyr in paræn. I. ad Græcos pag. 24. *Vnde Plato de cæli dissolutione* (περιλυσεως ȣρανȣ) *opinione concepta ita scripsit? an non id ipsum quoque ex sacris percepit vatibus, atque ab ipsis hoc sic dictum esse arbitratus est?* Idem in qq. & resp. ad orthod. quæst. 93. pag. 348. *In consummatione, non in cælo, quod nunc est, & in terra, quae nunc est, homines factorum referent retributiones, sed in cælo novo & in terra nova, secundum dicta* Esa. LXV. & LXVI. Psal. CII. Hebr. XII. &c. Quæst. 94. pag. eadem: *Inductione melioris cæli καινως γινομενȣ recens facti firmamentum tolli necesse est, tanquam id quod ad constitutionem illam nulli rei sit & usui, ut eius interitu vel tum demum coarguatur, vanum esse, quod de cælo expers ipsum generationis & corruptibilitatis esse, circumfertur eorum hominum dogma, qui id ingenitum aeternumque esse & fine carere dixerunt.* Quæst. 95. p. 349. *Si iuxta apostolum Paulum praeterit habitus huius mundi, certum est simul, necessario alia omnia, quae propter habitum mundi sunt effecta, cum mundi habitu esse praeteritura. Inducetur autem novum cælum & terra, ubi iustis & iniustis meritorum praemia tribuentur.* Postea tamen addit: *aere etsi ad respirationem non indigebimus, ad motum tamen & loci mutationem necessario utemur.* Minutius Felix in octav. *Quis sapientum dubitat, quis ignorat, cælum cum omnibus, quae cælo continentur, ita ut cœpisset, desinere? fontium dulci aqua marisve nutritum in vim ignis abiturum?* Hilarius can. XXVI. in Matth. *Atque ut fides certa esset futurorum Amen dicendo professionem veritatis* (Christus) *adiecit, generationem nostram praeterire non posse, nisi universa ista transcur-*

currerent, eaque quae firma existimantur, cœlum & terram non futura, verba autem sua non posse non esse, quia illa ex conditione creationis suae, id est, profecta de nihilo, habeant id in se necessitatis, ut non sint, haec autem ex aeternitate deducta, id in se contineant virtutis ut maneant. Idem in Psalmo CXVIII. Liter. Lamed. *Non ait David in seculum seculi, neque in secula seculorum, sed in seculum verbum tuum permanet, scit post hoc seculum cœlum & terram praeterire Domino dicente, cœlum & terra transibunt.* Chrysostomus in homil. ad Neoph. tom. V. *Quid sibi vult, stellae cadent de cœlo, sicut folia de ficu? Sicut enim vites, cum uvarum fructibus praegravantur, foliorum exposcunt auxilium necessarium, ut protegantur; cum autem deposuerint fructum necesse est, ut foliis nudentur. Sic se habet hoc seculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cœlum stellas, sicut & vitis folia. Nam nocte pereunte sine dubio stellarum utilitas simul cum nocte deficiet.* Eamdem de *cœlorum corruptibilitate* sententiam proponit Basilius libr. I. hexaem. & Gregorius Nyssenius libr. de creat. hominis cap. 24. Ambrosius lib. I. hexaem. cap. 6. *Haec igitur alii considerantes stabilia esse non posse, aethereum corpus cœli stellarumque esse arbitrati sunt quintam quamdam naturam corporis introducentes, quo diuturnam cœli putarent mansuram esse substantiam. Sed non ista opinio propheticae potuit obviare sententiae, quam divina quoque Domini Iesu Christi Dei nostri maiestas in evangelio comprobavit. Dixit enim David:* Principio terram tu Domine fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt *&c. quod adeo probavit in evangelio Dominus ut diceret:* Cœlum & terra praeteribunt, verba autem mea non praeteribunt. *Nihil igitur agunt, qui propter cœli adserendam perpetuitatem quintum corpus aethereum introducendum putarunt.* Philastrius haeres. LXXIX. p. 34. *Alia est haeresis, quae dicit mundum non mutari, sed in eodem statu permanere etiam post Domini nostri praesentiam.* p. 35. *Restauranda ergo potius non pereunda adnunciat elementa, & quamvis impossibile Deo non est, ut qui fecit ex nihilo omnia, ut iterum delere possit omnia, quod ait beatissimus Iob:* Si autem destruxerit universa, quis ei dicet, quis fecisti? *ergo si ita senseris, omnipotentiam Domini Christi cognosces, sin ea restauranda quis aestimat, sequenter intelliget &c. Nam & apostolus elementa haec liquescere & ad nihilum venire nunciat pariter & prophetat.* Iuvenalis praefat. in hist. evangel.

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.
Nam statuit Genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.

Euthymius in comm. Matth. XXIV. *Stellae de cœlo cadent, tanquam nulli amplius usui futurae, nulla enim tunc erit nox.* Arnobius iunior de Deo trino & uno: *Sicut ex nihilo factus est mundus, ita ad nihilum redigendus erit in fine seculi quia scriptum est: Ipsi peribunt &c.* Rupertus Tuitiensis in comm. Apoc. XX. *De istis cœlis non dubium est, quin sint perituri, videlicet nimio calore soluti, quando super thronum suum magnus iste sedens adparebit. Mirabilis atque pavenda erit illa fuga cœli sive cœlorum. Neque enim silentio fiet, sed terribiliter audienda est disruptio*

ruptio fugientium, sive fuga disruptorum, seque disrumpentium, sicut vetus vestimentum rumpitur.

§. XLVII. 4) *Ex adversariorum quorumdam suffragiis:* 1) Ex *scholasticis & pontificiis.* Franciscus Maronius lib. IV. sent. dist. 49. q. 4. *Videtur consonum verbo scripturae, quod totus mundus debeat comburi, dicitur enim:* coeli & terra transibunt *&c. nisi sanctae aliter exponerent auctoritates;* atqui vere piorum & sanctorum est, non aliter exponere scripturam, quam ipsa verborum evidentia requirit Collegium Conimbricense libr. I. de coelo cap. 3. q. 1. *Quod multi patres,* videlicet Basilius hom. I. & III. in Genes. Theodoretus in comm. Rom. 8. Damascenus lib. II. orth. fid. c. 6. Chrysostomus hom. IX. & X. ad popul. Antioch. Iustinus in resp. ad q. 39. 94. & 95. & in opusc. contra Arist. Irenaeus lib. IV. c. 16. Ambrosius lib. I. hexaem. cap. 6. Gennadius de eccl. dogmat. cap. 7. & *alii coelestes globos incorruptibiles esse negarunt, ad illud respondemus cum Thoma* part. I. q. 66. art. 2. *pronunciatum id ab eis ex mente Platonis, qui docuit coelos non natura sua, sed Dei conservatrice beneficentia ab interitu servari. Veri simile quoque est, illorum aliquos accepisse incorruptibile pro eo, quod ex sua natura habet essendi necessitatem, ita ut nulla via a suo esse decidere queat, quomodo solus Deus est incorruptibilis;* sed haec explicatio non convenit omnibus patrum dictis, ut ipse sonus verborum ostendit, ideo etiam ipsimet Conimbricenses huius suae responsionis infirmitatem agnoscunt & hanc ingenuam confessionem subiungunt: *Tametsi quidam sacrorum voluminum interpretes existimasse videantur, totum astrorum & coelestis mundi compagem divina virtute penitus evertendam, aliamque in eius locum surrogandam.* Franc. Vallesius de natur. phil. c. 89. p. 484. *Plerique nolunt intelligere,* (oracula scripturae de interitu mundi) *mutandas esse naturas & formas corporum coelestium & elementarium, sed motum cum quiete commutandum, & tempus cum aeternitate, manentibus tamen eisdem formis atque essentiis, atque ob has tam insignes mutationes, quas subibunt, dici mutanda faciendaque nova &c.* p. 485. *Sed maius aliquid mihi sonant illa oraculorum praescriptorum verba, mutandos coelos, ut opertorium ipsos perituros, solvendos, novos creandos &c. Videtur probabilissimum esse, mundum hunc corporalem, quem conspicimus, periturum aliquando esse, ac pro illo alium longe praestantiorem esse denuo creandum &c. Alienum enim omnino a ratione est, corpora natura mobilia, quae-quae naturali impetu feruntur, ut coelestes orbes in aeterna violentia contineri. Nihil enim philosophis certius, quam nullum violentum esse aeternum. Coelum autem cum naturaliter feratur circulo, praeter naturam & violenter detineretur. Neque minor inferretur violentia elementorum naturae; si ea quoque, quali nunc sunt, natura durarent. Etsi enim corporibus suis ordine dispositis naturalis succederet quies, esset tamen necesse, statim & illum ordinem & quietem interturbari actione mutua elementarium virtutum, nisi essent activa passivis proxima fine ulla actione, quod nihil ominus rationi repugnat. Quid enim posset illas inducias firmare, nisi a maiore virtute illata violentia? &c. Verisimilius ergo multo est, corpora haec coelestia & elementaria, quae ad hanc velut rerum genesin optime comparata nunc sunt, exacto toto tempore & elevatis successivis mutationibus, quasi toto iam negotio peracto,*

4.) *Ex adversariorum suffragio.*

velut defuncta munere suo finiri, atque alia pro illis longe pulcriora & aeternam illam requiem naturaliter expetentia, & secundum se tota inalterabilia creari denuo quae immutabilibus & aeternis subserviant, ut priora haec nascentibus & intereuntibus deserviunt modo. Ibidem tamen statuit, *mutationem, quae divina virtute futura sit, in substantiam praestantiorem non debere vocari annihilationem, sed creationem.* II) Ex *Calvinianis.* Beza in adnot. maioribus Rom. VIII. 20. *Vanitati, ματαιοτητι, id est, illi per ignem dissolutioni, quae annihilationis erit species, sicut aperte & copiose describitur* 2 Petr. III. 7. 10. 11. & 12. *Promittuntur enim novi cœli ac nova terra, non priorum restitutio sive in eumdem, sive in meliorem statum. Nec iis possum adsentiri, qui hanc dissolutionem ad solas qualitates referendam censent.* Daniel Tilenus Sedanensis in Gallia professor, part. II. disputat. LXVII. §. 37. *Qui cessaturam dicunt mundi essentiam non absolutam sed relativam, quemadmodum lapis manet lapis, etiam postquam desit esse limes, hi nunquam suam sententiam cum testimoniis scripturae, quae de interitu mundi agunt, conciliabunt. Ecquis enim lapidem, cum limes esse desinit, perire, aestuare, dissolvi liquescere & exuri dixerit? aut sicut fumum evanescere? aut quinam id, quod non aboletur, sed duntaxat renovatur, e memoria plane deleri, nec amplius commemorari dicitur? Quomodo stabit antithesis, qua Christus cœlo & terrae interitum, verbis autem suis sempiternam durationem adscribit, si cœli non modo interituri non sunt, sed etiam in melius mutandi? An fidelium, quos iudicium hoc superstites deprehenderit, corpora, dum transmutabuntur, recte quis dixerit intcritura, aut vestimentum, cui Psaltes cœlos comparat, dum veterascit, in melius mutatur? Denique si homo, ut ait Iob, non resurget, donec praetereat cœlum, sequetur nunquam illum resurrecturum, si nunquam istud est interiturum?* Ioh. Chassanio in loc. comm. lib. III. c. XXII. n. 3. p. 409. *Liquido adparet, de novo aliquo cœlo & terra non proprie hic agi, ne quis existimet, ut nonnulli censent, hunc mundum renovatum iri, ipsamque mundi substantiam non perituram esse, sed eius qualitatem, quatenus vitiosa & corruptioni per hominis lapsum est obnoxia. Non renovabitur nec mutabitur mundus, sed plane desinet & interibit, quod innuere videtur etiam Iohannes,* Apoc. XXI. 1. *Cui quaeso usui foret mundus nullis hominibus in eo amplius existantibus?* Polonus in symph. cathol. c. 28. thes. III. p. 960. *Destructio mundi, h. e. cœlorum mobilium, elementorum & corporum elementarium erit substantialis, non accidentalis, erit abolitio & annihilationis species, sicut cœli igni conflagrantes cum stridore sint praeterituri, elementa aestuantia dissolvenda, terraque, & quae in ea opera sunt exurenda.* Bucanus in inst. loc. 38. q. 15. dictum Christi Matth. XXIV. 29. *Stellae de cœlo cadent, secundum litteram* dicit esse intelligendum. Ergo stellæ quæ pertinent ad integritatem mundi non solarum qualitatum immutationem patientur, sed substantialiter abolebuntur. III.) Socinus Photin. in resp. ad defens. Franc. Puccii c. 6. p. 135. *Ego profecto perspicere nondum possum, quibus verbis ex sanctis litteris depromtis rerum cœlestium immortalitatem, seu potius perpetuam permansionem, vel etiam renovationem aliquis confirmare possit, atque iis etiam globum hunc terrestrem adnumerare. Quinimo multa ex divinis litteris testimonia proferri possunt, quibus contrarium perspicue demonstretur.* Postea urget emphasin verborum *transire, praeterire, abire, non esse &c.* Pag. 143.

Vi-

ta haec animalis ac terrestris in die iudicii cessare debet, & eius loco spiritualis ac caelestis substitui. Quid ergo vero caelo & vera terra in illa nobis opus erit? Nonne & caelum & terram, ut huic animali & terrestri vitae inservirent, Deus creavit? qua cessante, propter quam utrumque conditum fuit, an non & ipsa cessare debent? Cum Dominus Iesus aperte dicat, nos angelis Dei similes futuros, quid nobis cum caelo hoc, quod adspicimus & cum terra hac, in qua habitamus, vel cum aliis eiusdem generis? Numquid angeli Dei hoc caelo & hac terra, sive aliis eiusdem generis utuntur atque fruuntur? Cui usui amplius futura sunt nobis omnia, quae in caelo vel in terra sunt, vel alia eius similia? Numquid ad cibos, quibus sustentemur, eorum ope & inde percipiendos, cum immortales futuri simus, & nulla refectione opus habituri? Sed opinor, non quibus sustentemur, sed quibus delitiemur. Ergo & angeli ipsi, quorum pares futuri sumus, non solum cibis utuntur, sed etiam eos huius caeli ope & ex hac terra, sive ex aliis his similibus percipiunt; alioquin si aliunde suos cibos haberent, etiamsi in futuro seculo comedendum nobis esset, non tamen ob eam causam caelo aut terra aliqua vera nobis opus esset. Num fortasse aliquo sole & luna, aliquibusve stellis ac diei & noctis distinctionem, ad tempestatum vicissitudines, ad annos notandos, propter quae sidera omnia creata fuerunt, opus erit nobis, qui in perpetua luce futuri sumus, qui nullam amplius mutationem aut varietatem sumus experturi, qui sempiternam vitam vivemus? Num luce hac creata & ipso sole ac luna ad locum illustrandum, ubi erimus, opus erit nobis, qui ipsam increatam lucem perpetuo praesentem habituri simus, quibusque Deus ipse & claritas eius & Dominus Iesus agnus ille purissimus, in aeternum lucebunt ac vice solis & lunae erunt? Num ad oculorum oblectationem sideribus egebimus nos, qui Deum ipsum praesentem intuebimur, & aeternae maiestatis eius iucundissimo adspectu in omne aevum perfruemur? At credo animantibus caeteris illud novum caelum & terra nova, non nobis usui erunt? Sed Petrus manifeste ait, nobis, non bestiis promissum fuisse a Deo novum caelum & novam terram. Quamquam non video, quomodo si bestiae non minus quam nos immortales sunt futurae, vel aliquo caelo ac terra egere possint, vel varietates & vicissitudines, quas caelum terrae impendens secum necessario adfert, experiri queant. Hæc Socinus, non ineleganter contra cœli terræque renovationem disputans.

§. XLVIII. *Antithesis.* 1) Qui mundum per annihilationem interiturum negant, in diversas abeunt sententias. Quidam enim *essentialiter* per ultimam illam conflagrationem mundum interiturum concedunt, sed negant, eumdem *totaliter* per annihilationem interiturum. Statuunt enim ex cœli ac terræ per universale incendium consumtorum cineribus novum cœlum ac novam terram divina virtute per modum creationis secundariæ in materiam indispositam agente subito ac miraculose emersura, perinde ut Arabica illa avis, quam Phœnicem vocant, rogum ex aromatibus sibi construens, quo corpus eius ita absumitur, ut ex cineribus novus pullus producatur. Quemadmodum enim homo μικροκοσμος interit *essentialiter*, quia compositum dissolvitur, ac corpus anima destitutum in cineres resolvitur, interim tamen non interit *totaliter*, quia anima immortalis perseverat, quæ corpori ex terræ pulvere suscitando aliquando iterum unietur; *Antithesis.*

ita

ita quoque cœli terræque machinam, quam μακροκοσμὸν vocant, *essentialiter* per conflagrationem interire concedunt, sed *totaliter* eamdem interire inficiantur, quia virtus Dei creatrix & conservatrix, quæ est quasi anima mundi adsistens ex cineribus mundi per incendium absumti novum cœlum ac novam terram creabit, *in quibus iustitia* ac Deus ipse omnis iustitiæ auctor *habitabit*, 2. Petr. III. 13. Apoc. XXI. 3. Atque eorum sententia veritati quam proxime videtur accedere. Quidam vero mundum καθ' ὕσιαν interiturum negant, interim qualitatum duntaxat alterationem quamdam successuram autumant, perinde ut homo ex puero fit iuvenis, ex iuvene vir, ex viro senex absque ulla essentiæ abolitione vel mutatione. Alii id declarant similitudine aurei poculi, quod contusum & corruptum per ignem ab aurifabro innovatur. Quidam nihil in mundo abolendum putant, nisi respectum illum, quem habet mundus ad finem suum in hoc seculo, puta ut generi humano per naturalem generationem propagando ac inprimis ecclesiæ Dei colligendæ tum hospitium, tum aliâ vitæ subsidia præbeat, quo fine cessante dicunt cessaturam eius essentiam non *absolutam*, sed *respectivam*, quemadmodum lapis manet lapis, etiam postquam desiit esse limes. II) Quidam existimant, *omnes omnino creaturas* per ignem renovandas, atque a sordibus ex servitute corruptionis ipsis adhærentibus expurgandas. Quidam vero quasdam duntaxat instaurandas ac renovandas, quasdam penitus abolendas, quasdam & renovationis & abolitionis expertes in pristino suo statu permansuras arbitrantur. III) De *cœlo* in specie quidam statuunt, nullam in eo fore alterationem aliam, quam quod a motu ad quietem perpetuam sit transitura. Quidam splendoris & lucis augmentum ipsi accessurum arbitrantur, adeoque non tantum ratione φορᾶς, sed etiam ratione ποιοτήτων mutationem in ipso secuturam statuunt. Utrique tamen ab igne ultimi incendii illud liberum fore adserunt. Quidam vero ipsam ætheream regionem sive cœlum stellatum incendio illo postremo tanquam aurum in fornace purgandum, absterisque omnibus maculis ac sordibus purius reddendum, præstantioribus qualitatibus exornandum, ac sub nova illa forma absque vicissitudine & mutatione ulla in sanctorum ac electorum habitaculum futurum, iisque ad sempiternam felicitatem inserviturum arbitrantur. De *elementis* in specie quidam putant, duo ex illis, ignem videlicet & aquam esse substantialiter peritura, cum eorum in novo cœlo ac nova terra nullus futurus videatur usus, reliqua autem duo terram & aërem non peritura esse, sed renovanda. Quidam contra disputant, nullum omnino elementum in fine mundi periturum, sed omnia duntaxat renovanda arbitrantur. De *terra* in specie quidam statuunt eam ornatu specierum, hoc est, animalium terram incolentium, & plantarum e terra nascentium prorsus destitutam fore, quidam vero etiam brutis animalibus & plantis in ea locum concedunt. IV) De *novo cœlo & nova terra*, hoc est, de cœlo ac terra renovatis discrepantes fovent opiniones. Thomas in additam, quæst. 91. art. 31. *Non erit nox alicubi super terram, sed solum in centro, ubi erit infernus, quia tunc lucebit luna, quantum nunc sol, sol autem in septuplum quam nunc, corpora autem beatorum septies magis quam sol, quamvis hoc non sit aliqua auctoritate aut ratione probatum.* Eius vestigiis insistens Barradius libr. X. comm. in conc. evang. cap. I.

P.

p. 611. eorum conditionem sic describit: *Cœli superiores post iudicium stabunt ac quiescent quia nullae generationes aut corruptiones, nulla diei noctisque vicissitudo erit amplius. Praeter hanc cœlorum quietem novo splendore tam cœlum, sol, luna, astra, quam elementa illustrabuntur a potentissima Dei manu. Terra erit in superficie pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aër ut cœlum, ignis ut luminaria cœli. Neque solum claritatem illam a cœlo obtinebunt, sed ipsamet novo splendore vestientur, quo tamen calor in eis nequaquam excitabitur, quia post iudicium alteratio ab illis aberit. Tota etiam terra erit diaphana praeter tartareas cavernas, ut totus mundus beatorum oculis sit conspicuus, nihilque lateat. Illas etiam terrae spelunças forsitan illuminandas censet* Paludanus lib. V. sent. dist. 48. q. 1. *in quibus post iudicium pueri non baptizati recludentur.* Numquid vero terra arboribus floribusque convestita beatorum oculos oblectabit? an peribunt plantæ, flores, animalia, mixtaque alia? respondet Anshelmus in elucidario: *Terra, quae in gremio suo corpus Domini fovit, tota erit ut paradisus, & quia sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, liliis, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuo decorata.* Guiliel-mus Parisiensis apud Dionysium Carthusianum lib. IV. dist. 48. *De terra quidam ex sapientissimis Christianorum dixerunt, quod graminibus semper virentibus & immarcescibilibus floribus ac perpetua amœnitate instar paradisi terrestris sit decoranda.* Sed Thomas ac reliqui theologi arbitrantur, *mixta omnia abolenda, sunt enim corruptibilia.* Ille vero novus status rerum est incorruptibilium. *Plantae,* inquit Thomas additam. quæst. 91. art. 5. *& animalia sunt de perfectione universi, secundum statum istum mutabilitatis, non secundum statum novitatis.* Bellarminus lib. VI. de amiss. gratiæ & statu peccati cap. 2. longe aliam novi illius mundi faciem nobis describit: *omnino credibile est,* (inquit) *post ultimi iudicii diem elementum aquae ad locum suum naturalem esse rediturum, totamque terram undique cooperturum, nam ut theologi doctores communi consensu docent, post diem iudicii nullae erunt plantae, nulla animantia, nulla corpora mixta, hominibus duntaxat exceptis &c. Quare cum aqua initio mundi totam ambiret terram, ut natura eius postulare videbatur, ac deinde iussu Dei in unum locum congregata fuerit, ut esset locus in terra generationi plantarum & animalium, certe generatione ista sublata ratio ipsa & natura rerum postulat, ut aqua ad locum pristinum revertatur, proinde locus infantum sine baptismo decedentium non alius erit quam infernus &c.* Atqui si terra tota aquis erit obruta, quomodo floribus & plantis erit decorata, quomodo in superficie instar vitri pervia, quomodo gratum oculis beatorum exhibebit spectaculum? Si infantes non baptizati in inferno tenebricoso, in quo erit nox perpetua, constituentur, utique non erunt in eiusmodi cavernis terræ, quæ solis & elementorum claritate illuminentur. Ambrosius Catharinus in comm. 2 Petr. III. *Nec in centro terrae, hoc est, in inferno, nec in cavernis terrae, sed in eius superficie infantibus non baptizatis locum* adsignat, & hac ratione etiam superficiem terræ ab aquis liberat, nisi forte perpetuo aquis innatraturos eos somniet. *Sed in quem usum* (inquit) *nova terra, si nullus habitaturus sit in ea? idcirco congruentissime creditur a multis, eos, qui peccato proprio non merebuntur infernum, nec tamen in Christo receptifuerunt per gratiam, quales pueri absque baptismo discedentes, hanc novam multo pulcriorem terram puram ab omni corruptione*

ne & inquinamento poſſeſſuros, ubi perpetuo Dominum Deum laudabunt. Hanc Catharini ſententiam inter errores refert Iodocus Coccius pontificius part. II. theſauri lib. X. art. 2. pag. 1047. ſed eam Salmeronius Ieſuita amplectitur in comm. 2 Petr. III. tom. XVI. diſp. IV. in Petri p. 140. *Adverte*, inquit, *terram novam formandam. At quaeſo bone Deus in quem uſum, niſi ut pueri, qui ſine circumciſione & ſine baptiſmo deceſſerunt, eam poſſideant, ut ſaepe probabiliter diximus.* Quidam per renovationem illam non ſolum novam lucem & claritatem elementis acceſſuram, ſed etiam naturales eorum qualitates mutandas ac abolendas cenſent. Gerſon in ſumm. de gaud. Paradiſi fol. 433. *Sic purgabuntur elementa, quod proſcindetur ab igne eius combuſtibilitas, ab aëre obſcuritas, ab aqua glacialis frigiditas, a terra gravitas & opacitas.* Sed de novo illo cœlo ac nova terra ubèrius dicetur in ultimi noviſſimi explicatione. V) Quidam ſententiam ſuam ut probabilem defendunt, ac ἐποχὴν quadam hic utendum cenſent, quidam vero ut certum fidei articulum propugnant, et contrariam ſententiam erroris accuſant. Quidquid tamen ſit, in eo plerique omnes ex pontificiis & Calvinianis conſentiunt, quod mundus non ſecundum ſubſtantiam interiturus, ſed ſecundum qualitates duntaxat ſit immutandus. Ex *pontificiis* ita ſtatuunt Barradius d. l. Blaſius de Viega in comm. Apoc. XXI. pag. 814. *Plusquam improbabilis*, inquit, *cenſenda eſt illa opinio, quae adfirmat, cæleſtia corpora in die iudicii quoad ſubſtantiam eſſe immutanda, cum communi doctrinae, expoſitionique ſacrarum literarum a patribus traditae & ab omnibus interpretibus theologisque receptae adverſetur.* Conimbricenſes lib. I. de cœlo cap. 3. q. 1. art. 2. Gregorius de Valentia tom. IV. comm. in Thom. p. 2277. Ribera in comm. Apoc. XXI. Ioſephus a Coſta de noviſs. Perarius diſp. XIV. in epiſt. Rom. VIII. p. 507. & reliqui fere omnes. Ex *Calvinianis* Polanus ſibi contrarius libr. VI. ſyntagm. cap. 70. p. 517. Zanchius in tract. de fine mundi tom. VII. operum fol. 79. Aretius in problem. loco 157. p. 504. Piſcator in epiſt. Rom. VIII. obſervat. 17. & 2 Petr. III. obſerv. 3. Goclenius diſp. phyſ. XXIV. th. 71. Timplerus phyſ. gener. cap. 3. q. 11. Martinus in defenſ. Sadeelis p. 47. & 48. in theolog. p. 1076. Keckermannus curſ. philoſ. diſp. XX. q. ult. Aliſtedius in theol. didact. ſchol. ſect. 4. cap. 40. reg. 5. Bucanus in inſtit. theol. loco XXXVIII. q. 9. p. 431. &c.

§. XLIX. Argumenta pro hac opinione petuntur 1) ex *ſcripturis*, 2) ex *ratiocinationibus*. Ex ſcripturis proferunt 1) *dicta generalia* quæ de mundi æternitate loqui videntur. Deut. XXXIII. 15. *Colles aeterni.* Pſalm LXXXIX. 30. *Ponam thronum eius ſicut dies cæli.* CXLVIII. 6. *Stare fecit ea in ſeculum.* Eccleſ. I. 4. *Terra ſtat in aeternum.* III. 14. *Opera, quae fecit Deus, perſeverant in ſeculum &c.* ſed ad illa iamdum ſuperius §. 17. eſt reſponſum. 2) *In ſpecie* proferunt hæc dicta, quæ proprius ad ſtatum quæſtionis videntur accedere. 1) Pſalm CIV. 29. *Abſcondente te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* v. 30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terrae.* Reſp. 1) Non de renovatione mundi futura in fine ſeculi, ſed de annua & quotidiana mundi renovatione,

Argumenta pro accidentali mutatione 1) ex ſcripturis. 1) ex Pſalm CIV. 29.

tione, quæ individuis quotidie intereuntibus fit per conservationem specierum & novorum individuorum productionem, per veris post hyemem successionem, per terræ fœcundationem &c. 2) Si ad renovationem in fine seculi futurum hunc locum referre velimus, consequens fuerit, etiam bruta animalia esse resurrectura ad incorruptibilitatem, quod tamen ipsimet renovationis patroni negant.

§. L. II) Esai. XXX.

II) ex Esai. XXX. 26. *Erit lux luna sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die, qua adligaverit Dominus vulnus populi sui.* Resp. 1) In sensu literali agitur de felicissimo & lætissimo rerum statu, quem post Assyriorum delectionem populus Israëliticus Dei beneficio sit persensurus. Quemadmodum enim tristis ac luctuosus rerum status verbis propheticis ac metaphoricis per occasum solis & lunæ, per obfuscationem astrorum ac tristem cœli faciem describitur, Esai XIII. 9. Ierem. IV. 23. &c (confer præced. tract. §. 94.) ita quoque lætitiæ, pacis ac quietis restitutio per splendorem solis ac lunæ describi consuevit. Cum enim homines in anxietate constituti animo perturbantur, lumen solis ipsis quodammodo obscurum videtur; sed cum lætitia redit, tunc omnia vicissim ridere, ac sidera ipsa splendidiora adparere videntur. Esth. VII. 5. de infelici Iudæorum statu dicitur: *Fuit dies illa tenebrarum & disriminis, tribulationis & angustiae, & ingens formido super terram*, sed de mutata in meliorem sortem Iudæorum conditione VIII. 16. dicitur: *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium.* 2) Typice, mystice ac anagogice fatemur adcommodari posse ad instaurationem ecclesiæ inchoandam per evangelicæ lucis splendorem, quo antiquæ legis umbra dispelletur, (quo adcommodant hanc prophetiam Cyrillus & Procopius in comment. Augustinus in qq. utriusque testamenti q. 105.) consummandam in ultimo Christi ad iudicium adventu, per quem plena ab omnibus hostibus liberatio & perfecta felicitas piis continget; (quo adcommodant hoc vaticinium Hieronymus, Haymo & Lyranus in comment.) sed tunc μεταφορικως verbis huius seculi res futuri seculi describi quilibet animadvertit. 3) Nam Esai. LX. 19 Apoc. XXI. 23. cœlestis Hierosolyma luce solis indigere negatur. Ac notum est septenarium esse numerum perfectionis, nihil ergo aliud quam perfecta beatorum lætitia & gloria significatur.

§. LI. III) Actor. III. 20.

III) Ex Act. III. 20. *Dies iudicii vocatur tempus αποκαταστασεως παντων. Ergo etiam mundi instauratio in eo fiet.* Resp. 1) Oecumenius το αποκαθιστανειν interpretatur εις περας ελθειν, quam significationem etiam exprimit Syrus. At hæc interpretatio potius adversatur mundi renovationi. 2) Restitutio illa omnium explicanda est secundum fidei analogiam, & intelligenda secundum subiectam materiam. Deo restituetur honor & gloria, quam princeps huius seculi immiuit. Ruinæ angelorum per beatam illam αποκαταστασιν & beatorum hominum glorificationem implebuntur. Corpora e terræ pulvere susciata animabus restituentur, & glorioso Christi corpori conformabuntur. Pii in possessionem regni per lapsum Adæ amissi postliminio quasi restituentur. Defunctis parenti-

bus restituentur liberi, maritis uxores, fratribus sorores, ac vice versa. In his beata illa ἀποκαταστασις consistit. 3) Petrus ipse restitutionem illam limitat ad ea, de quibus in verbo exstat divina promissio; addit enim: παντων ων ελαλησεν ο θεος δια στοματος παντων αγιων προφητων, *quae locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum.* Quidam relativum ων referunt ad remotius, videlicet χρονων, sed rectius refertur ad propinquius, quia Deus non restituet simpliciter omnia, sed ea tantum, quæ promisit se restituturum. 4) Si absolute ac simpliciter universalem omnium restitutionem statuere velimus, etiam damnatos, etiam bruta animalia, etiam paradisiacas arbores omnes & singulas ἀποκαταστασεως illius cogemur reddere participes. 5) Si vel maxime ad cœlum & terram illa restitutio referatur propter divinam promissionem Esai. LXV. 17. *Ecce ego creo cœlos novos & terram novam;* nondum tamen consequens erit, restitutionem illam fore per nudam qualitatum immutationem, cum per novam novi cœli ac novæ terræ creationem futura promittatur. Qui pro obsoleta ac detrita veste novam ac longe pulcriorem reddit, is non minus vestem restituit, quam qui priorem interpolatam ac sordibus deterſam reddit.

§. LII. IV.) Rom. VIII. 19. *Exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat.* v. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* v. 21. *Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* v. 22. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscat & parturiat usque adhuc.* Hic locus apostolicus primarius est, quem pro contraria sententia vel maxime urgent. Expresse enim videtur apostolus adserere, quod creatura æque ac filii Dei a corruptione sit liberanda & ad libertatem ab omni corruptione sit liberanda & ad libertatem ab omni corruptione immunem traducenda. Resp. consideranda sunt in hoc dicto, 1) *subiectum*, 2) *praedicatum.* Subiectum est η κτισις v. 19. & quidem πασα η κτισις v. 22. Quid vero nomine *creaturae* h. l. intelligatur, de eo plurimum variant interpretum sententiæ. Quidam de angelica, quidam de humana, quidam de corporali natura intelligunt. 1) Origenes, Theodoretus in comm. Nazianzenus orat. I. in Iulian. Cyrillus lib. III. thesauri cap. 1. &c. per creaturam intelligunt *angelos*, qui vanitati & servituti corruptionis non suæ, sed hominum maxime electorum serviunt, & ab hac servitute liberabuntur in consummatione seculi & resurrectione piorum ad vitam æternam. Quidam tamen piorum posteriora duntaxat verba v. 22. *Omnis creatura ingemiscit;* quidam vero & priora & posteriora ad angelos referunt. Hieronymus in comment. dubius est, magis tamen inclinat in eorum sententiam, qui de angelis exponunt: *Diversi*, inquit, *hunc locum diversis modis exponunt, sive omnis creatura resurrectionis tempus exspectat, quia tunc in melius commutabitur, sive angelica, sive rationalis creatura. Petrus enim dicit, etiam angelos gloriam desiderare sanctorum.* Et postea: *Vanitati subiecta est creatura, si angeli hominibus ministrant, sicut angeli gaudent super pœnitentes, ita dolent super converti nolentes.* Item: *Manifeste docuit apostolus, quia ingemiscentiam creaturae tribuit, quod non de irrationali vel insensibili creatura ser-*

sermonem fecerit. Sed hæc interpretatio probari non potest. 1) Quia apostolus in genere loquitur, πασα κτισις. 2) Angeli sunt beati & in bono ac gloria confirmati; ergo de ipsis dici nequit, quod sint *vanitati subiecti*, & ab ea liberandi, quod sint in dolore & gemitibus. 3) Angeli non inviti sed sponte inserviunt hominibus, Psalm CIII. 21. Hebr. I. v. ult. &c. 4) Explicatio illa occasionem dedit impiæ hæreticorum quorumdam opinioni, cuius meminit Augustinus lib. LXXXIII. qq. q. 67. quod *angeli omnes in dolore & gemitibus sint, donec nos homines penitus ab omni miseria liberemur.* II) Quidam de *creatura rationali*, videlicet de hominibus, textum apostolicum accipiunt, sed diversimode. Quidam enim de *hominibus in carne adhuc viventibus*, quidam de *spiritibus defunctorum* textum accipiunt. Illorum aliqui in *genere* de omnibus hominibus, ac proinde de homine, ut homo est & Dei creatura, intelligunt. Augustinus in expos. propos. epist. Rom. n. 53. & lib. LXXXIII. qq. q. 67. *Omnis creatura in homine est, quia intelligit spiritu, & sentit anima, & localiter corpore movetur.* Probat ex eo, quia apostolus non dicit *totam*, sed *omnem creaturam*, & quia *absurdum est gemitum tribuere creaturae irrationali.* Idem statuunt Anshelmus in comment. & ex pontificiis Andreas Masius in Iosuæ VI. *Omnis creatura*, inquiunt, *id est, omnis homo, qui est nodus & vinculum omnis creaturae, microcosmus & mundi miraculum, quia homo ab omnibus creaturis aliquid participat, ab elementis scilicet esse, a plantis vegetari, ab animalibus sentire, ab angelis ratiocinari, & sic omnes creaturae patiuntur in homine & cum homine.* Sic creatura capitur pro homine Marc. XVI. 15. Col. I. 23. Atqui 1) nec de piis nec de impiis hominibus dictum apostolicum intelligi potest, ergo etiam de hominibus in universum accipi nequit. Non de illis, quia creaturam ingemiscentem a piis expresse distinguit v. 23. Quidam sane ut Aretius, Salmeronius de *solis Apostolis* in illo versiculo sermonem esse volunt, cum illi fuerint *christianae ecclesiae primitiae*, confer Oecumenium in comm. Sed contrarium ostendit *generalitas descriptionis*; loquitur enim Paulus de omnibus piis, *qui primitias spiritus habent, & redemtionem corporis exspectant, quique spe salvi facti sunt*, v. 24. *qui per patientiam liberationem exspectant*, v. 25. *quorum infirmitatem Spiritus adiuvat*, pro quibus *Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.* v. 26. *Qui sunt sancti*, v. 27. *qui Deum diligunt*, quibus *omnia cooperantur in bonum; qui secundum propositum vocati sunt &c.* v. 28. quæ omnia non possunt ad solos apostolos adcommodari. Neque vero Paulus sic loquitur, *non solum autem sed & nos Christi vel Spiritus primitiae*, quæ phrasis ad apostolos referri peculiariter posset, sed dicit, *nos qui primitias Spiritus accepimus*, quod omnibus vere piis est commune. Socinus in resp. ad Pucc. p. 176. refert ad *Christum*, piorum caput, ut sit sensus, omnes Christianos ab interitu & corruptione liberatum iri non secus ac Christus ipse liberatus fuit, ut sic respectus habeatur ad v. 17. *coheredes Christi, si tamen compatimur &c.* At quomodo de Christo dici potest, quod liberatus fuerit a servitute φθορας, *cum caro eius non viderit* διαφθοραν, Psalm XVI. 10. Act. II. 31 XIII. 37. ut nihil dicam de eo, quod perquam coacte ad remotius verba apostoli referantur. Missa igitur hac interpretatione addit Socinus particulam et propter *angelos* fuisse adnexam, qui Dei beneficio ac libe-

ralitate a corruptione absunt. Sed ostendimus iam ante non satis commode de angelis dici posse, quod vanitati sint subiecti, & a servitute corruptionis liberandi. Non de his, quia impii non tam solicite exspectant liberationem filiorum Dei, nec ingemiscunt pro illa obtinenda. 2) Apostolo non est propositum hoc loco explicare, quid sit in homine, vel quid in homine patiatur, sed quid *extra hominem* una cum ipso patiatur. v. 21. *Non solum ipsa*, creatura, *sed & nos ipsi εν εαυτοις intra nos ipsos ingemiscimus.* Cohortaturus enim pios ad patientiam in adversis, proponit eis exemplum tum *ipsius Filii Dei Christi Iesu* v. 27. cum quo si patiantur, glorificationem certo exspectare possint, tum *totius creaturae* quae propter Deum creatorem vanitati subiecta a servitute corruptionis aliquando liberabitur. 3) Gemitus tribuitur h. l. creaturae non *proprie*, sed *metaphorice* per prosopopoeiam, ut postea monebitur. 4) Particula *πασα* in scripturis accipitur tum *collective* tum *distributive*, ac pro ratione subiectae materiae explicanda est per το *omnis* vel *tota*. Quidam ergo putant, hoc loco vertendam esse per το *omnis*, cum apostolus loquatur non de *partibus*, sed *speciebus* creaturae; *totum* enim dicitur respectu specierum, *omne* respectu partium. Sed potest sine ulla absurditate accipi non solum de *generibus singulorum*, sed etiam de *singulis generum*, nam & *omnis creatura*, hoc est, omnes creaturae corporalis species, *& tota creatura*, hoc est omnia specierum individua servituti corruptionis sunt subiecta.

§. LIII. Quidam vero in specie de *certa hominum classe* locum hunc exponunt. Cum enim omnes homines in duas distribuantur classes, in *pios* scilicet ac *impios*, iustos & iniustos, renatos & non renatos; inde quidam de illo, quidam vero de hoc hominum genere locum explicant. Priorem interpretationem profert Gregorius in comment. Iob. III. lib. IV. moral. cap. 41. *Iustos*, inquit, *quamvis nullus desiderium carnalium tumultus possideat, duris tamen vinculis eos in hac vita positos suae molestia corruptionis ligat. Aliud nempe iusti de morte & aliud de corpore tolerant, & contra semetipsos quotidie interno certamine desudant &c. Verum haec creatura tunc a servitute corruptionis eripitur, cum ad gloriam filiorum Dei resurgendo sublevatur. Hinc itaque electi molestiae vincti sunt, quia adhuc corruptionis suae paena deprimuntur, sed cum corruptibili carne exuuntur, ab omnibus, quibus nunc adstricti sunt, molestiae vinculis relaxantur.* Gregorium sequitur Lyranus in comment. *Creaturae sunt boni, qui in creatione Dei manserunt, vel quia sunt causa omnium.* Item: *Creatura est homo non amans ista caduca, patienter tamen ferens, sciens Deum subiecisse ad conservationem humilitatis, liberabitur autem a cura quaerendi victum & alia, quibus servitur nostrae mortalitati.* Eadem interpretatio probatur Caietano, Catharino in comment. & Salmeronio disp. XVII. in epist. Rom. tom. XIII. pag. 556. qui eam hisce ornant pigmentis: *dicitur homo iustus praecise creatura, vel quia is manet in eo bono, in quo creatus a Deo fuerat, in gratia scilicet & iustitia, vel propter excellentiam, quia omnis creatura electorum hominum causa potissimum a Deo condita est, atque eis praecipue deservit; quo sensu vox creaturae usurpatur.* Iac. I. 18. Voluntarie nos genuit, ut simus initium aliquod creaturae eius. *Dicitur omnis creatura, ut significetur universitas iustorum cuiuscunque nationis, sexus, aetatis, conditionis & professionis fuerint.*

rint. Haec creatura, hoc est, iustus exspectat revelationem gloriae filiorum Dei, tanquam complementum praemii & consummationem suae felicitatis sibi promissam; interim subiectus est vanitati, hoc est, rebus corporalibus & mutabilibus propter necessitates praesentis vitae circa eas occupatus &c. Socinus in resp. ad defens. Francis. Puccii cap. 6. p. 170. pro adstruenda isthac interpretatione sequentia urget fundamenta: 1) *articulus additus voci* κτισεως v. 19. *praeter numerum singularem aperte demonstrat, de insigni aliqua creatura verba fieri, de ea scilicet cuius in praecedentibus fecerat mentionem, videlicet de hominibus per Spiritum Dei regenitis.* 2) *Non tantum in primis illis verbis articulus est, sed in sequentibus semper repetitur, & postremo eo in loco ponitur, ubi necesse fit, si recte Latine interpretari velis, addere pronomen* hæc *aut* illa; v. 22. πασα η κτισις, *omnis illa, sive haec creatura. Si Paulus de omni creatura generatim loqui voluisset, non* πασα η κτισις, *sed* πασα κτισις *dixisset, ac in superioribus, ubi non est nomen* omnis, *non in singulari, sed in plurali numero locutus fuisset.* 3) *Si de tota rerum natura apostolus verba facere voluisset, non dixisset* πασα, *sed* ολη κτισις. 4) *Res ipsa, de qua Paulus hic loquitur, de alia creata re, praeterquam de homine per Spiritum Dei regenito, verba haec intelligi vetat. Quaenam creatura patefactionem filiorum Dei exspectat, praeter illos homines, qui divinitus edocti spiritum mentis suae renovati sunt?* Αποκαραδοκια *ipsum actum & gestum exspectandi ante oculos ponit, significat enim exserto capite exspectare, at hic actus hominibus tantum competit. Quomodo omnibus creaturis unquam adcommodabitur illud* non volens, sed sua sponte? *quomodo illud* in spe? *quomodo illud* ingemiscit & parturit usque adhuc? *Num plusquam poëtice & per prosopopaeiam quamdam prorsus inauditam haec omnia dicta fuisse adseverabimus? At quemadmodum non per prosopopaeiam de iis, qui primitias Spiritus habebant, sed secundum ipsissimam veritatem dicitur, quod intra se gemerent, exspectantes adoptionem filiorum Dei, sic de omni illa creatura vere & non ficte dictum fuit, quod ingemisceret ac parturiret.* 5) *In aliis etiam scripturae locis verbum creare pro regignere & quasi iterum creare, ac nomen creaturae pro homine ponitur.* Sed quid de his rationibus statuendum sit, partim ex praecedentibus intelligi potest, partim ex sequentibus manifestum erit. Ostendimus iam ante, pios ab illa creatura secum ingemiscente distingui. Iusti sunt ipsi filii Dei, *quorum revelationem creatura solicite exspectat*, utique ergo per creaturam non possunt praecise intelligi iusti. Adde quod vox *creaturae* indefinite posita, quo modo v. 20. ponitur, nunquam in scripturis pro solis piis & iustis hominibus usurpatur; sed perpetuo additur quædam descriptio ac επεξηγησις, ut *creatura nova*, 2 Cor. V. 17. Gal. VI. 15. quanto minus ita accipi commode poterit, quando additur *particula universalis* πασα quod fit v. 22. Socinus d. l. urget dicta apostolica Ephes. II. 10. Iac. I. 18. in quibus vox *creaturae* absolute posita usurpatur pro hominibus regenitis, sed *descriptio addita* significationem illam satis luculente demonstrat. *Creati sumus in Christo ad opera bona, genuit nos verbo veritatis.* Posteriorem interpretationem recitat Augustinus d. l. *Creatura, hoc est, homo infidelis liberabitur a servitute corruptionis, hoc est, a peccato, quia vocabitur ad fidem, fietque filius, ut postea libertatem gloriae filiorum Dei consequatur. In eis,* (inquit) *qui crediturі erant, videbat apostolus, quod dicebat, quia creatura, hoc est, natura ho-*

hominis, quae tantummodo creatura est, nondum per fidem adgregata numero filiorum Dei, liberabitur a servitute interitus, ut interitui non serviat, cui serviunt omnes peccatores. Peccatori enim dictum est: morte morieris. *Liberabitur autem in libertatem gloriae filiorum Dei, id est, ut & ipsa perveniat ad libertatem gloriae filiorum Dei per fidem, quae fides cum in ea non erat, creatura tamen modo dicebatur, & ad ipsam refertur, quod sequitur:* Scimus quia omnis creatura congemiscit *&c. erant enim adhuc credituri, qui spiritu subiacebant laboriosis operibus.* Sed apostolus hoc loco non agit de *liberatione a servitute peccati*, quae fit per fidem in hac vita, sed de *liberatione a servitute corruptionis*, quae non nisi in morte ac per mortem obtingit, quod ipsum ex v. 23. Augustinus ibidem recte colligit. *Haec adoptio*, inquit, *quae iam facta est in iis, qui crediderunt, in spiritu, non in corpore facta est. Nondum enim corpus reformatum est in caelestem illam mutationem, sicut spiritus iam mutatus est reconciliatione fidei ab erroribus conversus ad Deum &c.* Adde quod impii & iniusti, quatenus tales, servituti peccati sponte sint subiecti, nec desiderent ab ea liberari. Qui de spiritibus defunctorum textum exponunt, illi eum accipiunt, de *animabus sanctorum ante Christum defunctorum*, qui liberationem ex limbo cupide exspectaverint. Hieronymus in comment. *Omnem creaturam dicunt esse, quicunque usque ad adventum Christi iusti fuerunt, quia & ipsi nondum accipientes exspectant, Deo pro nobis aliquid melius providente.* Et postea: *Communem creaturam nominat post Adamum & Evam iustos, qui fuerunt usque ad tempus Christi &c.* Sed haec sententia 1) nititur falsa hypothesi. 2) Nec satis commode de animabus in limbo dicetur, quod *vanitati & servituti corruptionis* fuerint subiectae, quia poenam duntaxat *damni*, non autem *sensus* illis alias tribuunt. 3) Apostolus dicit *creaturam adhuc ingemiscere & exspectare.* Atqui eo tempore, quo apostolus haec scribebat, limbus iamdum erat evacuatus, ut ipsimet huius limbi architecti concedunt. Quod v. 20. indefinite dicitur, *vanitati subiecta est creatura*, illud quidam *specialissime*, adeoque *individualiter* de Adamo & Eva accipiunt. Hieronymus in comm. h. l. Quidam etiam sic dicunt: *Adam & Evam esse creaturam, quos olim serpens a spe divinitatis vanitati subiectos corruptioni effecerit deservire, non ex semetipsis peccantes, sed serpentis instigatione & consilio. Et ipsi*, inquiunt, *liberabuntur, ut iam non corruptioni deserviant.* Et postea: *Creatura autem Adam est & Eva, quae adhuc exspectat, a Deo se recipere adoptionem. Vanitas est praevaricatio, cui subiecta Eva non propria voluntate, sed a serpente decepta spe illa, qua audierat:* eritis quasi Dii; *servitus autem est corruptionis, quam audivit Adam:* terra es, & in terram ibis. *In resurrectione autem recepturi sunt incorruptionem filiorum Dei.* Sed haec interpretatio iisdem evertitur argumentis, quibus prior, ac idem utrobique manet subiectum in propositionibus apostolicis, ut series connexionis ostendit.

§. LIV. III) Quidam ergo non de *angelica*, nec de humana, sed de *corporali & irrationali creatura*, hoc est, de tota universitate creaturae, corporalis & ratione carentis, quae comprehendit caelos, elementa, aliaque ex elementis constituta, locum apostolicum exponunt. Ita statuunt ex Graecis patribus Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in comm. h. l.

h. l. ex Latinis Hilarius lib. XII. de Trinit. Ambrosius lib. IV. hexaëm. & auctor commentariorum in epist. Pauli, qui sub nomine Ambrosii in operibus eius exstant, & ex nostris plerique omnes. Probatur hæc interpretatio. 1) ex *creaturae adpellatione.* Κτισις proprie significat, quidquid est a Deo creatum, totam scilicet mundi machinam cum omnibus partibus & contentis. Syrus reddit ברית a radice ברא *creavit.* 2) Ex *invariata repetitione.* Apostolus in quatuor distinctis versiculis nomen *creaturae* quater repetit sine ulla variatione, permutaturus procul dubio hoc nomen voce alia, nisi creaturam generaliter acceptam intelligere voluisset. 3) Ex *aliorum locorum collatione.* Sap. XIII. 5. *A magnitudine & speciei & creaturis per analogiam generator illorum conspicitur.* Rom. I. 20. *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, conspiciuntur;* ubi manifestum est nomen κτισεως pro visibili creatura accipi. 4) Ex *oppositione.* Creaturæ illi, de qua apostolus v. 19. 20. 21. & 22. egit, opponuntur v. 23. *homines*, & quidem *filii Dei, Spiritum adoptionis habentes.* 5) Ex *sufficienti enumeratione.* Si enim nec angelica nec humana creatura intelligi potest, ut ostendimus, utique ergo creatura corporea, visibilis & irrationalis intelligitur. 6) Ex *interpretum testificatione.* Multi enim ex veteribus & recentioribus ita interpretantur, ut ostendimus. Diximus autem intelligi *creaturam corpoream, visibilem & irrationabilem*, ut ab hoc subiecto propositionis apostolicæ excludamus *angelos & homines.* Et sane angelos malos hic excludi, dubium nullum, quia illi non *liberabuntur a servitute corruptionis, nec exspectant revelationem filiorum Dei in die novissimo secuturam*, sed diei illius mentione exhorrescunt, ut colligitur ex Matth. VIII. 29 2 Pet. II. 4. Iud. v. 6. Bonos angelos & Spiritus defunctorum piorum *creaturae* adpellatione *simul* intelligi statuit Aretius in prob loc. 156. p. 499. *Miror*, inquit, *si de illis, qui in cœlis agunt vitam beatissimam, textus apostolicus intelligi non possit. Sancti enim defuncti exspectant corporum suorum restitutionem, sine quibus beatissimam vitam agere non possunt, quibus dum carent, merito sub servitute interitus eo respectu dici possint. Sancti angeli gaudent peccatoribus pœnitentibus, quibus dum serviunt, quid impedit, de illis etiam accipi ratione ministerii non naturae.* Sed de angelis non posse hunc locum intelligi, iam ante ostendimus. Regerunt, qui angelos ab apostolo nomine *creaturae* simul intelligi arbitrantur, 1) *angelos bonos dici subiectos vanitati & corruptioni non suae, sed hominum, quibus inserviunt:* 2) *ab hac vanitate eosdem liberandos, quando totus mundus sua vanitate peribit, & gaudium beatorum perfectum erit;* 3) *ingemiscere eos ac dolore suo quodam modo. Vt enim lætantur super peccatore pœnitentiam agente*, Luc. XV. 10. *sic ob corruptum hominum statum dolent, sensu miseriae nostrae adficiuntur, & gloriam filiorum Dei, per quam ruinam suam sciunt esse reparandam exoptant.* At hæc omnia tum demum locum haberent, si angeli, ut reliquæ creaturæ corporeæ impiis inservirent, illud enim servitium apostolus præcipue hoc loco nomine *vanitatis* intelligit, ut ostendimus. Iam vero angeli piis duntaxat inserviunt. Adde quod sit dispar ratio inter *laetitiam* ac *tristitiam.* Lætantur angeli peccatoribus pœnitentiam agentibus, quia hic adfectus non pugnat cum gloria & felicitate, in qua divinitus confirmati sunt; tristari ac dolere minime

possunt, quia tristitia & dolor cum felicitate illa pugnat, in cœlo enim *nec dolor nec gemitus*, Apoc. VII. Explicationi de spiritibus pie defunctorum robur aliquod quæri posset ex eo, quod Apoc. VI. 11. *animae martyrum* diem iudicii ac resurrectionis solicite exspectare dicuntur, sed quia animas cœlestis gloriæ participes iamdum factas *vanitati adhuc subiectas*, & *a servitute corruptionis adhuc liberandas* statuere perquam durum, ideo eas a latitudine *subiecti* in textu apostolico secludimus. Si quis vero omnino *sanctos angelos* & *animas pie defunctorum* nomine creaturæ simul velit intelligere, is poterit v. 19. ubi *indefinite* ponitur creaturæ nomen, de corporali, visibili & rationali creatura accipere; sed v. 22. ubi additur particula *universalis*, πασα κτισις, in genere de omni ente creato, de tota entis finiti latitudine accipere, quo modo accipitur Iudith XVI. 17. Apoc. III. 14. ac per *ingemiscentiam & parturitionem* vehemens desiderium absque ullo doloris & molestiæ sensu intelligere. Fateri interim cogetur, nihilominus ab hac creaturæ universalitate excipi *angelos malos & animas damnatorum*, itemque articulum v. 22. additum, πασα η κτισις, videri αναφορικον, ut sit sensus *omnis illa creatura*, scilicet de qua hactenus actum, adeoque αυτη η κτισις, *illa ipsa creatura*, ut v. 21. habetur, *nobiscum ingemiscit*, qua ratione identitas *subiecti* in singulis quatuor versiculis evidenter confirmatur.

§. LV. *Praedicatum* tria membra complectitur: 1) *subiectionis servitium*, 2) *exspectationis desiderium*, 3) *liberationis beneficium*. De primo dicit apostolus v. 20. ματαιοτητι, *vanitati subiecta est creatura non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe*; v. 21. dicit, *eam esse constitutam sub servitute corruptionis*. Per ματαιοτητα 1) Chrysostomus, Theophylactus Oecumenius &c. intelligunt *corruptionem*. *Quemadmodum*, ait Chrysostomus in comm. *homine corruptibili effecto creatura quoque corruptibilis est effecta, sic homine effecto incorruptibili & ipsa quoque subsequetur*. Homil. X. ad popul. Antioch. *Deus mirabilem fecit hunc mundum sed corruptibilem. Vanitati creatura subiecta est, hoc est, corruptibilis facta est Deo iubente. Iussit autem Deus sic propter hominem. Quoniam enim hominem creatura nutrire debebat corruptibilem, & ipsa corruptibilis esse debebat. Non enim decebat corruptibilia hominum corpora incorruptibili creatura uti.* Diceretur ergo hoc sensu ματαιοτης *servitus corruptionis*, hoc est corruptio, quæ est quædam servitus, ut enim servus invitus servit, ita creaturæ intereunt invitæ. Vera est hæc interpretatio, sed non plena, nec præcipuum apostoli scopum attingit. 2) Origenes lib. I. περι αρχων cap. 7. *Vanitas haec sunt corpora, in quae animae ante corpus existentes ob peccata sua sunt detrusae, & talia corpora sunt etiam sol, luna, imo & terra & cæli. Haec enim omnia habent animas, quae ante ea exstiterunt, ac consequenter possunt ipsa peccare, iudiciumque Christi aeque ac homines subibunt. Haec ergo corpora proprie exspectant resurrectionem, & ut a corruptione liberentur, proprie sperant & ingemiscunt.* Hæc interpretatio hæretica est & absurda, ut ostendit Epiphanius hæres. 64. & Hieronymus in epist. ad Avitum. 3) Erasmus ματαιοτητα vertit *frustrationem*, quod creatura non adsequatur illud, quod utcunque contendit efficere; το ματαιον enim quandoque significat *frustraneum*, quod fit ματην *frustra*, quo

agens

agens non adsequitur finem, quem sibi proposuit. Creaturæ propositam habent incolumitatem sui, eam vero impedit φθορα sive corruptio, & apostolus ipse ματαιοτητα exponit per δουλειαν φθορας. Natura meditatur *immortalitatem speciorum* per quotidianam ac perennem individuorum successionem sed hoc frustra fit, quia non solum *individua* quotidie intereunt, verum etiam ipsæ species in consummatione seculi abolebuntur. 4) Socinus d. l. 180. per *vanitatem*, cui creatura, hoc est, ut ipse interpretatur, *homines regeniti in hac vita* sunt subiecti, intelligendam esse dicit, *non corruptionem simpliciter, quae omnibus animantibus, non tantum hominibus communis est, sed abiectionem, ignominiam & perpessiones illas, quarum antea apostolus mentionem fecerat, & quae Christianorum sunt propriae, quas necessario non corruptio tantum, sed plerumque immatura etiam corruptio consequitur.* Sed in nullo scripturæ loco φθορα pro illis calamitatibus & passionibus piorum usurpatur. Vera igitur & genuina interpretatio est ea, qua per *vanitatem*, *cui creatura subiecta est*, intelligitur non solum defectus mutabilitatis, corruptio & mortalitas, cui omnes creaturæ corporeæ ac visibiles subiectæ; sed etiam ac cumprimis servitium illud, quo creaturæ in hac vita abusibus impiorum coguntur esse subiectæ. *Omnis homo vivens vanitas est*, inquit psaltes Psal. XXXIX. 6. quia ergo creaturæ inserviunt homini, ideo per hoc servitium subiiciuntur vanitati. Omnes homines sunt mortales & corruptibiles, quia ergo creaturæ inserviunt hominibus impiis nequiter eis abutentibus, ideo per hoc servitium subeunt δουλειαν φθορας. *Sol oritur super bonos & malos, pluvia descendit super iustos & iniustos*, Matth. V. v. 45. aërem communiter hauriunt pii ac impii, terra omnes ex æquo alit, & mortuos tam bonos quam malos in gremium suum recipit, terra nascentibus omnes fruuntur, cum tamen soli pii beneficiis illis digni sint; hoc ergo servitium impiis præstitum est illa ματαιοτης ac δουλεια φθορας, cui creaturæ in hac vita coguntur esse subiectæ. Sic vinum est bona & præclara Dei creatura, sed cogitur in hac vita servire cupiditatibus ebriosorum. Hæc est illa servitus corruptionis, *cui creatura illa subiecta est non volens*, unde *ingemiscit*, & iuxta prosopopœiam apostolicam *expetit ab hac servitute liberari*; eligit enim potius non esse & in nihilum abire, quam abusui ebriosorum inservire, & hac ratione contra creatorem suum quasi militare. Idem iudicium esto de reliquis Dei creaturis. Potest cum hac explicatione coniungi prima & tertia; nam propter peccatum non solum homo morti, sed etiam tota creatura *corruptioni* est subiecta, ac sæpe cogitur luere pœnam scelerum ab hominibus commissorum. Propter peccatum protoplastorum terræ maledictio denunciatur, *ut germinet spinas ac tribulos*, Gen. III. 17. 18. in diluvio propter peccata hominum totus terrarum orbis misere vastatur; propter peccata Sodomitarum totus illius regionis tractus, qui ob pulcritudinem, amœnitatem & fertilitatem *paradiso* comparatur, igne cœlitus depluto exuritur; in plagis Ægypti terra, aqua, aër propter Pharaonis obstinatam malitiam inficitur ac corrumpitur; impiis minatur Deus *cœlum ferreum ac terram aeneam*, quæ est misera vanitas & corruptio, cui propter hominum creaturis pessime abutentium peccata natura rerum est subiecta. Præcipuus insuper creaturarum finis est,

ut ex illarum inſpectione Deum creatorem agnoſcamus, Rom. I. 20. atqui hunc finem apud impios creatura non adſequitur, ideoque in illis ad θεογνωσιαν informandis inſtar magiſtri negligentes & refractarios diſcipulos informantis fruſtra laborat, quæ etiam eſt *vanitas & ſervitus corruptionis*, quo ſenſu ac reſpectu tertia interpretatio cum quarta coniungi poteſt.

§. LVI. Cæterum huic vanitati & ſervituti corruptionis creatura dicitur ſubiecta, ουκ εκουσα, *non volens*, *ſed propter eum*, *qui ſubiecit eam in ſpe*, id eſt, non proprio vel naturali motu ſe illi ſubiecit, ſed Dei creatoris voluntate eidem ſubordinata, ſive certo modo atque ordine eſt ſubiecta. Syrus reddidit לא בצבינה, *non pro voluntate ſua*, *non ſponte aut pro voto ſuo*, ac προσδιορισμον adiectum επ ελπιδι coniunxit cum verſiculo ſequente 21. *in ſpe*, *quod & ipſa creatura liberabitur &c.* Quomodo vero creatura *non volens* vanitati ſubiecta? Qui per *vanitatem* intelligunt mutabilitatem & corruptionem, in varias abeunt ſententias, cum eſſe mutabile & corruptibile videatur creaturæ corporali ac viſibili eſſe naturale, utpote proveniens ab eſſentialibus eius principiis. Thomas illud *non volens* ſic interpretatur, quod *defectus*, *qui conſequuntur naturae corporeae mutabilitatem*, *cuiusmodi ſunt*, *ſenium*, *putrefactio corruptio &c. ſint contra naturam particularem huius vel illius rei*, *cuius nimirum appetitus tendit ad ſui conſervationem*, *& fugit ſui corruptionem.* Theophylactus refert ad Dei providentiam & creationem. *Hoc*, inquit, *ſignificat Dei providentia & cura mundum eſſe conditum*, *nec ipſum per ſe fuiſſe exſtructum*, *ſed totum ad commoditatem & uſum hominis a Deo eſſe factum.* Alii referunt ad ſecuturam mundi renovationem: *Non volens dicitur*, *quia cum hic mundus exſpectet mirabilem illam renovationem & ſtatum gloriae*, *ad quem in reſurrectionis tempore perventurus eſt*, *ideo praeſentem hunc ſtatum tanto ignobiliorem dicitur non velle*, *comparatione ſcilicet maioris boni*, *quod exſpectat.* Sed quia per vanitatem & ſervitutem corruptionis diximus præcipue intelligi ſervitium, quod impiis in hac vita creaturæ impendunt; ideo ſenſus eſt, quod creatura quaſi abhorreat a peſſimo illo impiorum abuſu, interim tamen quia primitus ad uſum hominis condita, ideo Dei creatoris imperio & ordinationi obſequitur. Cum enim apoſtolus per emphaticam proſopopœiam totius creaturæ corporeæ univerſitatem, velut unam quampiam perſonam nobis proponat, ut poſtea videbimus, ideo etiam ſenſum & adpetitum ipſi tribuit, quod *non volens* vanitati illi, hoc eſt, impiorum abuſui ſit ſubiecta.

§. LVII. De ſecundo *praedicati* membro dicit apoſtolus v. 19. η αποκαραδοκια της κτισεως την αποκαλυψιν των υιων του θεου απεκδεχεται. & 22. *Scimus*, *quod omnis creatura συστενάζει και συνωδινει αχρι του νυν.* Dixerat v. 18. *paſſiones huius temporis non eſſe condignas ad futuram gloriam*, *quae in nobis revelabitur*; v. 19. ſubiungit αιτιολογικως, *ſolicita enim creaturae exſpectatio revelationem filiorum Dei exſpectat*, 1) ut quodammodo explicet magnitudinem ac pondus futuræ illius gloriæ, cuius cauſa, donec reipſa contingat, omnes moleſtias & quævis huius vitæ adverſa æquo animo tolerare debeamus, cum etiam irrationalis creatura anxie ac ſolicite tempus illud, in quo gloria filiorum Dei manifeſtanda eſt, exſpectet, quod

quod magnum est argumentum, gloriam illam esse augustam & inæstimabilem. 2) Ut certitudinem secuturæ illius gloriæ demonstret, quia enim omnis creatura revelationem filiorum Dei avidissime exspectat, ideo ea certissime suo tempore sequetur; neque enim illud universale totius naturæ desiderium a Deo ipsi innatum atque insitum potest esse frustraneum. 3) Ut dignitatem filiorum Dei exprimat, quod illis non solum *omnia in bonum cooperentur*, quod *primitias Spiritus acceperint*, quod *cum Christo patiantur*, ac proinde etiam *cum ipso glorificandi sint*, sed quod omnia etiam una cum ipsis ingemiscant, parturiant, & liberationem eorum unice expetant. Magna autem in verbis apostoli est emphasis. Exspectationem illam creaturæ revelationem filiorum Dei desiderantis vocat ἀποκαραδοκιαν, quod Hilarius lib. XII. de Trin. vertit *longinquam*, Ambrosius *frequentem exspectationem*, iam inde scilicet a prima mundi origine, vel saltem a lapsu protoplastorum cœptam & quotidie durantem. Theophylactus rectissime vertit *solicitam*, *anxiam & quasi exserto capite factam exspectationem*. Componitur enim hæc vox ex απο, α, καρα *caput*, & δοκειν *videre*, qui enim aliquid videre magnopere desiderant & cupide exspectant, exporrecto sive exserto capite subinde illud prospiciunt, in altum suspiciunt, quasi rem desideratam inde exspectent. Syrus reddidit: *omnis creatura exspectat & oculos intendit* מכניא, *in specula quasi exspectat*. Philip. I. 20. utitur hac voce apostolus ad exprimendum vehemens illud *desiderium ac spem*, qua adflictiones, quas pro Christo patiebatur, in ipsius gloriam cessuras sperabat. In versione Aquilæ habetur Psalm XXXVII. 17. pro התחולל *vehementer exspectavit*, *instar parturientis*, qua similitudine etiam postea utitur apostolus. Polybius utitur hoc vocabulo de *anxia*, *solicito illa exspectatione*, *quam exercitus ad praelium parati habere solent*, *dum exspectant imperatoris mandatum*. Emphatice igitur vox αποκαραδοκιας *exspectationem creaturae solicitam* exprimit. Auget emphasin, quod apostolus non simpliciter dicit, creatura exspectat, sed *exspectatio creaturae exspectat*, quo dicitur creaturæ tam anxie atque avide gloriam illam exspectant, ut videantur esse ipsa exspectatio. Per *revelationem filiorum Dei* intelligit plenariam communicationem gloriæ cœlestis in vita æterna, quæ filiis Dei in die novissimo continget, ut colligitur ex Coloss. III. 4. 1 Ioh. III. 2. Hæc filiorum Dei revelatio est *consummata consolatio*, *hoc est*, *consummata gloria*, *quae non erit nisi resumtis corporibus*, ait Hilarius in Psalm CXXV. 22. Addit *creaturam συστενάζειν και συνωδινειν*, ubi recte notat Chrysostomus, quod apostolus προσωποποιει τον κοσμον, ὡστε εμφατικωτερον ειναι τον λογον, *introducit totam rerum creatarum universitatem velut fœminam quamdam parturientem & ingemiscentem ob dolores*, *quos ante partum & in partu sustinet*. Quia enim dies novissimus est tempus παλιγγενεσιας, Matth. XIX. 28. quo terra magno & mirando partu corpora resuscitatorum in lucem edet, ac *filii resurrectionis* in vitam prodibunt, Luc. XX. 36. ideo creaturam adventum diei novissimi cupide exspectantem parturienti & præ dolore ingemiscenti fœminæ confert. Talis prosopopœia etiam in aliis scripturæ locis occurrit, sic mare, flumina, montes, arbores, introducuntur a Spiritu sancto, ut *plaudentes*, *iubilantes & exsultantes &c.* Non autem simpliciter & ab-

solute pronunciat apostolus, quod *creatura ingemiscat & parturiat*, sed quod συστενάζει ac συνωδίνει *simul ingemiscat* ac *simul parturiat*, vel quod creaturæ inter sese, vel (quod convenientius est, ut adparet ex v. 23.) quod *una cum homine* ingemiscant & parturiant, hoc est, in similitudinem parturientis doleant, anxie exspectantes tempus, quo filii Dei sive gloria filiorum Dei est revelanda; quamvis diversitas quædam lectionis hic occurrat. Quidam enim codices olim habuerunt, *congemiscit & parturit*, quo modo legit Hieronymus in comm. Esai. XXIV. Quidam: *congemiscit & condolet*. Augustinus d. l. Quidam: *ingemiscit & parturit*, Cyrillus lib. V. Thess. cap. 7. Hesychius lib. V. in Levit. Ambrosius in comment. sed dubium nullum, genuinam esse lectionem eam, quæ habet, *congemiscit & comparturit*. Additus προσδιορισμος, αχρι νυν diversimode exponitur. Qui ad *homines pios* referunt, sic exponunt, quod ille dolor ac gemitus per gratiam iustificationis non sit ablatus, sed maneat in piis usque ad mortem. Qui ad *spiritus defunctorum* referunt, eo sensu accipiunt, quod animæ usque ad diem resurrectionis corporum suorum restitutionem & gloriæ filiorum Dei revelationem exspectent. Sed quid de hisce hypothesibus statuendum sit, iam ante vidimus. De corporea, visibili & irrationabili creatura apostolo sermo est, quam dicit *usque nunc* exspectare, ut ostendat desiderium illud esse non solum anxium, sed etiam continuum, quod iam inde a lapsu protoplastorum cœperit, ac ab eo tempore perpetuo duraverit, quin & ad finem usque mundi duraturum sit.

§ LVIII. De tertio *praedicati* membro tractat apostolus v. 21. *quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, hoc est, anxia illa creaturæ exspectatio non frustrabitur suo eventu, quia creatura a servitio illo, quo impiorum abusibus servire cogitur, aliquando liberabitur. Quod additur εις ελευθεριαν της δοξης diversimode exponitur: 1) Chrysostomus accipit *causaliter*; particulam enim εις exponit per διὰ *propter* vel *in commendationem* libertatis & gloriæ filiorum Dei, idquod declarat quadam similitudine. *Quemadmodum nutrix, quae infantem alit regium, illo ad regium principatum evecto & ipsa quoque bonorum fructuum percipit; pari ratione, cum homo gloria donabitur, hanc eius gloriam caeterae creaturae, quae homini servierunt, participabunt.* Thomas in supplem. q. 91. art. 3. *Quemadmodum pater familias, cum dignitas filio nova confertur, illius famulos novo atque illustri amictu induit; sic Deus, cum nova sempiternaque dignitas homini in cœlo tribuetur, creaturam, quae illi inservit, illustriore veste decorabit.* Sed hæc explicatio renovationem mundi fere præsupponit, quod adhuc in quæsito est. 2) Quidam exponunt *exemplariter in libertatem*, hoc est, in imitationem vel ad exemplum *libertatis gloriae* sive *gloriosae filiorum Dei*, ut sic similem quamdam libertatem, stabilitatem & immortalitatem cum filiis Dei reliquæ creaturæ intelligantur accepturæ. 3) Ambrosius accipit *temporaliter*, quia εις ελευθεριαν accipit pro εν ελευθερια *in libertate*, ut sic denotetur tempus, quo liberanda erit creatura a servitute corruptionis, nimirum quando filiis Dei *libertas gloriae*, hoc est, gloriosa liberatio ab omni miseria, infirmitate, mutabilitate, adflictione, adeoque ab omnibus corporis & animi malis obtinget. 4) Posset etiam par-

ti-

ticula εἰς exponi *eventualiter*, ἐκβαθέι κως creatura *liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, hoc est, quando creatura in consummatione seculi ab illa vanitate & servitute corruptionis liberabitur, tunc *libertas gloriae* sive glorioſa libertas filiorum Dei in publico angelorum & hominum conſpectu manifeſtabitur.

§. LIX. Hiſce probe obſervatis facile adparet ex hoc loco apoſtolico mutationem præſentis mundi in ſtatum meliorem non poſſe apodictice demonſtrari 1) quod ſi enim de *creatura angelica* vel *humana* ſubiectum apoſtolicæ prædicationis accipiatur, nihil præſidii in hoc textu invenient, qui accidentium duntaxat abolitionem defendunt. Sed quia interpretationes illæ, licet magnis in eccleſia doctoribus probatæ, textui minus conveniunt, ac ſimplicius eſt per *creaturam* intelligere univerſam creaturam corpoream, viſibilem & irrationalem, ideo addimus, 2) apoſtolum nequaquam dicere, quod *liberanda ſit creatura a corruptione*, quæ phraſis ſubſtantiali interitui oppoſita videri poterat, ſed a *ſervitute corruptionis*, quæ eidem minime adverſatur. Renati in hac etiam vita liberantur a *ſervitute peccati*, Rom. VI. 7. interim non liberantur plenarie ab *ipſo peccato*, quippe quod in carne ipſorum adhuc habitat, VII. 17. Si Chriſtianus in Turcia captivus detineatur, ac miſera ſervitute prematur, inque ea tandem moriatur, is liberatur a ſervitute corruptionis, ſed non ab ipſa corruptione, quia corpus eius in pulverem convertitur. Si creaturæ liberantur a *ſervitute corruptionis*, hoc eſt, a ſervitio, quod hominibus impiis in hac vita mortali impendere coguntur, interim tamen ipſæ non ſunt nec fiunt liberæ a corruptione. 3) Liberatio illa creaturæ non fit per renovationem, reſtaurationem, incorruptibilitatis communicationem, inque meliorem ſtatum mutationem, ſed per ipſam corruptionem atque annihilationem, quando ſcilicet hominibus impiis non amplius cogentur ſervire. Quo enim ſenſu *vanitas & ſervitus corruptionis* ipſis tribuitur, eodem ſenſu oppoſita *liberatio a ſervitutis corruptionis* ipſis aſſignanda, ut oſtendit oppoſitio. Iam vero *vanitas & ſervitus corruptionis* creaturæ tribuitur ſenſu eo, quod impiis turpiter ac nefarie contra voluntatem creatoris illis abutentibus coguntur in hac vita ſervire. Ergo etiam liberatio a ſervitute corruptionis eo ſenſu illis tribuenda, quod ſervitium illud una cum hac vita mortali deſinat, quæ ſervitii abolitio non ſolum per *renovationem*, ac reſtaurationem, ſed etiam per *annihilationem* fieri poteſt; ac proinde ab *indeterminato* ad *determinatum*, a *genere* ad *certam ſpeciem*, a *liberatione* ad *modum liberationis* per renovationem non debet fieri progreſſus. 4) Tertullianus libr. de anim. cap. 42. de Epicuro memorat, quod *mortem ad nos nihil pertinere, hoc evincere voluerit argumento, quod diſſolvitur, ſenſu caret, quod autem ſenſu caret, nihil ad nos.* Seneca in conſolat. ad Martiam, *per mortem homini liberationem ab omnibus malis contingere* dicit; atque interim in morte totaliter hominem interire opinatur. *Mors*, inquit, *omnium & ſolutio eſt & finis, ultra quam mala noſtra non exeunt.* Ibidem: *Non poteſt eſſe miſer, qui nullus eſt.* Quod ille ſenſu Epicuræo de homine ad immortalitatem condito falſo adfirmavit, illud ad creaturas corporeas propter huius vitæ uſum conditas ſano ſenſu adplicare poſſumus. Interitus creaturæ ſervitii illius, cui in hac vita ſubiecta eſt, & ſolutio eſt & finis, ultra

tra quem servitium illud non exit. 5) Merito vero urgemus illud, quod apostolus nomine *creaturae* non tantum intelligat cœlum, elementa ac terram, sed omnes omnino corporeas, visibiles & irrationales creaturas, quæ abusui impiorum in hac vita non minus quam cœlum, terra & elementa sunt subiectæ. Quod si ergo *liberatio illa a servitute corruptionis* aliquando futura esset per renovationem & incorruptibilitatis participationem; consequens foret, non solum cœlum & elementa, sed etiam corpora mixta, ac omnium specierum in brutis & arboribus individua esse aliquando renovanda & ad incorruptibilitatem resuscitanda, quod tamen nec ipsi renovationis patroni concedunt. Vim huius instantiæ Franciscus Puccius in defens. adv. Socinum ferre non potuit, inde p. 38. disputat, *etiam bruta animantia esse ad incorruptibilitatem resuscitanda.* 6) Ideo vero apostolus maluit dicere, *creaturam liberandam a servitute corruptionis*, quam totaliter interituram, tum quia voluit usurpare talem phrasin, quæ etiam de homine prædicari posset, nec tamen hominis respectu interitui esset opposita. Iam vero totalis interitus ac corruptio in die novissimo hominibus non competit, liberatio autem a servitute corruptionis hominibus est etiam communis: tum quia voluit in prosopopœia allegorica & hyperbole illa metaphorica, qua creaturis irrationalibus actus quosdam rationis dedit, persistere, qua dicitur: Si creaturæ abusui impiorum in hac vita subiectæ sensus ac rationis essent participes, præoptarent potius omnimodam annihilationem, quam talem servitutem. 7) Ex phrasi εις ελευθεριαν colligi nequit, *terminum ad quem* liberationis fore unum ac eumdem creaturæ cum filiis Dei; alias enim sequeretur, creaturam etiam vitæ æternæ & cœlestis gloriæ filiis Dei promissæ fore participem, sed denotatur duntaxat *liberationis tempus*, ut ex Ambrosio monuimus. Quidam addunt, *non institui identitatem*, sed *generalem comparationem*, cuius sensus hic sit: sicut certa est liberatio filiorum Dei a sua vanitate & servitute corruptionis, cui in hoc mundo subiacent, sic etiam certa erit reliquarum creaturarum a vanitate liberatio, quamvis liberationis modus utrobique plurimum variet. Confer Feurbornium in disp. contra Phil. Cæsarem th. 132. & seqq.

§. LX.

V) 1 Cor. VII. 31. *Figura huius mundi praeterit.* *Figura*, inquiunt, *praeterit, non natura.* Resp. 1) Ex subordinatis fiunt pugnantia. Et *Figura* & *natura* sive substantia mundi præterit, ut ex aliis scripturæ dictis intelligitur. 2) Iohannes 1 epist. II. 17. simpliciter dicit: *mundus transit & concupiscentia eius.* 3) Scopus apostoli est docere, quod nihil in mundo stabile sit ac firmum, nihil constans ac perpetuum, sed omnia fugacia & fluxa; sic ergo utendum esse mundo, ne eo abutamur, non esse corde adhærendum rebus illis fluxis ac transitoriis, sed animum ad cœlestia esse elevandum. Huic scopo magis congruit sententia de substantiali mundi interitu, quam de accidentali mutatione. 4) Per *mundum* interprete Piscatore in scholio XXXI. p. 1000. & aliis intelliguntur res huius mundi & ad hanc vitam necessariæ. Eas vero penitus desituras nemo inficiari potest. Confer quæ de hoc loco dicta superius §. 9.

V) 1 Cor. VII. 31. Figura huius mundi praeterit.

§. LXI.

§. LXI. VI) 1 Thess. IV. 17. *Rapiemur in nubibus in aëra in occursum Domino. Ergo etiam in novo mundo aër ac nubes dabuntur.*

VI) 1 Thess. IV. 17. rapiemur in nubibus in occursum Domino.

Resp. 1) Beatus ille raptus & occursus finalem mundi παγγενεσιαν præcedet, ut suo loco ostendimus. 2) Cœlestis Hierosolyma, per *novum cœlum ac terram novam praefigurata, nec solis nec lunae splendore indiget*, Esai. LX. 19. Apoc. XXI. 23. quanto minus caliginosi huius aëris nubibus indigebit? 3) Si in novo mundo nubes & alia meteora locum habebunt, ergo etiam generationis & corruptionis vicissitudines in eo erunt; quia meteora generantur ex vaporibus & fumis e terra elevatis, ac resolvuntur in pluvias & ventos &c. 4) Sicut nubes, in quibus Christus ad iudicium redibit; ita quoque nubes, in quibus electi rapientur obviam Christo, semel duntaxat istud ministerium exhibebunt, ac munere suo postmodum defungentur; succedet enim æterna serenitas & pacatissima tranquillitas omnis caliginis & nubium expers. 5) Quinimo quales futuræ sint illæ nubes, in quibus Christus veniet ad iudicium, & in quibus electi Christo obviam rapientur, hominem exacte scire arbitramur neminem, quamvis probabiliter de illis disseri possit.

§. LXII. VII) 2 Pet. III. 11. Apostolus sic concludit: *Cœlum & terra in adventu Christi renovabuntur. Ergo multo magis nos renovari oportet, qui properamus Christo obviam in adventu eius.* Zanchius in tract. de fine mundi tom. VII. oper. pag. 80.

VII) 2 Petr. III. 11. Cœlum & terra renovabuntur.

Resp. 1) Apostolus non *renovationis*, sed *dissolutionis ac conflagrationis* mentionem facit v. 7. *cœli & terra reservantur igne in die iudicii*; v. 10. *cœli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra & quae in ea opera sunt, exurentur*; v. 11. τουτων ουν παντων λυομενων, *cum haec omnia dissolvenda sint*; v. 12. *per adventum diei Domini cœli igne succensi solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Ecquis vero dixerit *transire, conflagrare, dissolvi*, esse idem quod *renovari*. 2) Apostolus non concludit a *pari*, nec a *minori* ad *maius*: Cœlum & terra renovabuntur. Ergo multo magis nos renovari oportet. Sed doctrinæ de reditu Christi ad iudicium & interitu mundi hactenus expositæ usum practicum monstrat, qui consistit in exhortatione ad studium pietatis & sanctitatis, perinde ut Christus, postquam dixerat Luc. XXI. 33. *Cœlum & terra transibunt*; subiungit v. 36. *Vigilate omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, & stare coram Filio hominis.* 3) In quo argumento apostolico maior est emphasis, quam si renovatio duntaxat cœli ac terræ statuatur: Veniet Dominus ad iudicium ex improviso sicut fur in nocte; veniet terribilis & glorioſus, destruet enim cœlum ac terram; veniet iudicaturus ac damnaturus impios. Ergo non solum æquum ac fructuosum, sed etiam necessarium est, sancta conversatione & serio pietatis studio ad illum Salvatoris nostri adventum nos præparare. Cœlum, terra, mare, & omnia quæ in illis sunt, ultimo illo orbis incendio conflagrabunt. Ergo terrenis & transitoriis rebus non adhæreamus amore inordinato, sed cœlestia & æterna bona quæramus, id vero aliter fieri nequit, quam serio ac sedulo pietatis studio.

§. LXIII. 2) *Rationes* petuntur: I) Ex *Dei veritate & immutabilitate. Deus verus, firmus ac immutabilis est, qui constituit mundum, ergo non destruet eius substantiam.* Irenæus lib. V. cap. 36. Resp. invertimus argumentum: Deus veritas est & verbum eius verum. Atqui prædixit in verbo suo mundum esse *interiturum, transiturum, conflagraturum.* Ergo hoc suo tempore certissime sequetur. Confer ea quæ superius dicta §. 39. II) Ex *cæli firmitate. Cœli ἀφθαρσία non potest alio argumento melius stabiliri, quam experientia tot seculorum & aetatum, quibus mirabilis constantia in cœlesti mundo observata est; cum in inferiori, quia corruptibilibus constat corporibus, tam multiplex sit varietas tam perennis mutatio.* Conimbricenses lib. I. de cœlo c. 3. q. 1. art. 2. *Coelos esse incorruptibiles, ipse sensus renunciat, cum tot annorum millibus nihil, quod corruptionem oleat, in illis sit conspectum.* Barradius lib. X. comment. in conc. evang. cap. 1. p. 612. Resp. idem argumentum est cum eo, quod apostolus refellit 2 Petr. III. 4. eadem ergo danda solutio, quam exposuimus §. 18. Adde quod hypothesis argumenti, videlicet nihil mutationis ac corruptionis iam inde a prima mundi origine esse deprehensum, sit incerta, ut docuimus §. 11. membr. 4. III) *Aetheri nobilitate. Cœlum est creatura nobilissima, ergo a substantiali interitu erit libera.* Resp. animantia bruta, utpote animata longe sunt nobiliora, unde *musicam sole praestantiorem* esse philosophi adserunt; quidquid enim vita & sensu pollet, nobilius est eo, quod utroque destituitur, & ad ministerium rerum inferiorum sive sublunarium divinitus est ordinatum. Iam vero animantibus brutis ἀφθαρσιαν ipsimet renovationis patroni derogant. IV) *Ab utilitate. Ad hoc innovatio mundi ordinantur, ut mundo innovato manifestis indiciis quasi sensibiliter Deus ab homine videatur. Creatura autem praecipue in Dei cognitionem ducit sua specie & decore.* Thomas in supplem. q. 91. art. 3. Resp. *Nunc per speculum in aenigmate videmus, tunc autem a facie ad faciem*, 1 Cor. XIII. 12. *videbimus enim Deum, sicut est*, 1 Ioh. III. 2. *ac Deus erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. Hæc *intuitiva* notitia necessitatem *specularis et aenigmaticae cognitionis* prorsus excludit. *Cœlestis Hierosolyma non habet templum, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est & agnus*, Apoc. XXI. 22. In hac vita mundus nobis est templum divinæ cognitionis, sed in altera vita templi illius nulla erit necessitas, nullus usus. Si ministerium verbi ad cognitionem Dei tunc non amplius erit necessarium, quanto minus creaturarum magisterium? V) *A necessitate. Sanctorum corpora in loco erunt; ergo etiam mundi substantia manebit.* Aretius l. 157. pag. 504. Resp. hypothesis argumenti negatur; corpora enim glorificata a ἁγίαις δυσχερείαις, inter quas est locus corporeus ambiens & circumscribens, erunt libera, ut suo loco demonstrabitur. VI) Ab *inutilitate. Existimandum est, cœlos & elementa non esse corrumpenda vel peritura, quod ad substantiam attinet, sed quod ad accidentia spectat. Nam quorsum Dominus alios novos cœlos, novaque creabit elementa, cum haec ita perficere ac decorare possit, ut alia, quae creare potest, exaequent?*

2) *ex rationibus. I) a Dei veritate & immutabilitate. II) ex cœli firmitate.*

III) *a cœli nobilitate.*

IV) *ab utilitate.*

V) *a necessitate.*

VI) *ab inutilitate.*

Bar-

Barradius d. l. pag. 610. Resp non quid possit, sed quid velit Deus, spectandum. Corporeum cœlum ac corporea elementa hisce, quæ hodie exstant, conformia vel per renovationem vel per creationem in vita æterna exstitura facilius dicitur, quam probatur. VII) Ex *cœli & terrae novitate. Exspectamus cœlos novos ac terram novam*, Esai. LXV. 17. 2 Pet. III. 13. *Ergo mundi substantia manebit.* Resp. quæ futura sit novi illius cœli ac novæ terræ conditio, quæ natura, quæ figura, *illud oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit*, Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis adscendit, quia cor hominis debet illuc adscendere.* Nos nihil præstantius nihilque nobilius animo concipere possumus quam cœlum tot astrorum lampadibus exornatum, ac terram tot arborum & fructuum speciebus decoratam; scriptura igitur per συγκαταβασιν nobis condescendens verbis huius seculi gloriam & felicitatem futuri seculi describit, ac duo huius universi extrema, summum scilicet cœlum ac infimam terram nominat, ut typo huius mundi, in quo nunc vivimus, μελλουσαν illam οικουμενην, Hebr. II. 5. in qua æternum victuri sumus, utrumque nobis adumbret. Quod si in typicis, parabolicis ac mysticis illis descriptionibus το ρητον arcte quispiam tenere velit, statuere etiam cogetur aurum, margaritas, gemmas, arbores cum nostris specie convenientes in cœlesti Hierosolyma futuras. VIII) Ex *diluvii conformitate. Sicut in diluvio non periit mundi substantia, ita nec in fine seculi interibit.* Martinus in theol. pag. 1076. Resp. primævus ille mundus per diluvium non est in meliorem statum mutatus, sed misere devastatus, at illi sperant per ultimum incendium mundum iri renovatum. Agnoscant ergo rationis disparitatem, quam evidentius probamus ex eo, quod destructio mundi per diluvium ex Dei decreto nec *totalis* nec *finalis* fuerit, quia reservatum fuit in arca generis humani seminarium, nec dum completus erat electorum numerus; sed destructio, quæ per ignem conflagrationis sequetur, & *totalis* & *finalis* erit, quia tempori succedet mera æternitas, ac *cæli novi & terra nova* divinitus creabuntur. In dicto apostolico 2 Petr. III. 6. parum præsidii invenire poterunt, quia vox *mundi* ibi non significat totum universum, quo sensu in aliis scripturæ dictis de consummatione seculi agentibus accipitur; siquidem mundus ille dicitur *aqua inundatus*, at aqua non inundavit firmamentum, nec ignem, nec superiorem aëris regionem, sed notat superficiem οικουμενης, orbis terrarum habitabilis, ac bestias & homines super illam degentes, quam aqua non in meliorem statum redegit, sed horribiliter destruxit. Sic ergo etiam ille mundus, qui in fine seculi conflagrabit, non in meliorem statum per alterationem redigetur, sed potius per annihilationem destruetur.

VII) ex cœli & terrae novitate.

VIII) ex diluvii conformitate.

IX) Ex *rationis paritate. Homo est finis omnium creaturarum; quare cum homo renovandus sit, consentaneum est, ut reliquae etiam creaturae ipsius causa conditae renoventur. Sicut dignum fuit, quod elementa purgarentur, eo quod infecta fuerant propter peccatum hominis, sic dignum erit, ut mundus innovetur propter glorificationem hominis, ut hac ratione totus mundus, prout possibile est, conformetur homini*

IX) ex rationis paritate.

homini glorificato. Gerſon in ſumm. de gaudiis paradiſi fol. 433. *Deus primo creavit mundum, hoc eſt, cœlum & terram, poſtea ex terra formavit corpus primi hominis, a quo totum genus humanum propagatum, ex illo genere humano accepit maſſam ſanguinis, e qua corpus Filio ſuo formavit, quod is in perſonae unitatem adſumit: ita quoque ordine retrogrado primum corpus Filii ſui ex mortuis ſuſcitavit, renovavit & ad dextram ſuam in cœleſtibus collocavit, poſtea omnium hominum corpora in die noviſſimo ex pulvere ſuſcitabit, denique etiam corpus mundi ad incorruptibilitatem renovabit.* Reſp. eſt diſparratio microcoſmi ac macrocoſmi: microcoſmum ſive hominem Deus creavit non ſolum ad hanc *animalem* & *tranſitoriam*, ſed etiam ad *ſpiritualem*, *cœleſtem* & *aeternam vitam*, ideoque etiam corpora hominum ex mortuis ſuſcitabit; ſed macrocoſmum ſive totam viſibilium creaturarum univerſitatem condidit duntaxat propter præſens ſeculum, ut in vita animali hominum uſui inſerviret, ideoque ἀφθαρσίας & æternitatis eam minime participem fecit, ſed ut certum temporis articulum ab æterno ei conſtituit, in quo & cum quo per immediatam creationem debuit capere exordium, ita quoque certum temporis articulum æterno decreto ei præfixit, in quo & cum quo durationis ſuæ finem obtinere debeat. X) Ex *iuſtitiae aequitate. Creaturae in hac vita homini praeſtiterunt obſequium & miniſterium; aequum igitur eſt, ut renovationis aliquando percipiant praemium.* Gerſon d. l. Reſp. conſequens ergo foret, etiam bruta animalia ad incorruptibilitatem eſſe reſuſcitanda, quia ipſa non minus, quam cœlum & terra obſequium homini præſtitere. Quinimo animantia, arbores, plantæ, aves, piſces &c. non ſolum operam & obſequium, ſed ipſam quoque vitam & ſubſtantiam hominis uſui impenderunt. Quod ſi ergo cœlo ac terræ obtinget renovatio in obſequii hominibus exhibiti præmium, iure maiore & æquiore animantia illud exigere & ſperare poterunt. *Cœlos novos ac terram novam* gratuiti præmii loco piis promiſſa eſſe apoſtolus adſerit 2 Petr. III. 13. ſed de præmio renovationis creaturis inanimatis vel animatis reliquis promiſſo altum in ſcripturis eſt ſilentium.

X) ex iuſtitiae aequitate.

CAPVT VI.

DE FINE CONSVMMATIONIS SECVLI.

Finis conſummationis ſeculi. 1) principalis, Dei glorificatio.

§. LXIV. Egimus hactenus de cauſſa efficiente, materia & forma conſummationis ſeculi, reſtat, ut de eiusdem *fine* brevibus diſſeramus. *Finis*, propter quem totum hoc univerſum deſtruendum, eſt vel *primarius* ac *principalis*, vel *ſecundarius* ac *minus principalis*. *Primarius* Deum, *ſecundarius* homines reſpicit. 1) *Finis principalis eſt Dei glorificatio.* In deſtructione enim mundi conſpicietur: 1) *Dei veritas & immutabilitas.* Deus ab æterno decrevit, & hoc ſuum decretum in verbo patefecit, quod certo & conſtituto tempore viſibilem illam cœli terraeque machinam deſtruere, ac novum cœlum & novam terram creare velit. Quando igitur hoc decretum exſecutioni dabit, gloriam ſuæ veri-

veritatis coram angelis & hominibus manifestabit, seque veracem & immutabilem esse ipso facto demonstrabit. 2) *Dei potentia & maiestas.* Quemadmodum Deus in mundi creatione potentiam ac maiestatem suam exseruit, cum rerum omnium ex nihilo productio fit infinitæ potentiæ opus; (Tertullianus in apolog. cap. 16. *Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae.*) ita quoque in mundi destructione eamdem divinam suam potentiam & maiestatem ostendit. Ut enim *naturaliter* ex nihilo nihil fit, ita quoque *naturaliter* nullum ens in nihilum abit; sed divina ac supernaturalis virtus ut potuit ex non-ente ens producere, ita ens in non-ens iterum poterit redigere. 3) *Dei iustitia ac irae divinae severitas.* In ultimo illo totius orbis incendio manifestabit Deus iram suam adversus hominum peccata, quod sit *ignis consumens*, Deut. IV. 24. Heb. XII. 29. Quemadmodum enim in devastatione mundi per *diluvium*, in excidio *Sodomorum* per ignem cœlitus delapsum, ac in aliis particularibus terræ devastationibus per *eluviones*, *terræ motus*, *incendia &c.* iram suam adversus peccata incolarum demonstravit, quia per hominum malitiam *terra dicitur corrumpi*, Gen. VI. 12. *contaminari ac pollui*, Levit XVIII. 27. *poni in falsuginem*, Psalm CVII. 34. ita quoque in finali illa totius universi conflagratione flagrantem suam iram adversus extremam hominum impietatem manifestabit, Psalm XI. 6. *Pluet Dominus super peccatores ignem & sulphur.* L. 3. *Veniet Deus noster & non silebit, ignis coram eo vorabit.* 2 Thess. I. 7. *Patefiet Dominus de cœlo cum flamma ignis infligens ultionem.* Quando ergo homines impii ad sinistram iudicis constituti cœlum ac terram igne succendi videbunt, ineffabili horrore concutientur; facile enim ex eo intelligent, infernalem ignem sibi esse paratum, in quo æternas scelerum suorum pœnas persolvant. Pii vero hoc Dei iudicium grato corde & ore prædicabunt sicut de Babylonis incendio dicitur Apoc. XVIII. 20. *Exsulta super eam cœlum*, hoc est, beati cœlites & sancti apostoli & prophetæ, *quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de ea.* XIX. 1. *Audivi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: alleluia, laus & gloria & virtus Deo nostro*, v. 2. *quia vera & iusta sunt iudicia eius.*

§. LXV. II) *Secundarius finis* huius συντελειας est *piorum liberatio.* Luc. XXI. 28. *His fieri incipientibus*, hoc est, signis hisce mundi finem præsto esse denunciantibus, *respicite & attollite capita vestra, scientes quod adpropinquet redemtio vestra.* Quemadmodum enim mors pii hominis est ipsius *redemtio particularis*, quia per mortem quilibet vere pius a peccato & omnibus peccati pœnis liberatur, ac quoad animam cœlestis gloriæ ac beatitudinis particeps redditur; sic consummatio seculi erit omnium piorum *liberatio universalis.* Tunc enim omnium piorum animæ corporibus ex terræ pulvere suscitatis vel divina virtute efficaciter immutatis iterum unientur, ac regno satanæ & mortis penitus destructo, omnibus ecclesiæ hostibus prorsus abolitis, omnibus calamitatibus & adversis perfecte cessantibus, in plenariam regni cœlestis possessionem introducentur. Sodomæ conflagratio erat Lothi liberatio,

II) Secundarius piorum liberatio.

tio, sic etiam mundi conflagratio erit omnium piorum plenaria liberatio, qua comparatione utitur apostolus 2 Petri II. 6. *Deus civitates Sodomorum & Gomorraeorum in cinerem redigens everſione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi erant, ponens.* v. 7. *Et iuſtum Loth oppreſſum a nefandorum luxurioſa converſatione eripuit.* v. 8. *Habitabat enim apud eos, qui animam iuſtam iniquis operibus cruciobant.* v. 9. *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reſervare cruciandos.* Si quis in arce quadam captivus detineretur, illi liberatio contingeret, si arx illa vel fulmine tacta vel subiectis flammis accensa igne conflagraret; sic praesens hic mundus est piorum carcer, quando igitur Deus ipse coelesti igne hunc carcerem accendet, tunc pii ex eo in coelestis patriae regiam eluctari & postliminii quasi iure restitui poterunt.

Quaeritur. An mundus conflagratione periturus fuiſſet, si primi homines non peccaſſent?

§. LXVI. Quaenam hoc loco: *an mundus conflagratione periturus fuiſſet, si nec primi parentes, nec poſteri eorum peccaſſent, ſed in concreata integritate αὐωντως perſtitiſſent?* Rationes pro utraque quaestionis parte probabiles adferri possunt. Arbitror autem, distinguendum esse *inter rem & rei modum*, hoc est, inter ipsam seculi *conſummationem*, & mundi *conflagrationem* sive per ignem destructionem. Consummatio seculi videtur etiam in statu integritatis locum habuisse. Neque enim Deus hominem ad animalem duntaxat vitam in hoc seculo traducendam condiderat, sed ut transacto animalis vitae in his terris curriculo ad vitam coelestem & gloriosam elevaretur; proinde etiam mundus non erat a Deo hoc fine conditus, ut in aeternum perduraret, sed ut completo eorum numero, quos Deus ab hominibus generatos & consortes regni coelestis habere voluit, iterum annihilaretur, quia cessante animali omnium hominum vita nullus amplius futurus erat mundi usus. Ut ergo generatio hominum non fuisset in infinitum exporrecta, sed certum habuisset finem ac terminum, quo adventante omnes ac singuli homines in terris viventes ad vitam in coelis spiritualem & gloriosam fuissent translati; ita quoque mundi duratio non fuisset interminabilis ac perpetua, sed una cum animali hominum vita suum habuisset finem, sed modus consummationis videtur fuisse diversus, per simplicem scilicet *annihilationem*, non autem per *ignis conflagrationem*. 1) Quia particulares orbis devastationes per eluviones aquarum, incendia, terrae motus ac hiatus &c. sunt poenae peccatorum & irae divinae signa. Ergo de universali orbis incendio idem videtur statuendum. Iam vero in statu integritatis peccato, ac proinde etiam irae divinae nullus fuisset locus. 2) Conflagratio mundi in die iudicii erit impiis praeludium ac typus quidam infernalis ignis, in quem erunt praecipitandi; iam vero homines in statu integritatis persistentes ab infernali igne mansissent liberi. 3) Sicut homo in concreata iustitia persistens absque mortis interventu ex vita animali in spiritualem & coelestem fuisset evectus; sic mundus absque conflagrationis interventu adpetente durationis suae fine divina virtute fuisset annihilatus, ac novum caelum & terra nova eius loco creata. 4) In statu integritatis nec mortuorum resurrectio nec terribilis iudicii administratio locum habuisset; proinde etiam horribilis illa mundi conflagratio ab eodem ex-

exſulaſſet. 5) Vanitati & ſervituti corruptionis ſubiecta eſt creatura propter hominem; ideo etiam finali illi in ignem deſtructioni propter hominum peccata videtur ſubiecta. Hæc de propoſita quæſtione probabiliter diſſerimus, ſed *ut in re obſcuriſſima non adiuvantibus ſacrarum literarum oraculis nihil certi definimus.*

CAPVT VII.

DE ADIVNCTIS CONSUMMATIONIS SECVLI.

Adiuncta conſummationis ſeculi. 1) Tempus.

§. LXVII. *Adiuncta* conſummationis ſeculi ſunt, 1) *tempus*, 2) *modus*, 3) *antecedentia & conſequentia.* 1) *Tempus conſummationis* eſt dies noviſſimus, in quo etiam mortui reſurgent, et extremum iudicium inſtituetur. Ideo enim dies univerſalis reſurrectionis et extremi iudicii vocatur *dies noviſſimus*, Ioh. VI. 39. 40. 44. & 54. XI. 24. XII. 48. ac *tempus noviſſimum*, 1. Petr. I. 5. quia poſt illum diem non erit alius; ceſſabit enim dierum ac noctium viciſſitudo, Apoc. XXII. 5. *Nox non erit ultra.* X. 6. *Tempus non erit amplius;* ſed mera ac nuda æternitas omnem temporis ſucceſſionem prorſus excludens. Sed hanc immediatam adventus Chriſti, reſurrectionis univerſalis, extremi iudicii & conſummationis ſeculi connexionem negarunt quondam *chiliaſtae*, quos Auguſtinus lib. XX. de civ. Dei cap. 7. *miliarios*, Philaſtrius lib. de hæreſib. cap. 59. pag. 26. *chilionetitas*, Damaſcenus lib. de hæreſ. p. 579. vocat *Pepuzianos* eo, quod Pepuzam urbem quamdam deſertam, quæ Galatiam a Cappadocia ac Phrygia dividit, divinum quiddam eſſe dixerint, eamque Hieruſalem eſſe exiſtimaverint. Vulgo adpellantur *millenarii.* Docent enim, *Chriſtum ante diem noviſſimum e cœlo in terram redituram, pios defunctos reſuſcitaturum, ac cum illis, uti etiam iis, quos vivos inveniet, oppreſſis omnibus impiis vitam corporalibus deliciis abundantem per mille annos in his terris exacturum, inchoato terreno, corporali, ac viſibili regno, & finitis demum mille annis illius regni conſummationem ſeculi & univerſalem omnium reſurrectionem eſſe ſecuturam;* quamvis in quibusdam circumſtantiis huius dogmatis apud patronos eiusdem ſit quædam diſcrepantia, ut poſtea adparebit. 1) Primus chiliaſticæ opinionis in eccleſia nov. teſt. auctor fuiſſe videtur *Cerinthus*, peſtilens hæreticus, qui *Chriſtum ex congreſſu maritali genitum, & nudum hominem eſſe* blasphemavit. De eo enim ex Gaio eccleſiaſtico quodam auctore ſic ſcribit Euſebius libr. III. hiſtor. eccleſ. cap. 25. (in edit. Muſc. in Chriſtophorſ. edit. eſt cap. 28.) quod *per revelationes velut a magno apoſtolo ſcriptas portentoſa quaedam dogmata quaſi per angelos ſibi oſtenſa mentitus attulerit, regnum Chriſti poſt reſurrectionem terrenum futurum, et carnem noſtram denuo Hieroſolymis concupiſcentiis ac voluptatibus carnis ſervituram dicens, et cum inimicus eſſet ſcripturis Dei, numerum cuiusdam millenarii feſti nuptiis deputatum, ſeducere volens, futurum dixerit.* Ibidem ex narrationibus Dionyſii Alexandrini Cerinthianam hæreſin ſic deſcribit: *Hoc doctrinae illius dogma fuit, terrenum futurum Chriſti regnum, & quae ipſe concupiſcebat, cum corporis ſtudio teneretur, & admo-*

admodum carnalis esset, in his illud futurum somniabat, ventris scilicet, & eorum quae subventre sunt impletionibus, hoc est, cibo, potu ac nuptiis, & ut ista honestius commentatus videretur, dies festos & victimas & sacrificiorum mactationes adiecit. Idem libr. VII. cap. 24. in principio: *Cerinthus, haeresis illius, quam Cerinthianam vocant, conditor docuit, regnum Christi fore terrenum, & quae ipse tanquam corporis sui studiosus & vehementer carnalis concupiverat, in illis se futurum somniavit, ventris videlicet & eorum, quae ventri subsunt, saturationibus, cibis nempe ac potibus & nuptiis, & quibus ista maiore cum iucunditate adquirenda putavit, diebus festis, victimis ac sacrificiorum mactationibus.* In supplemento haresium a Philastrio praetermissarum haresi. VI. p. 106. Cerintho tribuitur, quod dixerit *regnum Christi post resurrectionem Hierosolymis futurum, ubi mille annis homines libidini & voluptatibus indulsissent.* Augustinus lib. de haresi. ad Quodvultd. cap. 8. *Cerinthiani a Cerintho dicti mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates futuros fabulantur, unde etiam chiliastae sunt adpellati.* Nicephorus lib. III. histor. eccles. cap. 34. de Cerintho sic scribit: *Post resurrectionem adstruit terrenum futurum Christi regnum, & carnem tum primas obtinentem denuo cupiditatibus in Hierusalem inservituram, atque cum sacrarum Dei scripturarum sit hostis, seducere homines volens mille annorum nuptiarum celebritatibus destinatum mundum refert.* Isidorus lib. VIII. orig. tom. I. p. 10. *Cerinthiani a Cerintho quodam nuncupati mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros praedicant, unde & Graece chiliastae, Latine milliastae sunt adpellati.* II) Quia vero de Cerintho constat ex Epiphanio haresi. XXVIII. p. 91. Philastrio haresi. XXXVI. p. 17. & Augustino de haresib. cap. 8. quod fuerit *semi Iudaeus*, siquidem circumcisionis & sabbati observationem docuit esse necessariam, ac fuit antesignanus *pseudo apostolorum*, contra quos synodus apostolica Act. XV. 10. fuit congregata; ideo verisimile est, Cerinthum hoc suum dogma ex Iudaicae synagogae mammillis suxisse. Notum enim est, Iudaeos mundanum & terrenum aliquod regnum a Messia exspectasse, quod scilicet *aliorum monarcharum more in terris regnaturus, omnes gentes debellaturus, ac populum suum omnium rerum adfluentia & abundantia corporali beaturus esset.* Unde etiam recentiores Iudaei formam quamdam chiliastici regni tempore Messiae secuturam esse somniant. Fingunt, *Iudaeos in terram Cananaeam esse reducendos, inque ea omnis generis deliciis corporalibus fruituros, cumprimis vero insigni quodam convivio excipiendos, quod parandum sit ex Leviathan pisce & Behemoth tauro, utroque mirae magnitudinis animali, ac vino de Gan Eden seu paradiso, quod iam inde a mundi origine ibi reconditum servetur, potandos; demortuos Iudaeos putant resuscitatum iri, ut fiant huius gaudii participes; utrosque tam vivos quam mortuos vitae restitutos ad multa secula sine morbo ac molestia, imo sine senectute vitam producturos, perpetuam aeris benignitatem sensuros, bona gentium possessuros, in summa auri, argenti & voluptatum abundantia perpetuo victuros &c.* Quidam addunt *avem Ziz, quae Bariuchne* dicitur, cuius quanta sit magnitudo, adparet ex eo, quod fingunt, *ovum eius e nido iectum aliquando lapsu suo confregisse trecentos cedros, & confractum submersisse sexaginta pagos, quodque ipsa avis expansione alarum suarum sphaeram solis contegere possit.* In thalmud ordine IV. tract.

3,

3. nugantur, *Deum quinta die creasse pisces duos magnitudinis pene interminatae, Leviathan adpellatos, quorum corporum vastitatem cum ipse seeum animo perpenderet, veritus, ne omne piscium genus a tam magnis beluis degluteretur, et ne ab ipsis mare universum navigiis invium redderetur, sicque humani generis commercia penitus tollerentur, si ex illis proles propagaretur, occidit fœmellam, & ex eius salitis carnibus salsamenta delicatissima paravit iustis & electis suis post hanc vitam comedenda, masculum vero sibi vivum reservavit, ut cum eo succisivis diei horis quotidie luderet, quo adcommodant illud*: Psalm. CIV. 26. *Draco iste, quem creasti, ut cum eo ludares.* Vide librum *abcoth rochel*, hoc est, specierum aromaticarum, Aben Ezra & Raschi in *peruschim* apud Helvicum elench. Iudæor. III. cap. 2. de officio Messiæ, Buxdorffium in synag. Iudaic. cap. 36. p. 5[illegible].

§. LXVIII. III.) Optandum vero, cum *Cerintho* vel certe cum *Iudaica synagoga* chiliastica illa somnia fuisse sepulta; sed negari nequit, *quosdam ex antiquissimis ecclesiae doctoribus* eadem ex parte fuisse amplexos. De *Papia*, episcopo Hieropolitano, qui inter pios veteres primus chiliasticæ opinionis semina sparsit, sic scribit Eusebius lib. III. hist. eccles. cap. 36. *Quaedam idem commentatur tanquam ex viva traditione ad se relata, & peregrinas quasdam Salvatoris parabolas & doctrinas cum aliis nonnullis fabulosis adiecit, in quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dixit, in quibus regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debeat; quae illum ex eo suspicatum puto, quod apostolicas disputationes non recte acceperit, nec quae ab illis per hypodigmata dicta sunt, rite considerari, eo quod admodum modico esset iudicio praeditus, sicut ex ipsius libris iudicium capi poterit, attamen quam plurimis post se ecclesiasticis viris eiusdem erroris causam dedit, qui ad antiquitatem ipsius respexerunt.* Probe vero notandum, quæ fuerit occasio erroris in Papia, quam ibidem Eusebius disertis verbis exponit, videlicet quod *neglectis vel certe parvi habitis scripturis traditiones apostolicas consectatus fuerit.* Sic enim eum loquentem ibidem introducit: *ubi quisquam venit, qui seniorum adsectator fuerat, seniorum verba exquirebam, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas aut Iacobus, aut Iohannes, sive Matthaeus, vel alius quisquam ex discipulis Domini, quid Aristion & senior Iohannes discipuli Domini dixerint. Cogitabam enim, me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viva ac permanente voce relaturum.* Sic ergo memorabili Papiæ exemplo Deus ecclesiam monere voluit, quam periculosum sit, incertas traditiones praetermissis scripturis sequi. Confer Nicephorum lib. III. hist. eccles. cap. 20. Cæterum quod Eusebius addit, *Papiam quam plurimis post se ecclesiasticis viris eiusdem erroris causam dedisse*, illius effati veritatem luculente suo confirmant exemplo *Iustinus, Irenaeus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus Pictaviensis, Nepos Aegyptius, Severus, Sulpitius, Coracion & Lactantius*, qui omnes chiliasticæ opinioni adplauserunt. Unde Baronius in annal. ann. CXVIII. sect. 2. [illegible], *ultimis Traiani temporibus errorem irrepsisse in nonnullos fideles auctore Papia, episcopo Hieropolitano de millenario, quem Apollinaristae pertinacius propugnando in haeresin perduxerit.* Iustinus in dial. cum Triphone pag. 239. sic scribit: *Ego autem, et si qui rectae per omnia sententiae Christiani sunt, et carnis resurrectionem futuram novimus, & mille annos in Hierusalem instaurata*

rata et exornata et dilatata, sicut prophetae Ezechiel et Esaias & alii promulgant. Pag. 240. *Vir apud nos quidam, cui nomen erat Iohannes, e duodecim apostolis Christi unus, in ea, quae illi exhibita est, revelatione, Christi fideles nostros annos mille Hierosolymis peracturos esse praeloquutus est, ac postea universalem, & ut semel dicam sempiternam omnium unanimiter simul resurrectionem et iudicium futurum.* Irenæum *chiliastam* fuisse, testes sunt Eusebius d. l. & Hieronymus in catalog. illustrium in cap. de Papia; sed in quinque illis libris Irenæi adv. hæreticos, qui adhuc supersunt, disertis verbis illud non habetur. Quidam illud colligere volunt ex lib III. cap. 23. pag. 352. ubi dicit: *quotquot diebus hic mundus factus est, tot & millenis consummatur;* quia chiliastæ statuunt, completis sex annorum millibus a mundo condito antichristum cum omnibus suis membris, videlicet hominibus impiis, esse perdendum, ac ligandum satanam, ut interim per septimum annorum millenarium Christus cum electis regnum pacatissimum super terram sit habiturus, quo millenario completo rursus modico tempore ante iudicium satanas sit solvendus, ac paulo post Christus ad extremum iudicium celebrandum rediturus. Sed ostendimus in tract. praeced. opinionem de sex mundi millenariis etiam aliis ex patribus placuisse, qui chiliastici erroris non fuere suspecti, nedum rei. Dicendum igitur, Eusebium & Hieronymum ex aliis Irenæi libris hoc collegisse, aut Irenæum a chiliasmi accusatione absolvendum esse. De *Apollinario*, quod Iudaicam mille annorum Δευτερωσιν a Papia in ecclesiam Christianam introductam autus fuerit, testatur Hieronymus d. l. *Tertullianus* lib. III. adv. Marcion. c. 24 p. 400. *Confitemur, in terra nobis regnum repromissum, sed ante cælum, sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hierusalem cælo delata, quam & Apostolus matrem nostram sursum designat, & πολιτευμα nostrum, hoc est, municipatum in cœlis esse pronuncians, alicui utique cœlesti civitati eum deputat. Hanc & Ezechiel novit, & apostolus Iohannes vidit, & qui apud fidem nostram est novae prophetiae sermo testatur.* Observa, Tertullianum probationem chiliasmi etiam ex prophetia paracleti Montanistica arcessere; quidam tamen nomine *novae prophetiae* apocalypsin Iohannis malunt intelligere, *ut etiam effigiem civitatis ante repraesentationem eius conspectui futuram in signum praedicarit &c. Hanc dicimus excipiendis resurrectionis sanctis & refoverdis omnium bonorum utique spiritualium copia in compensationem eorum, quae in hoc seculo vel despeximus vel amisimus a Deo prospectam, [illegible] iustum est & Deo dignum, inv quoque exsultare famulos eius, ubi sunt & adsiticii in nomine ipsius, haec ratio regni cælestis. Post cuius mille annos, intra quam aetatem concluditur sanctorum resurrectio, pro meritis maturius vel tardius resurgentium, tunc & mundi destructione & iudicii conflagratione commissa demutati in atomo, in angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelae superindumentum transferemur in cæleste regnum.* Ibidem Tertullianus adserit, *se in libro de spe fidelium, hac de re latius egisse*, sed liber ille Dei beneficio non amplius extat. *Victorinum Pictaviensem*, vel ut alii scribunt, Pitabionensem in comm. Apocal. inter chiliastas numerat Hieronymus in catal. de vir. illustrib. cap. Papias in præfat. comm. in Apoc. & lib. XI. in Ezech. De *Nepote* Ægyptio & *Coracione* Eusebius lib VII. histor. eccles. c. 24. circa fin. sic scribit: *Nepos qui-*

quidam, Ægyptiorum episcopus, promissiones Dei sanctis in scripturis factas nimis Iudaico more reddendas docebat, & millenaria quaedam annorum corporalibus deliciis in hac terra futuris decernebat, & quoniam opinionem hanc suam ex apocalypsi Iohannis probare se posse putabat, librum de illa composuerat, illumque elenchum allegoristarum inscripserat. Hunc itaque Dionysius (Alexandrinus) *commentariis de promissionibus inscriptis impugnat, & primo sententiam suam de dogmate illo ponit, in altero vero de apocalypsi Iohannis disputat.* Cap. 23. recitat Eusebius verba Dionysii: *commentarium quemdam Nepotis proferunt, quo valde nituntur, ut qui irrefragabiliter regnum Christi super terram hanc futurum ostendat. In aliis multis Nepotem laudo ac diligo, cum propter fidem sedulitatemque & exercitium in scripturis, tum propter multam ipsius psalmodiam, & hominem admodum veneror, praesertim tanquam eum, qui iam ad quietem praeceſſit; at veritas amica est & prae cunctis honoranda, & si quid recte dicitur, laudandum & adprobandum candide. Quae vero non sane scripta videntur, inquirenda sunt & refellenda. Quod si praesens esset, & nudo sermone dogma suum adsereret, satis esset sine scriptis conferre, interrogandoque & respondendo adversarios convincere & conciliare. Quoniam vero scriptum exstat, sicut quibusdam videtur, admodum probabile, & nonnulli doctores legem & prophetas nihili faciunt, evangeliis adhaerere detrectant, & apostolorum epistolas contemnunt, huius vero syngrammatis doctrinam tanquam magnum aliquod & absconditum mysterium continentem profitentes, simpliciores fratres nostros nihil sublime nec magnificum, neque de glorioso ac vere divino Domini nostri adventu, neque de nostra resurrectione ex mortuis & adgregatione nostri & conformatione ad ipsum sentire permittunt, sed minuta & mortalia, qualia sunt haec praesentia, in regno Dei speranda suadent, necessarium est, ut & nos velut praesentem fratrem nostrum Nepotem adloquamur.* Postea addit: *Cum in Arsenoite essemus, ubi diu ante hoc dogma emersit, ita ut schismata & integrae ab ecclesiis defectiones fierent, convocatis presbyteris & doctoribus ex fratribus illorum vicorum praesentibus etiam fratribus, quotquot adesse volebant, publice eos ad dogmatis huius inquisitionem exhortatus sum. Et cum hunc mihi librum* (Nepotis Ægyptii) *quasi armaturam quamdam & murum inexpugnabilem proferrent, totum triduum una cum illis a mane ad vesperam usque confidens, quae in eo scripta sunt, discutere conatus sum. Ubi etiam constantiam, veritatis studium, tractabilitatem & intelligentiam in fratribus vehementer admiratus sum, quod recto ordine & μετ' επιεικειας interrogarent ac respondere nt & obsequerentur, nec ullo modo contentiose, quae semel statuerunt, si falsa esse deprehenderentur, retinere, nec rursus contradictiones subtrahere, sed quantum fieri poterat, proposito instare & confirmare conarentur, & tamen rursus, ubi ratio exposcebat, sententiam mutare & veritatem una nobiscum confiteri non reverentur, sed bona cum conscientia absque ulla hypocrisi cordibus ad Deum expansis, quae demonstrationibus ac divinarum scripturarum doctrinis comprobabantur, amplecterentur. Et tandem ipse doctrinae huius antesignanus & auctor nomine Coracion audientibus fratribus cunctis, qui aderant, confessus est, nobisque pollicitus, se posthac opinioni illi nolle attendere amplius, neque de illa disputare, nec mentionem facere, nec docere, quod abunde satis oppositis esset argumentis convictus. Reliqui vero fratres praesentes propter hanc collationem erga cunctos demissionem & consensionem gaudebant.* Haec Dionysii narratio de multis utiliter monere potest, quae fuerit origo erroris

chiliastici, contemtus scilicet scripturarum & amor incertarum traditionum, qua moderatione in illo redarguendo pii veteres fuerint usi, quam lata acceperit incrementa, quis fuerit disputandi modus in primitiva ecclesia observatus, ex quibus principiis contra errores fuerit pugnatum, quinam ad disputationes de fidei dogmatibus institutas admissi fuerint &c. *Severum* chiliastis accenset Hieronymus lib. XI. in Ezech. XXXVI. *Neque enim* (inquit) *iuxta Iudaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις adpellant, auream de cælo exspectamus Hierosolymam, nec rursum passuri circumcisionis iniuriam, nec oblaturi taurorum ac arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus, quod & multi nostrorum & praecipue Tertulliani liber, qui inscribitur de spe fidelium, & Lactantii institutionum volumen septimum pollicetur, & Victorini Pitabionensis crebrae expositiones & nuper Severus noster in dialogo, cui Gallus nomen imposuit, & ut Graecos nominem, & primum extremumque coniungam, Irenaeus & Apollinarius.* Idem in praefat. lib. XVIII. in Esaiam refert, *Irenaeum, Tertullianum, Lactantium, Apollinarium, Severum, Sulpitium magnamque catholicorum hominum multitudinem in Victorini opinione fuisse.* Quod de *Lactantio* Hieronymus memorat, ex ipsius scriptis adhuc reliquis liquido patescit. L. b VII. instit. cap XXIV. p. 433. sententiam suam hisce exponit verbis: *Cum Christus deleverit iniustitiam, iudiciumque maximum fecerit, ac iustos, qui a principio fuerunt, ad vitam reflauraverit, mille annis inter homines versabitur, eosque iustissimo imperio reget. Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, sed per totidem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit soboles eorum sancta & Deo cara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ii praerunt viventibus velut iudices. Gentes vero non exstinguentur omnino, sed quaedam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur a iusto, ac subiugentur perpetuae servituti. Sub idem tempus etiam princeps daemonum, qui est machinator omnium malorum, catenis vinciatur, & erit in custodia mille annis caelestis imperii, quo iustitia in orbe regnabit, ne quod malum adversus populum Dei moliatur, post cuius adventum congregabuntur iusti ex omni terra, peractoque iudicio civitas sancta constituetur in medio terrae, in qua ipse conditor Deus cum iustis dominantibus commoretur &c. Tunc auferentur a mundo tenebrae illae, quibus offundetur atque obcaecabitur caelum, & luna claritudinem solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet. Terra vero aperiet fœcunditatem suam, & uberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium melle fudabunt, per rivos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipse gaudebit, & omnis rerum natura laetabitur, erepta & liberata dominio mali & impietatis & sceleris & erroris. Non bestiae per hoc tempus sanguine alentur, non aves praeda, sed quieta & placida erunt omnia, lupus ovem non rapiet, canis non venabitur; accipitres & aquilae non nocebunt, infans cum serpentibus ludet. Denique tunc fient illa, quae poëtae aureis temporibus facta esse iam Saturno regnante dixerunt &c. Cum vero deletis religionibus impiis & scelere compresso subiecta erit Deo terra,*

Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus &c.

(observa Lactantium non solum ex Sibyllis sed etiam ex poetis chiliasticum illud regnum describere) *Vivent itaque homines*

homines tranquilliſſimam vitam & copioſiſſimam, & regnabunt cum Deo pariter, & reges gentium venient a finibus terrae cum donis ac muneribus, ut adorent ac honorificent regem magnum, cuius nomen erit praeclarum ac venerabile univerſis nationibus, quae ſub cœlo erunt, & regibus, qui dominabuntur in terra. Haec ſunt, quae a prophetis futura dicuntur &c. Hieronymus chiliaſtarum opinioni minime quidem adſenſus eſt, quia lib. XVIII. in Eſaiam dicit, *Dionyſium elegantem ſcripſiſſe librum, in quo irrideat mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbathi, circumciſionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epulārum delicias & cunctarum gentium ſervitutem, rurſusque bella, exercitus ac triumphos & ſuperatorum neces mortemque centenarii peccatoris;* ac lib. IV. in Ezech. XXXVI. vocat *Iudaicas fabulas*, & in comm. Dan. VII. dicit: *Sancti nequaquam habebunt regnum terrenum, ſed cœleſte, ceſſet ergo mille annorum fabula &c.* Interim tamen non auſus fuit eam expreſſis verbis damnare, veterum ſcilicet auctoritatem nimiopere veritus, ſic enim ſcribit lib IV. in Ierem. XIX. *Iudaei ſibi auream gemmatam Hieruſalem reſtituendam putant, rurſumque victimas & ſacrificia & coniugia ſanctorum & regnum in terris Domini Salvatoris; quae licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus, quia multi eccleſiaſticorum virorum & martyres iſta dixerunt. Unusquisque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta reſerventur iudicio.* Hieronymi veſtigiis inſiſtit *Auguſtinus* lib. XX. de civ. Dei c. 7. non longe a principio ſic ſcribens: *Qui propter haec huius libri* (apocalypſeos) *verba primam reſurrectionem futuram ſuſpicati ſunt corporalem, inter caetera maxime numero annorum mille permoti ſunt, tanquam oporteret in ſanctis eo modo velut tanti temporis fieri ſabbatiſmum; vocatione ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium, ex quo creatus eſt homo, & magni illius peccati merito in huius mortalitatis aerumnas de paradiſi felicitate dimiſſus eſt, ut, quoniam ſcriptum eſt:* Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus; *ſex annorum millibus tanquam ſex diebus impletis ſequatur velut ſabbati ſeptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbatum celebrandum reſurgentibus ſanctis. Quae opinio eſſet utrumque tolerabilis, ſi aliquae deliciae ſpirituales in illo ſabbato adfuturae ſanctis per Domini praeſentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando, ſed cum eos, qui tunc reſurrexerint, dicant immoderatiſſimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus ſit tantus ac potus, ut non ſolum nullam modeſtiam teneant, ſed modum quoque ipſius incredulitatis excedant, nullo modo iſta poſſunt niſi a carnalibus credi. Hi autem, qui ſpirituales ſunt, iſtos iſta credentes χιλιαστας adpellant Graeco vocabulo, quod verbum e verbo exprimentes nos poſſumus milliarios nuncupare.* Idem tamen in lib. de eccl. dogmatib. (modo Auguſtinus illius libri auctor ſit) cap. 55. confidentius eos refellit. *In divinis*, ait, *promiſſionibus nihil terrenum vel tranſitorium exſpectemus, ſicut Melitani ſperant. Non nuptiarum copulam, ſicut Cerinthus & Marcion delirant. Non quod ad cibum vel ad potum pertinet, ſicut Papiae auctore Irenaeo & Tertullianus & Lactantius adquieſcunt. Neque poſt mille annos poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terra futurum, & ſanctos cum illo in deliciis regnaturos ſperemus, ſicut Nepos docuit, primam iuſtorum reſurrectionem & ſecundam impiorum qui confinxit. Et inter has duas mortuorum reſurrectiones gentes ignorantes*

Deum in angulis terrarum in carne ſervandas, quae poſt mille annos regni in terra iuſtorum inſtigante diabolo movendae ſunt ad pugnam contra iuſtos regnantes, & Domino pro iuſtis pugnante imbre igneo compeſcendas, atque ita mortuas cum caeteris in impietate ante mortuis ad aeterna ſupplicia incorruptibili carne reſuſcitandas. Lib. de hæreſib. ad Quodvultdeum cap. 8. *chiliaſtas* in hæreticorum claſſem compingit.

§. LXIX. Cæterum, quod *quosdam eccleſiae veteris doctores* Cerinthi dogma *ex parte* duntaxat amplexos fuiſſe diximus, illud Ludovicus Vives in comm. lib. XX. Auguſt. de civ. Dei cap. 7. diſertis verbis nobiſcum adſerit, ac in diſp. III. novis quibusdam fanaticis oppoſita hiſce illud confirmatum dedimus argumentis: 1) Non eſt veriſimile, pios veteres Iudaica ſomnia et Cerinthiana portenta de gemmata & aurea Hieroſolyma in terris exſtruenda, ac voluptatibus carnalibus in eadem ſperandis fuiſſe amplexos. Ecquis enim credat, illos circumciſionis & ſabbati obſervationem, ſacrificiorum oblationem in Chriſtiana eccleſia iterum exſpectandaſtatuiſſe? 2) Irenæus, quem Euſebius & Hieronymus chiliaſtis accenſent, lib. I. adv. hæreſ. cap. 25. Cerinthum hæreſeos accuſat, lib. III. cap. 3. eum vocat *inimicum veritatis*, atque addit, *Iohannem apoſtolum noluiſſe cum ipſo communi uti balneo.* Lib. eiusdem cap. 11. circa medium refert, *Iohannem evangelicam ſuam hiſtoriam Cerintho oppoſuiſſe.* At quis credat Cerinthum ab Irenæo hæreticis fuiſſe adnumeratum, ſi cum ipſo eadem ſenſiſſet. Neve quis excipiat, *Irenaeum a Cerintho in aliis diſſenſiſſe, in chiliaſtico autem regno ipſi ὁμοψηφον fuiſſe*, notandum, quod Victorinus, quem Hieronymus itidem facit chiliaſtam, commentarium ſuum in Apocal. hiſce concludat verbis: *Ergo audiendi non ſunt, qui mille annorum regnum terrenum eſſe confirmant, qui cum Cerintho haeretico ſentiunt.* 3) Cerinthus natu maior fuit, ipſo Papia. Quod ſi ergo Papiæ opinio per omnia eadem fuiſſet cum Cerinthi hæreſi, utique Hieronymus in catal. illuſtr. Cerintho potius quam Papiæ eius originem tribuiſſet. 4) Cerinthus in illo regno futuras omnes improbas voluptates, fœdam ſcilicet epularum ingluviem, ventris & ea quæ ſub ventre ſunt, exquiſitiſſima incitamenta docebat; ſed patres nullam malorum hominum improbitatem aut impietatem, aut iniuſtitiam in illo regno futuram crediderunt. Cerinthus ipſum Chriſtum nondum ſurrexiſſe, ſed adpetente chiliaſtico regno demum ſuſcitandum eſſe docuit, a quo errore patres fuere alieniſſimi. 5) Auguſtinus lib. XX. de civ. Dei cap. 7. *ſpiritualium deliciarum* mentione patrum opinionem a Cerinthiana hæreſi ſeiungit. Tertullianus etiam lib. III. adv. Marcion. c. 24. *Hieroſolymam illam cælo delatam divini operis futuram* adſerit, *ac ſanctos in ea ſpiritualium bonorum adfluentia refovendas eſſe* ſignificat. Interim tamen inficias ire non poſſumus, Lactantium ac Nepotem *corporalium deliciarum* mentionem iniicere, ac Hieronymum lib. XI. in Ezech. indiſtincte veteres illos eccleſiæ doctores *Iudaicarum fabularum patronos* conſtituere, quo dubio procul reſpicit Chemnitius, quando in orat. de lect. patrum primo locorum theol. tomo præfixa adſerit, *Irenaeum chiliaſticae opinioni addictum in fundamento erraſſe.* Confer Sixtum Senenſ. lib. V. biblioth. ſanctæ annot. 233. pag. 411. & lib. VI. annot. 347. p. 573.

§. LXX.

§. LXX. IV) *Epiphanius* hæresin Dimæritarum perfectam Christi incarnationem negantium refellens hæres. LXXVII. p. 859 in Lat. pag. 435. in Græc. inter cætera sic scribit: *Alii dixerunt, senem dixisse, quod in prima resurrectione millenarium quemdam annorum absolvemus, in iisdem versantes, in quibus etiam nunc, nimirum & legem & alia servantes, & omnia quae in usu sunt in mundo, nuptiisque ac circumcisione & aliis participantes; id quod non valde de ipso credidimus. Verum sicut quidam adfirmarunt, hoc dixisse ipsum adseruerunt Et quod quidem scriptum est de millenaria hac secta in apocalypsi Iohannis, & quod apud plerosque receptus est liber etiam apud ipsos, manifestum est. Plurimi vero & pii de spiritualibus edocti, & quae spiritualiter in ipsa se habent cognoscentes, vera quidem esse, in profunditate autem declarata esse credunt. Non solum enim hoc illic profunde dictum est, sed etiam alia multa.*

§. LXXI. V) Nostro seculo chiliasmum in ecclesiæ proscenium reduxerunt *Anabaptistae*, de quibus Augustana confessio art. XVII. sic loquitur: *Damnant & alios* (nostræ ecclesiæ), *qui nunc spargunt Iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sunt, ubique oppressis impiis.* Philippus Melanchton in disp. de furoribus & deliriis Anabapt. tom I. Witeb. Lat. *Anabaptistae adfirmant, oportere ante novissimum diem in terris regnum Christi tale existere, in quo pii dominentur, & omnes reges impios opprimant ac deleant.* Anno 1530. quidam, cui nomen *Augustinus Weber*, arte pellio, imperii chiliastici tempus praesto esse ratus, insomniorum praestigiis ac revelationum peculiarium mendaciis in spem regni quorumdam animos crexit, ac cœtus in horto quodam congregavit. Detecta postmodum coniuratione cum in ducatu Wirtenbergensi urbe cessissent, pœnas temeritatis debitas persolverunt, referente Xysto Betuleio comment. in Lactant. lib. VII. c. 14. Weberum illum quinquennio post, anno scilicet Christi 1535. secuti sunt seditiosi Anabaptistæ in urbe Westphaliæ Monasterio Thomas Müntzerus, Iohannes Leydensis & alii eius farinæ vel potius furfuris complures; quorum historiam late describunt Schleidanus lib. X. Commentar. Antonius Corvinus in historica relatione de Monasteriensium obsidione, Fridericus Staphylus in epit. theol. Luther. & Lambertus Hortensius Montfortius de tumult. Anabapt. Durante obsidione librum ediderunt sub titulo *restitutionis totius mundi*, in quo tempus ac cursum seculorum omnem in tres partividunt, *ac primum quidem mundum inde ab Adam usque ad Noahum inundatione periisse; alterum, in quo nos hodie versamur, igni periturum; tertium plane novum esse futurum, in quo iustitia regnet. Prius vero, quam hic postremus illucescat, eum, qui nunc sit, oportere per ignem expurgari, sed id non ante futurum, quam sit revelatus antichristus, & illius oppressa plane potentia, tunc demum fore, ut collapsa sedes Davidis erigatur, & Christus regnum suum in terris obtineat, & prophetarum omnium scripta compleantur. Praesentem vero mundum esse velut aetatem Esau, nam & in eo silere iustitiam & pios adfligi; sed ut a captivitate Babylonica, sic etiam nunc a tantis aerumnis adesse tempus liberationis ac restitutionis, & futurum, ut impiis cumulate rependantur illorum scelera, sicut in apocalypsi denunciatum sit, hanc autem restitutionem antecedere futurum seculum, ut impiis omnibus oppressis iustitiae velut domicilium ac sedes adornetur.*

§. LXXII.

§. LXXII. VI) A recentioribus Iudæis & Anabaptistis contagium huius erroris promanavit ad *antitrinitarios & Arianos*, qui Iudæorum vitula in pervertendis scripturæ dictis libenter arant. Iohannes Erasmi, Arianus, in libro contra Tyræum Iesuitam disputat, *regnum papae in his terris eversum iri a magnis ecclesiae testibus & doctoribus*, puta Arianis, & ex apocalypsi suspicatur, *pios ac caelestis doctrinae studiosos tunc iterum colligendos esse in ovile sub fidis pastoribus, ubi annorum antichristianorum meta ad ultimum suum terminum pervenerit*, quod anno 1588. futurum speravit. *Interim*, inquit, *non desinunt adflictiones piorum ante sabbatismum septimi millenarii ac beatum initium regni mille annorum &c. Sentio septimi mundi millenarium pertinere ad quietem ecclesiae, quando celebrabitur nuptiarum agni, sabbatismus erit. Haec felicitas septimi millenarii tum septenis diebus & annis, tum etiam septem tubarum, sigillorum & phialarum numero renunciatur. Sed septimo millenario ac regno Christi finito exorietur beatissima lux aeterni regni Dei, quod erit extra temporis mensuram &c. Ævum, quod est fine initio, ab omni aeternitate, coalescet cum aevo post absolutum gaudium regni Christi. Inter haec duo aeva, quorum illud initio, hoc fine caret, interiacet mundus, hoc est, spatium septem millenariorum, & in eo dicit consistere eminentiam regni Dei super regna mundi & Christi. Ecclesiae sua tranquillitas constare non potest, nisi deletis antichristis, ideo proxime huic quieti praemittenda finalis destructio omnium hostium, a quibus pax ecclesiae hactenus fuit interturbata. Tunc piorum erit sanctissimus consensus in una fide ac cognitione veri Dei, sublata erunt intestina dissidia, mali & impostores separabuntur a piis, ut nulli sint in ecclesia seductores, quod non erat in ecclesia apostolica, in qua colluvies quaedam erat bonorum & malorum, ideoque tot scandala, tot sectae in ea exstiterunt &c.* Et postea: *Tunc Christus clarissime conspicietur in templo Dei, hoc est, in ecclesia Dei, Christo autem recte cognito, Deus quoque, utpote cuius gloria in Christi facie lucet, rectissime cognoscetur, & qui quid ad Christianam religionem pertinet, mire simul illustrabitur, exoriente hoc sole Iesu Christo.*

§. LXXIII. VII) Arianorum & Anabaptistarum adfines sunt *Photiniani*, qui ut in divinitate Christi neganda, ita quoque in chiliastico regno stabiliendo cum illis amice conspirant. Quamvis enim tum Valent. Smalcius in lib. de divin. Christi cap. 15. p. 95. edit. Racov. anno 1608. tum Faustus Socinus in miscellan. p. 50. chiliastas refellant, inter quos Socinus scribit, *nullo pacto sibi probari sententiam de futuro eiusmodi Christi regno, sed se credere, illam esse falsam, absurdam & perniciosam*; p. 51. *seque aperte videre, eam pugnare cum perpetuo consensu, qui in scriptis prophetarum & apostolorum deprehendatur.* Pag. 56. addit tamen ex mente suorum, *quos pietatis studiosos* vocat p. 50. *& vitam plane spiritualem degere, aut certe degere perpetuo studere* testatur, p. 69. *istud regnum Christi corporale futurum esse in terra, & quidem in ipsa Iudaea super Iudaicum populum Hierosolymis, postquam Dei nutu ac providentia urbs illa in ea provincia eodem loco, ubi antea erat, instaurata fuit.* p. 51. quod ipsum etiam olim Cerinthum sensisse ostendimus superius.

§. LXXIV. VIII) Circa annum Christi 1578. quidam *Nathanael Ælianus* librum edidit, quem inscripsit *Mattan Ia*, in eo negat *statim post secundum Christi adventum secuturum iudicium, sed prius fore Christi in terris regnum*; addit, *symbolum*

symbolum apostolicum non posse eas scripturas, quibus suam opinionem se confirmare putat, *evertere, denique iudicandi verbum illic non proprie sumi, sed metaphorice pro regnare, ut in libro Iudicum apud Hebraeos iudices significabant reges.* Ibidem: *Christi regnum non in caelis, sed in terris futurum, quo ii, qui in hac vita propter Christum opes & vitam amiserunt, redivivi centuplum recipient, quo Christus suos ab oppressione & servitute gentilium liberabit. Post extremum iudicium nullum amplius Christi regnum fore, sed morte de medio sublata omne imperium Patri tradendum esse, scripturam Christo in caelis non in terris regnum promittere.* IX) *David Georgius Hollandus*, haereticus pestilentissimus, inter reliqua paradoxa, quae in historia Basiliensi de ipsius vita & morte commemorantur, etiam hoc proposuit, *se esse verum illum Davidem a Deo missum, ut extremis hisce temporibus regnum Israëlis restitueret, Iacobique tabernaculum instauraret; se esse regem & Christum, Patris caelestis filium, in quo se oblectet Pater, natum non ex carne, sed ex Spiritu sancto & spiritu Christi Iesu, qui spiritus Christi carne eius in nihilum redacta quodam in loco sanctis omnibus ignoto hactenus servatus nunc Davidi Georgio totus quasi traditus sit, atque in eius animam infusus; se igitur esse eum, qui domum Israëlis verosque Levi filios, nimirum eos, qui dogmata ipsius suscipiunt, eumque sequuntur, una cum verbo Dei tabernaculo sit Spiritu instauraturus, non cruce, rebus adversis aut morte, quemadmodum ille alter Christus, sed clementia & spiritus Christi amore & gratia &c.* Ex illius schola dubio procul prodierunt illi, quorum meminit Cornelius Ianſenius, episcop. Gandavensis, in conc. evang. cap. 123. p. 842. qui in Belgio *se esse Christum regem Sionis mentiti fuere*, quibus nec signa nec prodigia defuerunt, per quae hominibus imposuerunt.

§. LXXV. X) Huius Davidis Georgii soboles sunt nostri *methistae novi enthusiastae, Ezechielis Methi*, qui se *Eliam Sionis* vocat, adsectae, quorum quidam anno 1616. nostram hanc Ienensem academiam turbabant, sed Dei praepotentis gratia & professorum pia diligentia ad saniorem mentem tandem reducebantur. Illi praeter errores alios complures, a veteribus haereticis mutuatos, utpote, quod *Filius Dei carnem suam e caelo secum attulerit, non autem ex Maria virgine adsumserit;* quod *regeneratio fiat per veteris substantiae abolitionem;* quod *Spiritus sanctus non detur per praedicationem evangelii, sed duntaxat excitetur, cum iam ante in corde hominis eum habitare oporteat;* quod *per ministerium illorum, qui non ipsimet habent Spiritum sanctum, non conferatur Spiritus sanctus, quamvis pure ac sincere doceant;* quod *scriptura sit litera mortua;* quod *homo iustificetur formaliter per essentialem Dei iustitiam inhabitantem;* quod *regeneratio non possit fieri per baptismum aquae &c.* chiliastarum somnia magna ex parte amplectabantur. *Tria* enim statuebant *secula* iuxta numerum trium in divinitate personarum. Primum tribuebant *Patri*, quod coepisse dicebant in *promulgatione protevangelii.* Secundum *Filio*, quod coepisse arbitrabantur in *ipsius incarnatione & adventu.* Tertium *Spiritui sancto*, cuius seculi initium *hoc nostro tempore* futurum, idemque per *mille annos* secuturum suspicabantur. Primum vocabant *vetus*, secundum *novum*, tertium *novissimum testamentum*, in cuius limine se versari gloriabantur. Inde porro inferebant, *distinguendum esse inter renovatos primi, secundi ac tertii seculi. In*

primo seculo, dicebant, *regeneratio non potuit externis sensibus deprehendi, quia externus homo in renatis huius seculi fuit fortior interno. In secundo seculo homo internus fuit fortior externo; nondum tamen homo externus plene fuit abolitus in secundi seculi renatis. In tertio autem seculo plane abolendum in renatis* dicebant *hominem externum, unde renatos illius seculi* negabant *ulterius peccare posse*, nec dubitabant, *respectu perfectioris regenerationis in tertio illo seculo ipsis prophetis & apostolis sese anteferre, quippe quibus nondum obtigerit illa Spiritus sancti mensura ac plena regenerationis perfectio.* Vide disputat III. novis illis fanaticis oppositas. XI) Anno Christi 1592. *Franciscus Puccius Filidinus*, homo fanaticus, librum edidit sub titulo de *Christi Servatoris efficacitate in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt &c.* in quo una cum plurimorum aliorum errorum farragine etiam chiliastarum defendit. *Dies*, inquit, *seu tempus iudicii divini multa complectitur. Nam aliquot anni terentur in excoquendo & purgando mundo & in conflictu inter Christum et antichristum, eorumque nationes. Mille anni quinquies promittuntur pacato sanctorum regno, aliquod tempus quoque dabitur ultimo conatui satanae, cui demum succedet resurrectio & iudicium mortalium omnium & status ille confluens & quietus creaturarum, in quem nulla pugna aut mutatio cadet.* Ibidem: *In primis diebus septimi angeli elangentis promittitur illustrissima victoria de satana & antichristo, quibus coniectis & conclusis in abyssi carcere incipiet regnum illud mille annorum, in quo summa potestas divinarum humanarumque rerum erit penes immortales pontifices & reges, sub quorum iudicio & gubernatione sanctissima florebunt omnes virtutes, & exsulabunt omnia vitia, & fluent aurea illa ecclesiae secula, quae prophetae, apostoli ac sibyllae passim promittunt ac describunt, quo tempore elapso fiet resurrectio singulorum hominum.* Huic scripto Puccii piam & eruditam refutationem opposuit Lucas Osiander, theologus Wirtenberg. editam Tubingæ anno 1593. XII) Cramerus, theologus eximius, amicus noster & frater honorandus, part. II. de regno Christi cap. 4 p. 310 meminit cuiusdam *commentatoris in Apocal.* qui novum & subtilem quemdam chiliasmum de regno evangelico excogitavit. Statuit enim, *futuram esse omnimodam antichristi utriusque tum Turcici, tum Romani παντελεθριαν ante mundi finem, ecclesiam futuram esse & œcumenicam & catholicæ evangelicam deletis omnibus haeresibus, cessantibus omnibus persecutionibus, pressuris, bellis, tyrannide, idque per mille annos, hoc est, tempus bene longum, sed Deo praecise notum, in quo regni evangelici flatu* tamen reiecit, *quidquid Iudaismum sapit, quidquid item politicum dominatum. Omnimodam etiam satanae ligaturam, quoad privatum quemque* non admisit, *corporalem Christi conversationem* sustulit, *corporalem item fidelium resuscitationem & iudiciariam sanctorum administrationem;* sed hanc opinionem in primo ovo, antequam excluderetur, suppressam esse adiicit. XIII) *Paracelsus* pronunciavit *revolutis astris mundum debere ad primordium recurrere, & in illo seculo futurum esse paradisum cum summa felicitate. Fratres roseae crucis* itidem chiliastico somnio favent. *Nostro seculo*, inquiunt in confess. sua p. 70. *desinet omnis falsitas, servitus, mendacium, tenebrae.* Seculi divisionem paulo aliter, quam Methistæ instituunt. *Quaedam secula*, inquiunt, p. 72. *auditu rerum cognitione sunt adepta, quaedam visu, alia odoratu, alia gustu, his succedet seculum elocutionis, cum mundus a sopore suo gravi*

vi evigilabit, & obviam ibit novo soli orienti pedibus nudis, nudo capite, cum gaudio; tunc erit seculum praedicationis, quod seculum postea vocant sextam aetatem, id est, regnum chiliasticum, quod futuris adhuc temporibus, si ipsis credimus, in terra sperabimus. Ibidem generalem reformationem in politia, theologia & artibus circa annum Christi 1621. 1622. 1623. & novum regnum futurum concludunt, ac tessera ipsorum est: *Iesus mihi omnia*, id est, rex in millenaria felicitate & postea in aeternitate. In scripto cuiusdam Dantiscani ad fratres rosicrucios legimus *tres mundos seculi*, quorum primus est *innocentiae*, secundus *peccati*, tertius *regnum sanctorum* in novo paradiso revoluta; tres etiam gradus divinae sapientiae, quorum unus *terrenus*, alter *caelestis*, tertius *supercaelestis* &c. tertio mundo vel regno sanctorum millenario tribuit *novam religionem, novam politiam, novam philosophiam, novam medicinam.*

§. LXXVI. XIV) Quidam expontificiis chiliasmo plus aequo accedunt. Editus est Landshutae in Bavaria typis Iohann. Wissenburgeri anno 1524. liber ab auctore pontificiae religioni addicto conscriptus anno 1519. sub titulo: *Onus ecclesiae*, in quo chiliastica opinio iterum in lucem revocatur, quia cap. 62. & seqq. *triplex Christi adventus* statuitur & his verbis explicatur: *Primus Christi adventus fuit in carnem, quando homo factus mundo adparuit. Secundus erit in virtute & efficacia spirituali ad interficiendum antichristum magnum & ecclesiam reformandam. Tertius, quando in maiestate sua iuxta consummationem seculi ad iudicandum mundum veniet. Primus fuit in sexta mundi aetate ad iudicandam veterem synagogam. Secundus erit iuxta finem sexti status mundi ad iudicandum antichristum magnum. Tertius erit in fine septimi status mundi & ultimi millenarii;* nam septem mundi status & septem millenarios facit, quando veniet ad iudicandum orbem. De *primo* adventu intelligit illud Petri: *Tu es Filius Dei, qui venisti in hunc mundum.* De *secundo* illud, ubi quaerunt discipuli: *Quod signum adventus tui?* De *tertio* illud, quod additur ibidem: *& consummationis seculi?* Primi adventus praecursores remotos dicit fuisse, *prophetas*, proximum *Iohannem baptistam.* Secundi adventus praecusores facit *Bernhardum, Franciscum, Dominicum* ac similes, sed remotiores, proximos vero *Enoch & Eliam.* De hoc adventu intelligit vaticinia Esai. XI. 4. Ier. XXIII. 5. Dan. VII. 13. Matth. X. 23. 1 Cor. XV. 24. adeoque omnia, in quibus de propinquo Christi adventu ab apostolis mentio fieri videtur. Statum illius septimi millenarii sic describit: *post occisum antichristum & regnum eius abolitum pax dabitur ecclesiae, & satan rursus alligabitur, pii primas obtinebunt super terram & quiete agent, Iudaei ad Christum per Enoch & Eliam convertentur*, quo adcommodat vaticinia Esai. II. 2. XXXV. 10. Ier. XXX. 8. XXXI. 34. Apoc. VIII. 1. XVIII. 1. &c. Quietissimum illum ac felicissimum ecclesiae statum per mille annos duraturum existimat usque ad persecutionem gentium Gog & Magog, quas *antichristi caudam* facit. Gentes vero illas exponit de *decem tribubus, quas Salmanassar, rex Assyriorum trans flumen transtulit in terram alienam, quas in novissimo tempore Dominus reducturus sit iuxta vaticinium* 4 Esdr. XIII 40. *Tunc* dicit, *rursus solvendum esse satanam, ac persecutionem fore maximam, quamquam brevi duraturam*, quo adcommodat vaticinia Apoc. XII. 12. XVII. 12. *Post devictas tandem*

gentes Gog & occisos decem reges iuxta finem ultimi millenarii totum mundum ante finale iudicium putat, *ad Christum convertendum & in summa pace acturum*, quo adducit dictum Ioh. X. 16. *Erit unum ovile & pastor unus*; itemque descriptionem novæ Hierosolymæ Apoc. XXI. & XXII. In hoc etiam statu putat *satanam prorsus reiiciendum, non tantum ligandum, ut antea*, iuxta dicta Ezech. XXVIII. 16. Ioh. XII. 31. Apoc. XX. 10. quem statum dicit *duraturum usque ad finale iudicium per Christum celebrandum, cuius* præcursorem facit *Iohannem evangelistam*. Hæc omnia auctor illius libri a cap. 61. usque ad finem. Neve quis excipiat, hanc fuisse opinionem privatam a reliquis pontificiis damnatam, ac eo in libro multa antipapistica contineri, notamus, librum illum in Bavaria cum approbatione superiorum esse editum. Conferri etiam monemus ea, quæ pontificii de statu mundi post futuram renovationem disputant, in quibus quædam carnalia & chiliastica, quin & Cerinthiana corporalium voluptatum seminaria haberi, nemo inficias ire poterit. Vide §. 28. Cumprimis vero observetur, qualem describant ecclesiæ in terris statum post antichristum interfectum. Tradunt enim tempus illud, quod inter miraculosam ab antichristo reportatam victoriam & Christi iudicis adventum intercedit, *Christianos in summa laetitia, quiete, abundantia & gratiarum actione perpetua esse traducturos*. Viega in Apoc. p. 765. Iosephus a Costa lib. II. de novissim. cap. 17. p. 560. Schopperus de antichr. p. 53.

§. LXXVII. XV) Ex *Calvinianis* Piscator Herbornensis disputat. in comm. Apoc. XX. *solos martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecturos, & mille annis cum Christo in cœlo regnaturos, deinde vero reliquos homines ex morte in vitam revocandos*. Parum etiam abest a chiliasticis opinionibus, quod antichristum Romanum armis corporalibus debellandum, & postea quietissimum ecclesiæ statum successurum putant, cum scriptura *spiritu oris Christi ipsum interficiendum*, ac demum ultimo Christi adventu penitus delendum esse prædixerit, 2 Thess. II. 8. Non ergo *manu humana* sive multitudine exercitus exstirpabitur, sed manu & potentia Dei, sive verbo potentiæ, quia spiritus oris Christi significat ipsum verbum cum efficacia Spiritus sancti coniunctum, sicut etiam Esai. XI. 4. *virga oris & spiritus labiorum* adpellatur, quod verbum est *gladius spiritualis*, Ephes. VI. 17. Heb. IV. 12. quo antichristus hactenus feliciter oppugnatus, & regnum eius in multorum cordibus expugnatum; corporalibus vero armis parum fuisse profectum experientiæ testimonio comprobatum exstat. Mornæus in præfat. myst. iniquit. ad Britaniæ regem Iacobum: *Antichristum calamo tam feliciter confixisti, quidni propediem ultore gladio glorioso eum transfixurus? Venatio illa tanto munerario orbi exhibenda belluae illius apocalypticae, quae sane regia indagine, regiis plagis, venabulo demum tuo sola iam digna &c. Apage rex magne calamos. Alios mores haec aetas postulat, aliis posthac telis opus. Novus nobis prodeat ex Britannia Constantinus Maxentium Pharaonem alterum in ponte Milvio calcaturus, pessum daturus &c. Romam intrepidus nunquam frustra tentatam recta ducat. Quis ad ipsum tubarum clangorem, subsessuros colles, procubituros muros, molem adeo ipsam dubitet? At pergat ille iudiciorum Dei exactor rigidus, Iovem Capitolinum de sede nunquam reponendum excussis fulminibus exturbet, Babylonem ipsam*

pſam refuſo Tyberi, reſtagnante ipſo averno, nunquam emerſuram molae inſtar demergat. In præfat. ad eccleſiæ Romanæ ſectatores eidem operi præfixa circa finem: *Vos reges tamdiu inebriati, quid circumſpicitis? quin omnipotentis conſilium haud irritum impletum accurritis? quin belluam illam deſolatam & nudam facitis carne devorata, igni comburitis?* Confer Paræum in Apocal. XIX. cumprimis vero Iacobi Brocardi myſticam & propheticam in librum Geneſeos interpretationem editam Lugduni anno 1593. in qua multa chiliaſtica occurrunt.

§. LXXVIII. XVI) Beato noſtro Luthero chiliasmi maculam adfricare conantur pontificii quidam ſcriptores, Fevardentius in comm. II. epiſt. Petri & Iodocus Coccius lib. X. theſauri art. 9. p. 1155. propterea quod in colloquiis menſalibus ſtatum vitæ æternæ per *carnales voluptates & delicias* deſcribere videatur. Sic enim loquitur in menſal. coll. f. 454. *Deus novam terram creabit & novum cœlum, quin & nova creabit animalcula & catellos, quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus pretioſis, non devorabunt ſe mutuo animalia, ut ſunt bufones, ſerpentes & id genus alia, quae hic venenata ſunt & nocere ſolent propter originale peccatum. Tum vero nobis non ſolum innocua erunt, ſed & amicabilia & grata, ut cum iis animi cauſa luſuri ſimus.* Et paulo ante: *Ibi formicae, ciniphes & omnia fœtida & male olentia animalia merae deliciae erunt, & optimum odorem ſpirabunt.* Reſp. 1) Lutherus non de *regno quodam chiliaſtico* Chriſti iudicis adventum & univerſalem mortuorum reſurrectionem anteceſſuro, ſed de *regno gloriae* in vita æterna & ſtatu piorum in futuro ſeculo loquitur. 2) Statum illum deſcribit verbis *parabolicis, ſymbolicis ac hyperbolicis*, quæ non ſunt proprie & κατα ρητον, ſed ſimilitudinarie ac myſtice accipienda. Sic in comm. 1 Cor. XV. dicit, *futurum in altera vita, ut cœlum, ſi velis merum aurum pluat, gemmis fluat, arborum folia ſint argentea, gramina & floret agri ſmaragdos referant.* 3) Ipſe Spiritus ſanctus eiusmodi ſymbolicis ac parabolicis cœleſtis gloriæ deſcriptionibus utitur Apoc. XXI. 22. ut ex corporeis ad incorporea, ex viſibilibus ad inviſibilia nos deducat.

§. LXXIX. Cæterum ex his, quæ de chiliaſtarum tribu ſatis ampla diximus hactenus, liquido adparet, non eſſe eamdem omnium de hoc regno chiliaſtico ſpem & opinionem. 1) Quidam enim chiliaſmum *ſubtilem* in pace eccleſiæ, perfecta iuſtitia, quiete a tentationibus, fidei orthodoxæ conformitate univerſali &c. conſiſtentem, quidam vero chiliaſmum *craſſum* in corporalibus deliciis ac voluptatibus fluitantem propugnant. 2) Quidam regnum illud *ante* reſurrectionem, quidam *poſt* reſurrectionem inchoatum iri ſperant; niſi diſſidentes illas opiniones hoc diſtinctionis fœdere conciliare velimus, quod inchoandum ſit poſt reſurrectionem ſanctorum, vel certe martyrum, & ante reſurrectionem univerſalem omnium hominum. 3) Quidam opiniones ſuas proferunt ut *probabiles*, & futuro eventui totum negotium ſuſpenſi ac dubii permittunt; quidam vero eas ut *apodicticas* demonſtrationes cum credendi neceſſitate eccleſiæ obtrudere ſatagunt. 4) Quidam de chiliaſtico & phantaſtico illo regno diſputant θεωρητικως in ſcholis ac libris; quidam vero illud promovere nituntur πρακτικως, ſicut Anabaptiſtæ Monaſterienſes, qui omnes magiſtratus impios e medio tollendos eſſe docuerunt, ut pacatiſſimum

illud regnum sequi posset. 5) Quidam *in genere* tradunt, regnum illud Christi in his terris esse instituendum; quidam vero *in specie* terram Canaan designant, in quam etiam Iudæos reducendos sperant. 6) Quidam *tempus durationis* huius regni soli Deo exacte notum esse dicunt; quidam vero præcise *millenarium* annorum ei adsignant. 7) Quidam *omnes pios* & sanctos prius resuscitandos sperant, ut regni huius consortes fiant; Iudæi *solos Israëlitas*; Piscator *solos martyres*: quidam illos denuo ante iudicium extremum dicunt morituros; quidam vero eos perpetuo cum Christo victuros esse sperant. 8) Quidam ex *sacris litteris*, quidam ex *sybillarum oraculis*, quidam ex *traditionibus apostolicis*, quidam ex *libris apocryphis*, maxime ex 4. lib. Esdræ de hoc regno disputant. Sic ergo in qualitate, tempore & subditis huius regni, ac modo & principiis disputandi de hoc regno patroni eius inter se non satis conveniunt.

Argumenta contra chiliastarum opinionem. 1) est ἀγραφος.

§. LXXX. Nos chiliasticæ opinioni, quocunque tandem minio pingatur ac quacunque cerussa obducatur, larvam detrahendam esse censemus, ac proinde sequenti argumento generali eam impugnamus: Quæcunque opinio est 1) ἀγραφος, 2) ἀντιγραφος, repugnans scripturæ & 3) experientiæ, ea merito repudianda. Talis vero est chiliastica opinio a nobis hactenus descripta. Ergo. 1) Quod ἀγραφος sit, patet ex primo eius in ecclesia auctore. Papias, Hierapolitanus episcopus, ad *traditiones apostolicas* eius originem revocabat, sed verisimile est, *Cerinthi impura dogmata* sub ementito apostolicarum traditionum prætextu ipsi fuisse instillata; neque enim ullo modo probabile fieri potest, apostolos alia viva voce tradidisse, alia vero literis mandasse. Constat ex 2 Thess. II. 2. inter media probandi, quibus seductores Thessalonicensibus persuadere voluerunt, diem Domini instare, fuisse etiam τον λογον, id est, prætextum traditionis apostolicæ; eodem argumento in palliandis erroribus etiam alios fuisse usos dubium nullum. Irenæus, scriptor antiquissimus, ea quæ de translatione animarum piarum *in paradisum terrestrem* differit, *ab apostolorum discipulis per traditionem se accepisse*, adserit lib. V. adv. hær. cap. 7. p. 322. at nemo negare potest, traditionem illam scripturis sacris adversari, qua de re adnotabo ingenuam confessionem Pererii in Gen. lib. III. cap. 2. q. 5. *Irenaeus adfirmat, se, quod de paradiso tradit, a presbyteris Asiae, discipulis apostolorum accepisse. Sed quid tum postea? an ideo, quodcunque ab istis presbyteris proditum tanquam certum & indubitatum doctrinae Christianae dogma haberi debet? Nonne constat, illos ipsos presbyteros, eodem referente Irenaeo, quaedam falsa & divinis literis contraria docuisse?* Idem iudicium esto de traditione apostolica, ad quam Papias provocavit. Scriptura enim nusquam testatur, *ante diem novissimum tam beatam millenarii alicuius tranquillitatem & pacatissimum ecclesiae in terris statum adhuc esse exspectandum, in quo Christus regnum aliquod terrenum inchoaturus, & cum suis in hoc mundo abolito peccato, morte & omnibus malis suavissime & quietissime regnaturus sit.* Quæcunque vero pro stabilienda illa opinione ex scripturæ prophetiis adferuntur, ea vel de primo Christi adventu in carnem, vel de statu ecclesiæ nov. t. in genere, vel de gloria cœlesti triumphantis ecclesiæ in vita æterna demum exspectanda loquun-

quuntur, ac proinde *απροσδιονυτως και απαιδευτως* ad chiliastica somnia confirmanda adhibentur.

II) quia est αντιγραφος, quod probatur 1) ex regni Christi conditione.

§. LXXXI. II) Quod sit *αντιγραφος*, probamus rationibus ex scriptura petitis. 1) *A regni Christi conditione.* Regnum Christi in sacris litteris describitur ut *spirituale & aeternum*, non autem ut *corporale & terrenum.* Ergo chiliastae frustra sperant Christum per mille annos terrenum aliquod regnum esse administraturum. Antecedens probatur ex illis *scripturae dictis*, 1) quae expresse negant *regnum Christi esse terrenum & mundanum.* Christus de ratione & constitutione regni sui a Pilato quaesitus negat illud esse *εντευθεν & εκ κοσμε τουτε*, Ioh. XVIII. 36. quod testimonium Christi Paulus vocat *την καλην ομολογιαν*, 1 Tim. VI. 13. inde quaesitus ad regnum terrenum capessendum *fugit in montem*, Iohan. VI. 15. 2) quae contra illud *spirituale, caeleste & aeternum* esse testantur: Psalm XLV. 7. *Sedet tua Deus in seculum seculi.* LXXII. 5. *Timebunt te cum sole & ante lunam in generatione generationum.* LXXXIX. 30. *Ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies caeli.* Esai. IX. 6. *Pater aeternus princeps futuri seculi.* v. 7. *Corroboravit regnum a modo usque in sempiternum.* Dan. II. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, ipsum stabit in aeternum.* VII. 14. *Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Luc. I. 33. *Regnabit in domo Iacob in aeternum & regni eius non erit finis.* 2 Tim. IV. 18. *Liberabit me Dominus εις βασιλειαν επουρανιον*; unde Christus post suam adcensionem dicitur *consedisse ad Dei dextram in excelsis*, Hebr. I. 3. *in caelestibus*, Eph. I. 20. *in caelis*, Hebr. VIII. 1. 3) Quae regnum Christi describunt; ex illa enim descriptione evidenter colligi potest, illud non terrenum & corporale, sed aeternum & spirituale esse. Regnum Christi sic describitur, quod sit internum in cordibus hominum locum habens, quodque gloria & splendor eius ab oculis hominum sit remotus, Psalm XLV. multa de regno Messiae admodum bellicosa & speciosa praedicuntur, sed mox additur v. 14. *omnis gloria filiae regis ab intus*; at qualis ornatus filiae regis, talis etiam ornatus huius regni, videlicet internus ab externo rerum mundanarum splendore longissime distinctus. Luc. XVII. 20 *Regnum Dei*, & sic etiam regnum Christi, *non venit cum observatione*, sed v. 21. *ecce regnum Dei intra vos est.* Colosse III. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* v. 4. *Cum autem Christus adparuerit, vita vestra, tunc & vos cum ipso adparebitis in gloria.* Hebr. II. 8. *Nondum videmus ei omnia esse subiecta.* 1 Ioh. III. 2. *Filii Dei sumus, sed nondum adparuit, quid futuri simus.* Describitur Christi regnum ut *catholicum & universale* per universum terrarum orbem se extendens, quod de mundano ac terreno aliquo regno dici nequit. Psalm II. 8. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae.* XXII. 28. *Adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium.* LXXII. 8. *Dominabitur a mari usque ad mare, a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Esai. XLIX. 6. *Dedi te in salutem gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terrae.* Dan. II. 35. *Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Zach. IX. 10. *Potestas eius a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terrae.* XIV. 4. *Ruptura oliveti extenuit se ad omnes mundi cardines.* Rex ipse describitur, ut *pauper* Zach. IX. 9. quae

qua-

qualitas regibus mundanis minime competit, nec sponte ab eis adsumitur, quod tamen a Christo factum; 2 Cor. VIII. 9. ut *pacem locuturus gentibus*, Zach. IX 10. at reges mundani non verbis sed armis pacem procurant; ut *iustitiae doctor & Salvator*; Esai. LXIII. 1. ut *mitis, mansuetus ac pacificus*; Esa. XLII. 2. *Non clamabit, nec attollet vocem.* v 3 *Calamum quassatum non conteret.* v. 4. *Non erit tristis nec turbulentus, donec ponat in terra iudicium &c.* Dan. VII. 13. coronatur non a dinastis terrenis sed ab *antiquo dierum*, id est, a Patre coelesti, ad quem adducitur non in curru aureo vel eburneo, sed *in nubibus coeli*, a quo etiam accipit non terrenam & egenam, sed *aeternam potestatem & regnum perpetuo duratu um.* Beneficia huius regni sunt spiritualia & coelestia. Ier. XXIII. 5. XXXIII. 14. *Suscitabo Davidi germen iustum, in diebus illis salvabitur Iuda, & hoc est nomen, quod vocabunt eum Iehovah, iustitia nostra.* Zach. IX. 9. *Ecce rex tuus venit tibi iustus & Salvator.* v. 11. *In sanguine testamenti educis vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Huc referenda sunt omnia scripturae dicta, quae de spirituali redemtione, ab hoc rege exspectanda loquuntur, quod *contriturus sit caput infernalis serpentis*, Gen. III. 15. quod *benedictionem adlaturus*, XXII. 18. quod *iniquitates expiaturus, & perfectam iustitiam adducturus sit*, Dan. IX. 24. &c. 4) Quae regnum Christi a terrenis & mundanis regnis diserte distinguunt. Esai. IX. 6. *Principatus eius super humeros eius.* Matth. XX. 25. *Reges gentium dominantur, vos non sic.* v. 28 *Sicut & Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut sibi ministraret.* Ioh. XVIII. 36. *Si ex mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ne traderer Iudaeis;* unde etiam Petrum ab usu gladii revocat Matth. XXVI. 52. *Arma militiae nostrae non sunt carnalia*, inquit apostolus 2 Cor. X 4 Non est, quod excipiant, *haec omnia de primo duntaxat Christi in carnem adventu esse accipienda;* quia principium in eo petunt, quod in secundo Christi adventu terrenum & corporale aliquod regnum in hoc mundo inchoatum iri arbitrantur. Scripturae dicta, quae de qualitate regni Christi loquuntur, sunt immotae ac perpetuae veritatis; nec ullibi in scripturis adseritur, quod Christus aliud quoddam regnum in terris sit inchoaturus, sed quod in secundo adventu pios ex omnibus malis liberatos in plenariam coelestis regni possessionem introducturus sit. Certe si Christus e coelis in terras corporaliter esset descensurus, cum piis visibiliter conversaturus, & per mille annos in omni deliciarum genere cum ipsis versaturus, regnum Christi desineret esse coeleste & aeternum, ac inciperet esse corporale, terrenum & transitorium, sicque qualitas illa, quam velut ἴδιον πάθος Christi regno prophetae & apostoli adsignant, mutaretur. Adde quod scriptura de Christi regno non *pluraliter* sed *singulariter* ubique loquatur Psalm XLV. 7. 1 Cor. XV. 24. &c. distinguitur quidem ratione modi & obiecti in regnum *potentiae, gratiae & gloriae;* interim ratione *essentiae* ac ratione *sui* manet unum regnum. Atqui si praeter spirituale & aeternum Christo tribueretur chiliasticum aliquod regnum per mille annos in terris administrandum, non amplius esset unum, sed geminum ἀντιδιηρημένως sibi invicem oppositum, unum enim esset *temporale*, alterum vero *aeternum;* unum *spirituale*, alterum *corporeum;* unum *universale*, alterum vero ad *certa loca, tempora & personas restrictum.*

§. LXXXII.

§. LXXXII. 2) *Ex piorum in his terris conſtitutione.* Sors & ſtatus piorum in his terris ita deſcribitur in ſacris literis, ut opinationes & imaginationes pacatiſſimi & feliciſſimi cuiusdam regni prorſus excludat. Iob. VII. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram* Pſalm XXXIV. 20. *Multae tribulationes iuſtorum.* Sir. II. 1. *Accedens ad Dei ſervitium praepara animam ad tentationem.* Matth. V. 4. *Beati qui lugent.* v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* v. 11. *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos mentientes propter me.* v. 12. *Gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa* (non in terra, ſed) *in cœlo.* Ioh. XVI. 33. *In mundo preſſuram habetis.* Act. XIV. 22. *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum.* Rom. VIII. 17. *Coheredes Chriſti ſumus, ſi tamen compatimur.* 1 Cor. IV. 11. *Uſque in hunc diem & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus &c.* 2 Tim. III. 12. *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Hebr. XII. 6. *Quem Dominus diligit, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* v. 8. *Si extra diſciplinam eſtis, cuius participes ſunt omnes, nothi eſtis, & non filii.* Huius generis prædictiones ac deſcriptiones in ſcripturis occurrunt longe plurimæ, adeo ut non immerito quis dixerit, totam ſcripturam nihil aliud eſſe, quam perpetuam conſolationem piis ſub cruce in hac vita ingemiſcentibus propoſitam. Chriſtus & apoſtoli non promiſerunt piis *carnales in mundo delicias*, ſed contra potius per contemtum voluptatum carnis, ac per patientiam & tolerantiam adverſitatum ad regnum cœlorum contendendum eſſe docuerunt, Matth. XVI. 24. Luc. XIV. 26. Rom. V. 3. VI. 4. VIII. 5. Tit. II. 12. 1 Petr. I. 6. Ebr. X. 36. &c. Atqui ſi chiliaſticum aliquod regnum in terris eſſet ſperandum, tales piorum deſcriptiones in eo non poſſent habere locum. Non eſt, quod excipiant, *tales praedictiones duntaxat pertinere ad tempus huius vitae, chiliaſticum illud regnum anteceſſurum;* quia *zizania tritico intermixta* erunt uſque ad *tempus meſſis*, id eſt, uſque ad ſeculi conſummationem, Matth. XIII. 30. ac militans Chriſti eccleſia ſic deſcribitur, quod uſque ad conſummationem ſeculi variis tribulationibus futura ſit obnoxia, Matth. XXIV. 13. *Qui perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit;* quamdiu durabit hoc ſeculum, tamdiu etiam durabit perſecutorum violentia & piorum patientia. Calamitates piorum non niſi in huius vitæ finem accipiunt, Apoc. II. 10. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae;* unde *ſpes* duntaxat ſalutis piis in hac vita promittitur, *res* vero futuræ vitæ reſervatur. Rom. VIII. 24. 2 Cor. V. 7. In vita æterna demum peccatum & omnes peccati pœnæ, mors & omnia mala penitus abolebuntur, 2 Petr. III. 13. 1 Cor. XV. 54. Apoc. XXI. 4. in hac vero vita renatis cum peccato ſatana, mundo, morte & variis adverſitatibus adhuc colluctandum, teſte univerſa ſcriptura. Huc pertinent *parabolae Salvatoris*, quæ oſtendunt mixtionem bonorum & malorum in eccleſia permanſuram uſque ad diem iudicii & conſummationem ſeculi. Matth. XIII. 30. 39. 49. XXV. 32. Atqui ſi mille annis ante ſeculi conſummationem eccleſia meris deliciis ac voluptatibus, exſtinctis omnibus impiis, in ſperato illo regno chiliaſtico eſſet perfruitura, quomodo permixtio bonorum & malorum uſque ad conſummationem ſeculi permaneret, quomodo eccle-

2) *ex piorum in his terris conditione.*

ecclesia sub cruce gemeret usque ad mundi finem, quomodo pii per totam vitam sub pressuris essent constituti? Breviter, chiliasticum regnum aut ad præsens aut ad futurum seculum pertinet. Prius dici nequit, quia descriptio eius non convenit cum piorum in hoc seculo conditione. Posterius itidem dici nequit, quia futurum seculum non mille annorum termino includitur, sed est æternum & interminatum. Si excipere velint, *millenarium illum quietissimum esse intermedium quemdam statum inter seculum præsens & futurum;* opponimus illis immediatam oppositionem inter *præsens & futurum seculum*, quæ cogitationem de statu quodam intermedio prorsus excludit, Matth. XII. 32.

§. LXXXIII. 3) A *diei novissimi adpropinquatione.* Si mille anni, quibus Christus in terris cum suis in omni bonorum abundantia dicitur regnaturus, nondum sunt inchoati, nedum finiti, sequitur ultra mille annos nostra tempora a die iudicii & consummatione seculi adhuc distare. Ratio *connexionis* est manifesta, quia ante iudicii diem chiliasticum illud regnum adhuc inchoandum & finiendum esse statuunt. Consequens repugnat tum *dictis scripturae*, quæ mundi finem *in propinquo* esse testantur, 1 Cor. X. 11. 1 Petr. IV. 7. Iac. V. 8. 1 Ioh. II. 18. Ap. VI 11. tum *signis illis*, quæ mundi finem proxime anteceßura a Christo & apostolis sunt prædicta, Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI. 1 Thess. V. 2. Thess. II. 1 Tim. IV. 2 Petr. II. quorum pleraque vel iamdum impleta, vel in ipsius complementi ἀκμὴν versantur. Confer ea, quæ in præcedenti tractatu de illis signis dicta, ut & Chunmannum Flinspachium in tractat. de coniecturis extremorum temporum, Philippum Nicolai lib. II. de regno Christi, & alios, qui prudentem nostrorum temporum collationem cum Christi & apostolorum de fine seculi vaticiniis instituerunt. Non est, quod excipiant, *mille annos coram Deo esse sicut diem unum*, Psalm. XC. 4. 2 Petr. III. 8. *ac proinde veritati vaticiniorum de fine seculi proxime instante per hypothesin chiliasticci regni nihil decedere;* quia propinquitas illa non æstimatur respectu æterni *Dei*, sed respectu *nostri*, ut colligitur ex dicto Christi Matth. XXIV. 32. *Ab arbore fici discite par abolam, cum iam ramus eius fuerit tener & folia nata, scitis quia in propinquo est aestas;* v. 33. *ita & vos, cum videritis haec omnia, scitote, quia prope est in ianuis.* Quando ficus protrudit folia & grossos, in propinquo adest æstas; sic præsentibus signis a Christo prædictis finis mundi proxime instat. Quamvis ergo respectu signorum e longinquo finem mundi antecedentium exceptio illa locum habere possit, tamen respectu propinquorum, immediatorum ac proximorum signorum non potest admitti. Adde, quod ex illis ipsis signis a Christo & apostolis in scriptura prædictis evidenter colligatur, statum novissimorum temporum fore longe miserrimum, invaliturum omnis generis impietatem & securitatem, pressuras & angustias ad summum usque gradum perventuras, ut in præc. tract. §. 88. fuit demonstratum. At si ante mundi finem tam pacatus & quietus in terris status, qualem chiliastæ nobis describunt, esset sperandus, quomodo tristissimæ illæ querelæ ac prædictiones veritatis robur obtinerent? Sicut diluvium immediate præcessit proiecta hominum malitia: sicut Israëlitarum ex Ægypto liberationem anteceßerunt graves pressuræ, sicut

3) a diei novissimi appropinquatione.

ſicut partum antegrediuntur ὠδῖνες; ita conſummationem ſeculi preſſuræ gentium, anxietates cordium, antichriſtianæ perſecutiones, extrema hominum ſecuritas, ac totius naturæ gemitus, non autem chiliaſticum aliquod regnum, in quo deletis impiis iuſtitia, tranquillitas & omnium rerum copia vigeat, antecedet. Vanum proinde eſt, ſuavibus ſomniis de beato quodam in his terris millenario adhuc exſpectando ſeſe oblectare, ac longe conſultius, ad Chriſti adventum proxime inſtantem & iudicium extremum brevi ſecuturum vera pœnitentia, fide, precibus, ſtudio pietatis ac patientia ſeſe præparare.

§. LXXXIV. 4) Ex *ſubſtantiali mundi interitu ac deſtructione.* In ſecundo Chriſti adventu *cœlum & terra tranſibunt, & a facie ſedentis ſuper thronum ita fugient, ut locus illis non amplius inveniatur*, Apoc. XX. 11. *Quando videbunc Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, cœlum & terra tranſibunt*, Matth. XXIV. 30 & 35. quando dies *Domini adveniet*, id eſt, quando Dominus e cœlo adveniet, tunc *cœli magno impetu tranſibunt*, 2 Petr. III. 10. Tranſibunt autem non per renovationem ac qualitatum immutationem, ſed per ſubſtantialem abolitionem, ut paulo ante demonſtravimus. Ergo Chriſtus poſt ſuum e cœlis reditum non regnabit in terra mille annis, alias enim terra deberet ſuperſtes manere. Non eſt, quod excipiant, *diſtinguendum eſſe inter adventum Chriſti ad regnum millenarium & ad iudicium extremum, in poſteriore demum adventu cœlum ac terram eſſe abolenda.* Scriptura enim non niſi unicum Chriſti e cœlis adventum in nubibus exſpectandum deſcribit, cum quo mortuorum reſurrectionem, extremi iudicii adminiſtrationem, piorum glorificationem & impiorum damnationem immediate coniungit, ut poſtea demonſtrabitur. Hoc loco expendimus emphaſin dicti apoſtolici 1 Cor. XV. 23. *Quando illi, qui ſunt Chriſti, in adventu eius excitabuntur*; v. 24. *erit deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum & omnem poteſtatem & virtutem.* In adventu Chriſti erit finis non ſpiritualis *& cœleſtis ipſius regni*, illud enim æternum eſſe ſuperius oſtendimus, ſed *huius ſeculi*; utique ergo Chriſtus in ſuo adventu non inchoabit terrenum aliquod in hoc ſeculo regnum. Chriſtus in ſuo adventu tradet regnum Deo & Patri. Ergo non inchoabit demum novum aliquod regnum. Chriſtus in ſuo adventu evacuabit omnem principatum & omnem poteſtatem, puta terrenam. Ergo non inſtituet inter ſuos terrenum & corporale quoddam regnum.

4) Ex ſubſtantiali mundi interitu ac deſtructione.

§. LXXXV. 5) Ex *immediata adventus Chriſti connexione cum univerſali omnium hominum reſurrectione, iudicii extremi adminiſtratione, huius ſeculi conſummatione, novi cœli ac terræ creatione, piorum in occurſum Chriſti obviatione, piorum cœleſtibus præmiis & impiorum æternis ſuppliciis.* Si in die noviſſimo demum pii *in Chriſto mortui* ad beatam vitam ſunt reſuſcitandi; utique ante illum non revocabuntur ad hanc vitam, ut mille annis cum Chriſto in terris regnent. Sed verum prius, ut conſtat ex dictis Ioh. VI. 39. 40. 44. *Reſuſcitabo eum in die noviſſimo.* XI. 24. *Reſurget in reſurrectione in die noviſſimo.* Quomodo vero dies reſurrectionis eſſet noviſſimus, ſi poſt eum non ſo-

5) Ex immediata noviſſimorum connexione.

lum aliquot dies, sed etiam mille anni sequerentur? 1 Thessal. IV. 16. *Ipse Dominus in iussu & voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* At hæc tuba erit novissima, post quam non audietur alia, per quam reliqui homines excitentur & ad iudicium congregentur, 1 Cor. XV. 52. manet ergo etiam posterius. Si Christus in secundo suo adventu iudicium statim instituet, utique post adventum suum non regnabit mille annis in terris. Ratio *connexionis* est, quia ante iudicium chiliasticum illud regnum institutum iri sperant. Sed verum prius, ut colligitur ex processu iudiciali Matth. XXV. 31. *Cum venerit Filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ergo & posterius. Si in Christi e cœlis reditu pii defuncti e mortuis excitati ac vivi superstites rapientur in nubibus in occursum Domini in aëra, ut semper sint cum Domino, utique Christus non descendet in terram, ut in ea per mille annos cum piis regnet; aliud enim est pios ad Christum in cœlos subvehi, aliud vero Christum ad pios in terras descendere. Sed verum prius, ut patet ex disertis verbis apostoli 1 Thessal. IV. 17. Ergo. Si cum secundo Christi adventu præsentis cœli ac terræ abolitio, & novi cœli ac terræ creatio erit immediate coniuncta, utique post illum adventum Christus non regnabit cum piis in priore terra. Sed verum prius: Esai. LXVI. 15. *Ecce Dominus in igne veniet.* v. 22. *Sicut cœli novi & terra nova, quos ego facio &c.* 2 Petr. III 12. *In adventu Domini cœli igne succensi solventur.* v. 13. *Exspectamus autem cœlos novos ac terram novam.* Apoc. XXI. 1. *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abiit.* Ergo. Si Christus in secundo suo adventu pios statim ad se in cœlum recipiet, impios autem in infernum detrudet, utique non inchoabit terrenum aliquod in hoc seculo regnum. Sed verum prius. Matth. XXV. 31. *cum venerit Filius hominis in maiestate sua*, v. 34. *dicet his, qui a dextris sunt: Venite benedicti Patris mei.* Ioh. XIV. 3. *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* 2 Thess. I. 7. 8. 9. & 10. cum revelatione Domini de cœlo piorum glorificatio & impiorum æterna damnatio immediate connectuntur. 2 Tim. IV. 1. *Testificor coram Deo & Christo, qui iudicaturus est vivos & mortuos per adventum eius & per regnum eius.* Ergo non elapsis ab adventu mille annis, sed in ipso adventu.

§. LXXXVI. 6)

Ex *simultaneae omnium hominum resurrectionis adsertione.* Scriptura testatur in secundo Christi adventu *omnes homines*, tam impios quam pios, esse *uno eodemque tempore*, imo hora, imo momento resurrecturos. Dan. XII. 2. *Quidam resurgent ad vitam, quidam ad iudicium.* Ioh. V. 28. *Qui in monumentis sunt, audiunt vocem Filii hominis*, v. 29. *& procedant quidam ad resurrectionem vitae, quidam ad resurrectionem iudicii.* 1 Cor. XV. 24. post piorum resurrectionem apostolus non meminit alterius cuiusdam universalis resurrectionis, sed *finis*, sive consummationis seculi. Sed chiliastæ contra fingunt, *solos fideles primum resurrecturos, & quidem mille annis ante universalem omnium hominum resurrectionem ac seculi huius consummationem.* Piscator de solis martyribus id statuit.

6) Ex simultaneae resurrectionis adsertione.

§. LXXXVII. 7)

Ex *piorum in vitam renovatorum & praemiorum illis reddendorum descriptione.* Pii ex

7) Ex piorum in vitam renovatorum descriptione.

ex mortuis in vitam revocati dicuntur futuri ισαγγελοι, Matth. XXII. 30. Marc. XII. 25. Luc. XX 36. & *vitae aeternae heredes*, Dan. XII. 2. Matth. XXV. 46. *possidentes regnum paratum ipsis a constitutione mundi*: v. 34. illud vero regnum *non est cibus at potus*, vel aliæ deliciæ terrenæ ac corporeæ, sed *iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto*, Rom. XIV. 17. unde etiam de piis ex morte suscitatis dicitur, quod *non sint nuptui tradendi vel elocandi* Matth. XXII. 30. quod satiandi sint non cibis corporeis, sed *Dei conspectu*, Psalm XVII. *Agnus in medio throni deducet illos ad vivos fontes aquarum*, Apoc. VII. 17. Præmia, quæ tum ipsorum animabus a corporibus solutis, tum ipsis in vitam revocatis ex gratia promittuntur, non sunt corporalia, terrestria, temporalia, ac finem habitura, neque in terris speranda, sed spiritualia, cœlestia & æterna in cœlis conferenda. Matth. V. 12. *Merces vestra copiosa erit in cœlis.* 2 Cor. IV. 18. *Quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna.* Phil. III. 20. Πολιτευμα *nostrum in cœlis est, unde Salvatorem exspectamus.* 1 Petr. I. 4. *Hereditas incorruptibili & incontaminata & immarcescibilis reservatur in cœlis.* Apoc. III. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius &c.* XI. 15. *Factum est regnum huius mundi Domini nostri Christi eius, & regnabit in secula seculorum &c.* Quemadmodum igitur terrenæ deliciæ repugnant statui cœlesti & naturæ angelicæ, ita quoque repugnant conditioni piorum e morte ad vitam æternam excitatorum. Corpora eorum in ipsa statim resurrectione erunt spiritualia, 1 Cor. XV. 47. ergo etiam gaudium, quo perfruentur erit spirituale. Status ipsorum erit cœlestis. Ergo etiam præmia ipsorum erunt cœlestia. Confer Feurbornium in adpend. disputat. Philippo Cæsari oppositæ.

§. LXXXVIII. Ex *patribus* chiliastico regno semper aliqui contradixerunt. (*) De Dionysio Alexandrino Hieronymus lib. XVIII. in Esaiam commemorat, *quod elegantem scripserit librum, in quo irrisit mille annorum fabulam & auream atque gemmatam in terris Hierusalem &c.* Ipse Hieronymus vocat, *Iudaicas fabulas*, ut superius monuimus. Epiphanius hæres. XXVIII. p. 91. & Philastrius hæres. LIX. p. 26. hæreticis accensent *chilionetitas*, idem facit Augustinus hæres. VIII. p. 15. Damasus, episcopus Rom. in synodo Romana anno 373. habita *chiliastarum* errorem damnavit. Augustinus lib. de eccles. dogmatib. c. 55. & ex eo Gennadius Massilienſis lib. de dogmat. eccles. c. 54. ac Rabanus Maurus lib. IV. de universo c. 10. *In divinis repromissionibus nihil terrenum, nihil transitorium exspectemus, sicut Meletiani sperant; non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus & Marcion delirant; non quod ad cibum vel potum pertinet, sicut Papia auctore Irenaeus & Tertullianus & Lactantius adquiescunt; neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum & sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam iustorum & secundam impiorum resurrectionem confinxit, & inter has duas mor-* *Dicta patrum.*

(*) Adversus chiliastas scripsit olim Gennadius, presbyter Massilienſis, ut testatur Iohannes Trithemius in suo libro de ecclesiasticis scriptoribus, *quo utinam frui liceret, magnum quidem, ut opinor, nobis adiutorium praefuisset.* Alphonsus de castro lib. III. adv. hæres. verbo beatitudo. hæres. 2.

tuorum resurrectiones gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne reservandos, quae post mille annos regni in terra iustorum instigante diabolo movendae sunt ad pugnam contra iustos regnantes, & Domino pro iustis pugnante imbre igneo compescendos atque ita mortuos cum caeteris in impietate mortuis ad aeterna supplicia incorruptibili carne resuscitandos. Possunt autem huc referri dicta patrum, 1) in quibus negant Christi regnum esse terrenum & mundanum; 2) in quibus resurrectionem, extremum iudicium, & piorum glorificationem cum secundo Christi adventu immediate coniungunt; 3) in quibus statum piorum post resurrectionem ut coelestem ac spiritualem describunt; 4) in quibus negant quietem & immunitatem ab adversis in hoc seculo piis obtingere. Dionysius Areopagita lib. de div. nominib. c. 1. *Tunc quando immortales incorruptibilesque facti erimus, & ad imaginem Christi, beatissima dignati requie semper cum Domino erimus visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porro spiritualis ipsius & intelligibilis lucis (mente perturbatione omni & materia libera) participes facti eius, qui sensum omnem superat, unionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis iactibus erimus super caelestes spiritus.* Origenes homil. V. in Psalm XXXVI. *Spes futurae repromissionis & gratiae & hereditatis talis futura, ut os iustorum non cibis & potu, neque deliciis & voluptatibus non vescendo epulis, sed meditando sapientiam repleatur.* Gregorius Nyssenus orat. I. de pauper. amand. *Quando spoliis illius adsidue fluentis carnis exuti immortalitatem induerimus, vitam ingrediemur beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis & admirandis, quaeque hic a nobis comprehendi non possunt, versantem gaudiis & voluptatibus.* Damascenus lib. II. orth. fidei cap. 1. *Post resurrectionem non constabit suum tempori dierum noctiumque numerus, verum unus potius vesperae expers dies erit, sole nempe iustitiae probis hominibus splendide ac laete illucente, peccatoribus contra una nox sempiterna.* Theophylactus in Ioh. XVIII. *Non est de mundo regnum Christi, sed supernum & ante secula, & non hinc, hoc est, ex terrenis constitutum, sed hic quidem imperat & regit, non autem est hinc, neque constitutum ex illis inferioribus.*

Argumenta chiliastarum 1) Ex scripturis. 1) Ex vet. test.

§. LXXXIX. *Argumenta*, quibus chiliastae utuntur, in sex distribui possunt classes: 1) Quaedam petita sunt ex *vaticiniis propheticis & apostolicis, vet. ac nov. test.* 2) quaedam ex libris apocryphis, 3) quaedam ex Sibyllinis oraculis, 4) quaedam ex *traditionibus ἀγραφοις*, 5) quaedam ex *poëtarum carminibus*, 6) quaedam ex *ratiocinatione.* 1) Ad prophetica vaticinia provocant Tertullianus & Lactantius sed diversimode. Lactantius in genere dicit lib. VII. instit. c. 25. *Haec sunt, quae a prophetis futura dicuntur, quorum testimonia & verba ponere opus non esse duxi, quoniam esset infinitum, nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus, simulque ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta & translata congererem.* Tertullianus vero lib. III. contra Marcion. c. 24. quaedam in specie adducit. *Civitatem illam*, inquit, *novit Ezechiel XL. eamdem praedixerunt prophetae fidei Christianae ante exhibitionem eius in signum fidei de ea praedicantes. Si Abrahae semen primum debet esse instar arenae*, Gen. XXII.

XXII. 17 XXXII. 12. *deinde instar stellarum* Gen. XV. 5. *erit seculum, prius millenarium, postea aeternitas caelestis. Benedictio Iacobi est de rore caeli & opimitate terrae*, Gen. XXVII. 28. *ergo primum invitamur ad caelestia, postea aeternam felicitatem in millenario consecuturi. Idem probatur benedictione Esavi.* Genes. XXVII. 39. *In pinguedine terrae & rore caeli desuper erit habitatio tua*; quod sic exponit Tertullianus: *Iudaeorum dispositio a terrenis bonis imbuta per legem postea ad caelestia credendo per evangelium deducitur. Ergo antecedit paradisus secularis, sequitur aeterna gloria.* Eodem adplicat somnium Iacobi de porta coeli Gen. XXVIII. 17. *Portam caeli non nominasset, si coelum non aditur apud creatorem, ut per mundum secundum peccati adeatur mundus millenarius, & inde adscendatur coelum.* Amos IX. 6. *Aedificat in coelo adscensum suum vel cenaculum suum, & tabernaculum super terram fundavit. Aedificat non sibi soli, sed & suis, qui cum illo erunt. Ergo in terra est felicitas millenaria, inde translatio in coelum aeternitatis.* Adducit etiam haec dicta prophetica Esai. XLIX. 18. *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa* LX. 8. *Qui sunt isti qui velut nubes volant & quasi columbae ad fenestras suas?* v. 9. *Adducam filios tuos e longinquo argentum eorum & aurum eorum.* v. 10. *Aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* v. 11. *Aperientur portae eorum iugiter.* Dan. VII. 13. *Ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat.* Zach. V. 9. *Levavi oculos & vidi, et e duae mulieres egredientes, & ecce quasi spiritus in alis earum.* Recentiores chiliastae complura cumulant dicta Esai. II. 2. *In novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium, & gentes ad eum fluent &c.* XI. 6. *Habitabit lupus cum agno & pardus cum haedo &c.* XXV. 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in hoc monte convivium pinguium &c.* XXX. 26. *Erit lux lunae sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* XXXV. 9. *Non erit ibi leo, & rapax bestia non adscendet per eam.* v. 10. *Redemti a Domino venient in Sion, & revertentur cum iubilatione.* LXV. 13. *Ecce servi mei comedent, ecce servi mei laetabuntur, & iubilabunt prae exsultatione cordis.* v. 19. *Exsultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo.* LXVI. 23. *Erit mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea.* Ier. XXX. 8. *Conteram iugum eius de collo tuo, & vinculum eius disrumpam, & non servient in eo alienis;* v. 9. *sed servient Domino Deo suo & David regi suo, quem suscitabo eis.* XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, omnes enim cognoscent me.* Ezech. XXXVI. 10. *Multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israël, & habitabuntur civitates, & ruinosa instaurabuntur, & replebo vos hominibus & iumentis &c.*

§. XC. Ad haec & similia dicta in *genere* respondemus: 1) Prophetica vaticinia, quae de beneficiis corporalibus, videlicet de *multiplicatione posteritatis, introductione in terram Canaan, liberatione ex captivitate Babylonica &c.* loquuntur, prudenter discernenda sunt ab illis, quae de beneficiis spiritualibus videlicet de *vocatione gentium per praedicationem evangelii* in nov. test. & *communicatione caelestis gloriae in vita aeterna* agunt. Prioris generis vaticinia iamdudum sunt completa, ideo eorum complementum frustra in nov. test. exspectatur. 2) Per comparationem posteritatis Abrahae cum *arena maris & stellis caeli* unum idemque denotatur, videlicet miranda dilatatio & multiplicatio seminis Abrahae, cuius pro

promissionis complementum describitur 1 Reg IV. 20. Esai. X 22. cumprimis vero multitudo spiritualis seminis Abrahæ, id est, credentium ex Iudæis & gentibus per evangelium ad regnum Messiæ vocatis, quo modo illam promissionem esse accipiendam, colligitur ex Esai. XLVIII. 19. Ose. I. 10. Rom. IV. 18. IX. 27. 3) Benedictio de *rore cæli & pinguedine terrae* in sensu literali fertilitatem, in sensu synecdochico ac spirituali omnis generis beneficia corporalia ac spiritualia, nequaquam vero millenarii cuiusdam imaginariam felicitatem complectitur. 4) Quaedam prophetarum vaticinia, cumprimis historica ac didactica tam *generalia*, quæ ad omnes homines, quam *specialia*, quæ ad certum aliquem populum pertinent, accipienda sunt ρητως και ιστορικως, ut quando Esaias dicit *virginem esse concepturam ac parituram Immanuelem*, quando præcursorem Messiæ vocat *vocem clamantis in deserto*, quando *passionem & mortem Messiae* prædicit; quædam vero μυστικως, τυπικως, συμβολικως και αλληγορικως, ad quam posteriorem classem pertinent, quæ de statu ecclesiæ militantis in nov. test. ac statu ecclesiæ triumphantis in cœlis metaphoricis verbis agunt. 5) In illis enim si quis τω ρητω nimis arcte adhærescere velit, statuere cogetur, *terrenam Hierosolymam iterum exaedificandam*, *Israëlitas ex omnibus gentibus ad eam congregandos*, *sacrificia corporalia & externa denuo offerenda*, *adeoque Leviticum vet. test. cultum esse reducendum*, cuius contrarium suo loco demonstravimus. 6) Repetenda igitur hoc loco regula: *Quemadmodum prophetae cultum nov. test. describunt verbis ad legalem vet. test. cultum proprie pertinentibus & ex eo desumtis; ita quoque regnum Christi spirituale depingunt vocabulis rerum terrenarum ex statu ecclesiae sub vet. test. usitato petitis*, quæ proinde typice ac metaphorice sunt explicanda. *Quemadmodum apostoli verbis huius seculi describunt res futuri seculi; ita prophetae verbis vet. test. describunt res nov. test.* 7) Cum regnum Christi, quod in ecclesia administrat, duplex sit, videlicet *gratiae & gloriae*, ideo prophetæ utriusque descriptionem sæpius coniungunt; proinde cum beneficia Christi passione ac merito parta piis in hac vita obtingant *inchoative*, in futura vita *consummative*, ideo quædam prophetarum de beneficiis & regno Christi beneficia intelligenda sunt de statu ecclesiæ in hac vita per inchoationem, de statu autem ecclesiæ in futura vita per complementum. 8) Moses est fons & oceanus prophetarum, ex quo omnium reliquorum de Messiæ beneficiis vaticinia velut rivuli quidam promanant. Quæcunque igitur apud prophetas de Christi regno & beneficiis occurrunt, ea ex protevangelica illa promissione, Gen. III. 15. *semen mulieris conteret caput serpentis*; explicanda sunt & æstimanda. Iam vero *conterere caput serpentis* infernalis est beneficium spirituale complectens liberationem a peccato, destructionem regni satanæ & mortis, reparationem iustitiæ amissæ &c. Ergo etiam reliqua, quæ de beneficiis Messiæ apud prophetas occurrunt vaticinia, spiritualiter sunt explicanda. Sic Messias dicitur *regnaturus in Sion*, scilicet spirituali, id est, in ecclesia, *conquassaturus capita inimicorum*, scilicet spiritualium, *confracturus currus & equos*, scilicet spiritualiter, *pugnaturus sagittis & armis*, scilicet spiritualibus, *gessurus sceptrum* scilicet spirituale, *reducturus Israëlitas ex captivitate*, scilicet spirituali. 9) Ipsimet prophetæ vaticiniis suis quædam inspergunt, ex quibus reliquorum explicatio desumenda. Sic in

Psalm

Psalm XLV. multa de Messiæ regno verbis ex mundani & terreni cuiusdam regni constitutione petitis disseruntur, sed tandem additur v. 14. *omnis gloria filiae regis ab intus.* Ezech. XL. proponitur ecclesiæ restitutio & regni Christi propagatio sub figura novi ædificii, templi & urbis sanctæ; sed v. 2. explicationis loco præmittitur: *In visionibus Dei adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad Austrum.* Ex quo colligitur, non agi de restauratione terrenæ civitatis Hierosolymæ, quippe quæ respectu montis Sion non ad austrum sed ad septentrionem fuit sita, ut patet ex Psalm XLVIII. 3. 10) Denique omnium optima vaticiniorum propheticorum interpretatio ex complemento in nov. test. descripto peti potest ac debet. Illud vero qualitatem regni Christi & verbis & factis liquido expressam ob oculos nobis ponit.

Esa. LXV. 22. secundum dies ligni vitae.

§. XCI. Specialem explicationem meretur vaticinium illud propheticum, quod peculiariter pro chiliastico regno urget Iustinus in dial. cum Tryph. p. 240. Esai. LXV. 22. *Secundum dies ligni vitae, dies populi mei erunt, opera laborum eorum multiplicabuntur. In his verbis*, inquit Iustinus, *mille annos in mysterio arcane designari intelligimus. Vt enim Adae dictum est, quo die de ligno ederet, eo die moriturum etiam esse, scimus illum mille annos non implevisse. Novimus quoque dictum illud, quod dies Domini sit sicut mille anni huc pertinere.* Resp. 1) v. 17. præcedit: *Ecce ego creo cælos novos & terram novam*, quod 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. ad statum ecclesiæ triumphantis & cœlestem beatorum patriam adplicatur. 2) Loquitur igitur propheta de *spirituali*, non autem millenario quodam Christi regno, cuius beatitudo ac felicitas per ministerium evangelii in hac vita inchoatur, in futura autem erit perfectissima & consummata. 3) Diserte additur v. 18. *Gaudebitis & exsultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo*; ergo felicitas illa, de qua propheta loquitur, non terminabitur mille annorum spatio, sed in omnem æternitatem sese exporriget. 4) v. 20. habetur, quod *puer centum annorum moriturus, & peccator centum annorum maledictus fit futurus*; hoc non potest ad regnum chiliasticum, quippe a quo mors & maledictio prorsus exsulant, adplicari, explicandum igitur de pueris sive stultis, id est, impiis, qui toto vitæ tempore non didicerunt ea, quæ ad salutem consequendam necessaria. Illi *morientur & maledicti erunt*, id est, morti æternæ tradentur, & audient horribilem illam vocem: *discedite maledicti*, quod in novissimo die futurum testatur Christus Matth. XXV. 41. iam vero dies novissimus ex hypothesi adversantium chiliastico regno finem imponet. 5) Quod vers. 21. subiungitur, *aedificabunt domos, & habitabunt in eis, plantabunt vineas, & comedent fructus earum, non aedificabunt domos, & alius inhabitabit, non plantabunt vineas, & alius comedet fructus*; illud non potest κατα ῥητον accipi, quia in futuro seculo nec domus ædificabuntur, nec vineæ plantabuntur: explicandum igitur μυστικως και συμβολικως hoc sensu, quod omnium rerum, quæ pios oblectare possint, copia & affluentia ipsis præsto sit futura, quod maledictio Dei prorsus sit auferenda, quia divinæ maledictionis, quam Deus peccatoribus interminatur Deut. XXVIII. pars quædam est, quod in hac vita quidam ædificant domos, nec tamen eas in-

habitant, quod vineas plantant, nec tamen fructibus earum vescentur. 6) Quod dies populi sancti dicuntur futuri *ut dies ligni*, illud nunquam finiendam istius felicitatis possessionem παραβολικως indicat. Per lignum enim συνεκδοχικως intelligitur lignum præstantissimum *cedrinum*, quod cariem minime sentit, sed perpetuo durat. Iustinus LXX. interpretum verbum *vitae*, ut videatur respectus haberi ad *arborem vitae* in paradiso, sed in Hebræo textu illud non habetur. 7) Fundamentum, quo Iustini ratiocinatio nititur, est admodum lubricum. Adæ prædictum erat eo die moriturum, quo de fructibus arboris vetitæ manducavit, unde millenarium annorum in hac vita non complevit. Ergo quia piis promittuntur hoc loco dies *secundum dies ligni vitae*, in mundano quodam regno per mille annos vivent. Atqui in Hebræo habetur numerus pluralis כימי *secundum dies ligni*, qui non satis congruit coniecturæ, quod uni diei respondeant mille anni. Quid si per inversionem procederemus hoc modo: Adamus, quia contra Dei mandatum ex arbore vetita comedit, æternæ morti per hanc transgressionem factus est obnoxius. Ergo pii beneficio Messiæ secundi Adami æternæ vitæ, non autem millenarii cuiusdam regni, participes redduntur.?

§. XCII. Ex nov. test. potissimum hæc vaticinia proferunt. 1) Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25. *Non bibam a modo de hoc genimine vitis, usque ad diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Luc. XXII. 16. *Non manducabo ex eo, donec impleatur in regno Dei.* v. 18. *Non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat.* Resp. Christus expresse addit se illud bibiturum *novum*, id est, novo ac peculiari modo; ergo non potest de vulgari cibo ac potu, vel de communi manducatione ac bibitione accipi. Quia verum *regnum Dei* diversimode in scripturis accipitur tum pro *regno gratiae* in hac vita, tum pro *regno gloriae* in vita altera, inde diversæ huius loci apud veteres & recentiores commentatores occurrunt interpretationes. Euthymius in Matth. accipit de *regno futuri seculi*, ut sic metaphorica manducatio ac bibitio intelligatur, de qua apud Lucam v. 29. statim sequitur: *Dispono vobis, sicut Pater mihi disposuit regnum*, v. 30. *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Bibere enim vinum metaphorice accipitur pro convivari & esse hilarem, convivari pro frui cœlestibus gaudiis. Adsidere mensæ Christi est participem fieri lætitiæ & gloriæ cum Christo in regno cœlesti. Quidam per *regnum Dei* intelligunt tempus resurrectionem Christi insecutum, in quo Christus cum discipulis suis manducavit ac bibit, Act. X. 41. Quidam per *regnum Dei* accipiunt ecclesiam hoc sensu: Non manducabo pascha typicum, donec impleatur a me in regno Dei, id est, in ecclesia; impletum autem est pascha typicum, quando Christus eucharistiam instituit, ut loco sacramenti agni paschalis in ecclesia nov. test. celebraretur: qua ratione particula *donec* erit exclusiva, significat enim Christum nunquam posthac pascha Iudaicum velle celebrare, sed eius antitypum eucharistiam instituere, quæ in nov. test. ecclesia illius vicem suppleat. Quænam interpretatio reliquis anteferenda sit, in harmonia uberius dispicietur. 2) Ioh. X. 16. *Alias oves habeo, quas me adducere oportet, & erit ovile*

Ex nov. test. 1) Matth. XXVI. 29. Non bibam de genimine vitis.

2) Iob. X. 16. erit unum ovile,

vile unum & pastor unus. Resp. non de millenarii cuiusdam regni promissione, sed de gentium ad ecclesiæ consortium per evangelii prædicationem vocatione Christus loquitur. Cum enim dixisset Matth. XV. 24. *se non esse missum nisi ad oves perditas domus Israël*, id est, ministerium prædicationis in propria persona a se peragendum Israëlitico populo potissimum deberi, Rom. XV. 8. ideo ne gentes a consortio regni & beneficiorum eius penitus exclusæ iudicentur; addit hoc loco, *se adhuc alias habere oves, quae non sint ex hoc ovili*, puta gregis Israëlitici, illas vero per prædicationem apostolorum & internam Spiritus sancti efficaciam eidem coniunctam se velle ad ecclesiæ ovile adducere, ut hac ratione ex Iudæis & gentibus in nov. test. una fiat ecclesia. Basilius homil. in Psalm XXVIII. *Dominus de Iudaeorum atrio & ovili locutus dixit*: Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; *ostendens nimirum, & aliud quoddam ovile vere sanctum esse, in quod congregandae sint oves Christi, ii videlicet, qui ex gentibus ad salutem sunt praedestinati, hoc est, ecclesiam hanc, in qua veri adoratores adorant in spiritu & veritate.* Gregorius homil. XIV. in evangel. *Redemtionem nostram, qui ex gentili populo venimus, Dominus adspexerat, cum se adducere & alias oves dicebat. Hoc quotidie fieri, fratres adspicitis, hoc reconciliatis gentibus factum hodie videtis. Hodie quasi ex duobus gregibus unum ovile efficit, quia Iudaicum & gentilem populum in sua fide coniungit, Paulo attestante, qui ait, ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Dum enim ad aeternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ovile proprium oves deducit.* 3) Eph. V. 5. *Nullus fornicator aut immundus aut avarus habet hereditatem in regno Christi & Dei. Ergo aliud est regnum Christi, scilicet millenarium, cuius finis erit in die novissimo*, 1 Cor. XV. 24. *aliud vero regnum Dei, scilicet aeternum in vita futura.* Resp. quidam putant, membrum posterius esse εξηγητικον prioris. In regno *Christi & Dei*, id est, quod etiam est regnum Dei, quia Deus hoc regnum ipsi dedit, & per Christum in regnum Dei traducimur, cum qua expositione fere consentit, quod quidam statuunt, esse idiotismum Hebraicum, quo *coniunctio copulativa* ponitur loco *pronominis relativi*. In regno Christi & Dei, id est, qui est Deus. Similia exempla vide 1 Sam. XX. 2. Psalm CXVIII. 27. Esai. XXXIX. 6. &c. Simplicissime respondetur, per *regnum Christi* intelligi *regnum gratiae* in hac vita, per regnum Dei *regnum gloriae* in futura vita, quia notorii peccatores non debent tolerari in ecclesia, sed excommunicari, nec habebunt ullum in cœlesti gloria locum. Differt autem regnum *Christi* a regno *Dei* non ουσιωδως sed οικονομικως, non *re* sed *rei modo*, quia regnum *Christi* significat formam regiminis, qua Deus ecclesiam suam in his terris per verbum & sacramenta colligit & adversus hostes tuetur; regnum autem *Dei* significat eam regiminis formam, qua devictis omnibus hostibus ecclesiam triumphantem in cœlis Deus regit, eique a facie ad faciam sese conspiciendum præbebit. De millenario autem quodam Christi regno altum in scripturis est silentium. Confer ea, quæ præced. tractat. §. 112. diximus. 4) 1 Thessal. IV. 17. *Nos, qui vivimus, rapiemur simul cum resuscitatis in nubibus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Dominus autem prius veniet ad resuscitationem per millenarium, deinde*

3) *Eph. V. 5. in regno Dei & Christi.*

4) *1 Thess. IV. 17. rapiemur obviam Domino.*

ad regnum gloriae. Ergo primo cum eo erimus in terra, deinde in cœlo. Ita Tertullianus. Resp. est petitio principii. Scriptura unicum duntaxat novit Christi e cœlo reditum, cum quo resuscitatio non piorum tantum, sed omnium omnino hominum, iudicii extremi administratio, piorum in nubibus in occursum Christi subvectio ac æterna eorum in cœlis glorificatio nexu immediato erunt coniuncta, ut vidimus superius.

§. XCIII. Cumprimis vero 5) ex apocalypsi urgent, quod XX. 2. *satanas dicitur ligandus per mille annos*, ac v. 6. *sancti dicuntur cum Christo regnaturi mille annis*, in quo vaticinio propriam sedem chiliastici regni statuunt. Resp. 1) in *genere*: a) Græca sive orientalis ecclesia de auctoritate huius libri olim dubitavit, uti constat ex Eusebio lib. III. hist. eccles. cap. 21. 22. & 36. lib. VII. cap. 24. Hieronymo epist. ad Dard. Amphilochio in iambis ad Seleucum, Iunilio in quæstionibus cap. 4. Quamvis vero tum propter κριτηρια interna, tum propter antiquissimorum patrum Græcorum & Latinorum testimonia in prælect. de script. canon. enumerata librum hunc & canonicum & ab apostolo Iohanne scriptum esse, libenter agnoscamus; tamen cum in ecclesia primitiva de auctore huius libri aliquando dubitatum fuerit, ideo ad secundi ordinis canonicos libros eum referimus, qua de re d. l. plenius actum fuit. b) Proinde etiam a chiliastis iure ac merito postulamus, ut talem huius libri ac cumprimis controversi istius loci interpretationem proferant, quæ cum reliquis canonicis scriptis minime pugnet, sed exactissime consentiat. c) Prophetiæ ante complementum non habent liquidam & certam expositionem, nisi ipsius Spiritus sancti illuminatio accedat, Ier. XXIII. 20. XXVIII. 9. Dan. XII. 4. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 43. p. 277. Nemo igitur vitio nobis vertere poterit, quod antequam accedat complementum, incertis chiliastarum opinionibus fidem adhibere nolimus, præsertim quia non cum probandi libertate, sed cum credendi necessitate ecclesiæ easdem obtrudunt. d) Omnis prophetia sive interpretatio scripturæ debet esse *fidei analoga*, Rom. XII. 7. Atqui chiliastica illa apocalypseos interpretatio non est fidei analoga, ut patet ex fundamentis superius adductis. 2) In *specie*. Varias diversorum interpretum expositiones adduximus & expendimus in disput. III. contra novos fanaticos anno 1616 institutа; ex qua illud unicum hic repetimus, quod maxime probabilis videatur illorum sententia, qui initium istorum mille annorum in *Constantini magni* imperio constituunt, tunc enim satanas, qui primis trecentis a Christo nato annis imperatores ethnicos & præsides Romanos ad horribiles Christianorum persecutiones impulerat, ligatus est, quia sub Constantino pax ecclesiæ fuit data & persecutiones conquieverunt, nec potuerunt amplius gentes, de quibus præcipue apocalypsis agit, idolomaniam suam tanta violentia & immanitate propagare. Iuxta hanc hypothesin finis istorum mille annorum incidet in annum Christi 1300 circa quod tempus satanas iterum solutus Ottomannicam familiam excitavit, sub quo *Gog & Magog*, id est, imperium Turcicum, de quo v. 8. huius capitis agitur, maximum adquisivit robur, & gens illa Saracenica maiori quam antea conatu adversus ecclesiam sæviit occupata maxima & florentissima orbis parte & tandem capta urbe Constantinopoli, quæ fuit im-

5) *ex Apoc. XX. 6.*

imperii orientalis sedes, ut hac ratione inter imperium Constantini, qui ab ecclesia persecutiones prohibuit, & Ottomanni Turcici, qui ecclesiam gravissime adflixit, mille isti anni interiaceant. Et quia illam satanæ alligationem & ecclesiæ quietem sub Constantino magno demum secutam præcesserunt horribiles persecutiones ab ethnicis imperatoribus excitatæ, in quibus aliquot millia Christianorum sunt occisa; ideo Iohannes in visione sua introducit *animas istorum martyrum decollatorum sive occisorum*, (per speciem enim συνεκδοχικως & phrasi Hebræa significatur genus) *propter testimonium Iesu & propter verbum Dei*, id est, propter constantem Christianæ doctrinæ confessionem, quarum felicitatem & gloriam consolationis ergo exponit. Illis coniungit animas *eorum, qui non adoraverunt bestiam & imaginem eius, neque acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis*, hoc est, qui a papizantibus & mahumeturientibus hæresibus animas suas custodiverunt, Christo & ipsius verbo in fidei puritate ac simplicitate adhærentes, quia satana iam ligato, id est, cessantibus externis illis persecutionibus, quas ecclesia a gentibus sustinuit, variæ hæreses utriusque antichristi tam orientalis, quam occidentalis semina prodromi in ecclesiam sunt exortæ. Ut enim *pelagianismus* erroribus papalibus, sic *arianismus* furoribus mahumeticis incunabula præbuit. De his piorum martyrum & confessorum animabus, quibus etiam coniungi possunt animæ eorum, qui soluto iam satana in persecutionibus papisticis ac Turcicis interficiuntur, pronunciat Iohannes, primo quod *sedes iudiciariae ipsis fuerint datae*, in signum scilicet iudicii exercendi, secundo quod *vixerint*, ac tertio quod *cum Christo mille annis regnaverint*. Iudicium exercuerunt adversus persecutores suos, a quibus fuerunt interfecti. Ut enim sanguis piorum de terra ad cœlum *clamat* & vindictam adversus effusores exposcit, Gen. IV. 10. Hebr. XII. 24. sic etiam animæ ipsorum in cœlo *subter altari clamant*, & vindictam sanguinis sui ac fratrum suorum exposcunt, Apoc. VI. 9. Vixerunt in cœlesti scilicet pace, tranquillitate & gloria. Tyranni iudicabant eos & anima & corpore extingui Sap. III. 2. sed Spiritus sanctus hoc loco & alibi passim in scripturis testatur, quod statim a morte in cœlesti gloria vivant. Denique *cum Christo regnarunt*, plene scilicet devictis omnibus hostibus, diabolo, carne, mundo & omnibus adversis. Neque ex particula *donec* inferre licet, finitis istis mille annis felicitatem illam sanctorum etiam fuisse finitam, quia ut habet regula Nazianzeni orat. II. de filio p. 143. quam multis scripturæ exemplis confirmat Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 18. p. 5. *particulae* usque, donec *& similes non omnino ponuntur ad distinctionem futuri temporis, sed ponunt illae quidem quousque, verum quod ab eo sequitur, non inficiantur.* Exempla habentur Gen. XXVIII. 15. 1 Sam. XV. 35. 2 Sam. VI. Psalm CX. 1. Esai. XXII. 14. XLII. 4. Matth. XXVIII. 20. &c. Ideo vero nominatim exprimuntur *mille anni*, quia expletis illis memorabile quid ecclesiæ accidit, quod scilicet satana iterum soluto persecutionibus gravissimis denuo oppugnata fuerit. Confer disput. Feurbornii, amici nostri singularis, contra Philipp. Cæsarem, quæ habetur tom. VII. Disput. Giess. & dictam disputationem nostram contra fanaticos, in qua etiam reliqua oracula apocalyptica, quæ pro chiliastico regno stabiliendo adferuntur, exposuimus, quam utramque magna ex pars

te Affelmannus, amicus noster honorandus, in heptados quæstionum anno 1618. in academia Rostoch. ad disputandum propositæ, quæstionem 6. redegit.

§. XCIV. II) Ex *lib. IV. Esdrae* pro beato illo terreni cuiusdam regni millenario a recentioribus multa adferuntur; sed resp. quamvis Ambrosius in lib. de bono mortis quartum illum librum ab ipso Esdra *non sine divina revelatione editum, ac Paulum apostolum in his, quae prope finem prioris epistolae ad Corinthios de diversis claritatis & gloriae electorum ordinibus scripserat, Esdrae sententiam secutum esse* adserat, & lib. II. comment. in Luc. ex septimo illius libri capite prophetiam de *tempore adventus Christi ac mortis eius*, deque *futura mundi ad Christum conversione* adleget; quin & in epistola ad Horontianum, quae est in ordine XXI. suadeat, *librum quartum Esdrae legendum esse, quia in ipso anima caelestis esse substantiae demonstretur, & philosophorum nugae de ipsius substantia confutentur;* quamvis etiam Cyprianus multis ante Ambrosium annis ex huius libri cap. 5. desumsisse videatur, quod in libr. adversus Demetrianum scribit, *mundum senescere, & ad finem iam imminentem properare*, quo dubio procul respexit Genebrardus, quando lib. II. chronol. anno mundi 1638. p. 90. eum inter *sacros & canonicos libros* recenset, ac Pistorius apostata, quando in motivis apostas. Badensis p. 34. b. Lutherum accusat, quod hunc librum ex bibliis avulserit, tamen indubitanter statuimus, librum illum esse *apocryphum*. 1) Quia nec Hebraice nec Græce scriptus invenitur. 2) In multis locis *redolet fabulas Iudaicas*, teste Hieronymo in illius præfatione. 3) Continet quædam dogmata fidei analogiæ minus congrua. Cap. 4. dicit, *animas sanctorum detineri quibusdam abditis promtuariis in inferno, donec impleatur numerus omnium electorum, veniatque supremi iudicii dies, in qua omnes simul inde educentur.* Cap. 5. eamdem sententiam repetens adsimilat ultimi iudicii ac retributionis diem *coronae, in qua sicut neque primum est, neque postremum, sed simul omnia, ita in retributione aeternae felicitatis piarum animarum velocitas novissimarum tarditatem praeveniet, sed omnes simul & eodem tempore exspectatam beatitudinem consequentur.* Cap. 6 refert, Deum *quinta die inter caetera animantia creasse duo maxima animalia, alterum Henoch, alterum Leviathan dicta, quorum immensas corporum moles, cum nec septima terrae pars simul adsociatas capere posset, Deum utrumque loco disiunxisse, & Henochum collocasse in una ex septem partibus terrae, in qua sunt montes mille, Leviathan vero posuisse in altera ex septem partibus terrae, in qua sunt omnes aquae, quas Deus tertia die iussit congregari in locum unum, ubique ipsum aversare, ut ex eo paret cibum, quibus voluerit & quando voluerit*, quae fabula magnam cum nugis thalmudicis paulo superius recensitis cognationem habet. Cap. 14. docens, quo tempore mundus finem sit habiturus, tradit, *adesse ultimam seculi senectutem ac finem mundanae durationis, cuius universum tempus divisum sit in duodecim partes, ex quibus cum iam praeterierint partes decem ac undecimae partis dimidium, nihil ultra superesse, nisi quod restat post dimidium undecimae, hoc est, residuum undecimae partis cum parte duodecima omnium postrema.* At iuxta hanc hypothesin mundi finis iamdudum adesse debuisset. 4) Quidam existimant, hunc librum esse *alterius Esdrae* ab illo, qui primi libri est auctor, quoniam hic in prin-

II) *Ex libris apocryphis.*

principio huius libri ſcribit, *ſe deſcendiſſe ab*] *Aaron per decem & novem generationes*; ille vero in cap. 7. libri ſui ſcribit, *ſe progenitum ex Aaron per quindecim tantum generationes.* 5) Deſtituitur eccleſiæ tum *Iſraëliticae* tum *Chriſtianae* teſtimonio. De Iſraëlitica eccleſia idipſum manifeſte conſtat ex Ioſepho lib. I. contra Appionem. De Chriſtiana eccleſia idem probatur ex concilio Laodiceno can. LIX. Epiphanio lib. de menſ. & ponderib. p. 534. Melitone apud Euſebium lib. IV. cap. 25. & aliis patribus, quorum teſtimonia numero plurima, pondere graviſſima pro adſtruenda noſtra noſtra de canonicis & apocryphis libris ſententia in prælect. de ſcriptura adduximus. Hieronymus in præfat. inter *apocrypha tam obſcuri auctoris, quam incertae auctoritatis ſcripta* hunc librum rejicit, & quæ in eo narrantur, *ſomnia ac fabulas* vocat. Lyranus eum *in canone non eſſe* admonet, & in expoſitione prorſus prætermittit. 6) Saniores pontificii, qui tamen ad libros apocryphos in canonem recipiendos alias admodum ſunt proclives, ex canone eumdem excludunt. Ludovicus Vives in comm. lib. XVIII. de civitat. Dei cap. 36. *Tertius & quartus libri Eſdrae inter apocrypha reiiciuntur, quos Hieronymus vocat ſomnia.* Sixtus Senenſis lib. I. biblioth. ſanct. ſect. 3. p. 28. *Ex Cypriani & Ambroſii auctoritate accidiſſe arbitror, ut divinis ſcripturis hic liber coniungeretur, quem poſtea diligentius perſpectum communis fere omnium patrum conſenſus inter apocryphos habendum cenſuit, idque ut puto propter quaedam ſuſpecta dogmata in ipſo tradita, quae regulis orthodoxa fidei aperte contradicere videntur.* Martinus Delrio lib. I. diſquiſit. magicar. cap. 5. quæſt. 1. ſect. 1. p. 60. *Liber Eſdrae quartus apocryphus eſt.* Bellarminus lib. I. de Chriſto cap. 20. *Quartus Eſdrae liber ſine dubio non eſt canonicus, cum a nullo concilio referatur in canonem, & non inveniatur neque Hebraice neque Graece, ac demum contineat cap. VI. quaedam fabuloſa de piſce Henoch & Leviatan, quos maria capere non poterant, quae rabbinorum thalmudiſtarum ſomnia ſunt &c.* Eadem eſt ſententia Gregorii de Valentia, Coſteri & aliorum.

§. XCV. III) Ex *Sibyllinis oraculis* chiliaſticum regnum probat Lactantius lib. VII. inſtit. cap. 24. ubi hoc Sibyllæ verſiculos adducit:

III) Ex oraculis Sibyllinis.

Κλυτε δε μυ μεροπες, βασιλευς αιωνιος αρχει.

Item:

Και πολιν ην εποιησε θεος, αυτην επαυσε
Λαμπροτεραν αστρων και ηλιυ ηδε σελυνης.

Item:

Ουδε λυκοι συν αρνεσ εν ηρεσιν αμιλλενται,
Χορτον γαρ λιγκες τ' εριφοισιν αμαδοσκονται,
Αρκτοι συν μοσχοισιν ομυ και πασι βροτοισι.
Σαρκοβορος τελεων φαρετ' αλυρον παρα φατναις,
Συν βρεφεσιν τε δρακοντες αματορσι κοιμησονται.

Item:

Και τοτε δη χαραν μεγαλην θεος ανδρασι δωσει.
Και γαρ γη και δενδρα και ασσετα θρεμματα γαιης
Δωσουσιν καρπον τον αληθινον ανθρωποισι
Οινυ και μελιτος γλυκεως λευκυ τε γαλακτος,

Και

Και σιτȣ, οπερ εςι βροτοις καλλιςον απαντων.

Item:

Ευσεβεων δε μονων αγια χθων παντα ταδ' οισει
Ναμα μελιτος απο πετρης ηδ' απο πηγης
Και γαλατ' αμβροσιης ρευσει παντεσσι δικαιοις.

Resp. 1) De Sibyllinorum carminum origine & auctoritate diversæ sunt eruditorum sententiæ. Iustinus in parænet. I. ad Græcos p. 27. oracula Sibyllarum *proxime ad prophetarum doctrinam accedere* adserit. Clemens Alexandrinus, Eusebius, Lactantius &c. gentilibus eadem constanter opponunt. Bellarminus lib. I. de Christo c. 11. *Sibyllas multo clarius quam ullos prophetarum de Christo praedixisse* magna audacia adserit. Vide librum Onuphrii de Sibyllis, commentarios Ludovici Vivis ad libr. XVIII. Aug. de civ. Dei cap. 23. Wolffium cent. I. lection. memorab. non longe a principio, Frider. Tilemannum in discursu philolog. D. Erasmi Schmids libellum de Sibyllis &c. ubi multa αξιομνημονευτα de Sibyllinorum oraculorum auctoritate inveniuntur. Quidam vero parum fidei illis tribuunt. Constat enim ex epistola imperatoris Aureliani ad senatum Romanum apud Vopiscum, *libros Sibyllinos propheticis monumentis non minus opponi consuevisse quam Pantheon ethnicorum templum ecclesiae Christianae. Miror vos patres sancti* (inquit Aurelianus) *iam dum de aperiendis libris dubitasse, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis;* ex quo facile adparet, in ecclesiis Christianorum Sibyllarum nomen non fuisse magni habitum, neque id iniuria, cum gentilium daemonolatriam ex libris Sibyllinis confirmari solitam fuisse, in propatulo sit. Quod Eusebius in vit. Constant. dicit, τȣς πολλȣς των ανθρωπων απιςειν, *plerosque testimonia illa repudiare*, id non minus de Christianis quam ethnicis quidam accipiunt. Ambrosius in comment. 1 Cor. II. *Pythonem diabolum per Sibyllas locutum esse* adserit. *Hic* (Python) *est, inquit, qui per verisimilia fallitur & fallit, hic est, qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere.* Cui conforme est illud Augustini lib. XVIII. de civit. Dei cap. 46. *Cum scripturis nostris non credunt, complentur in illis suae, quas cæci legunt, nisi forte quis dixerit illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quae Sibyllae nomine vel aliorum proferuntur, si quae sunt, quae non pertinent ad populum Iudaeorum.* Et cap. 47. in principio: *Quisquis alienigena, id est, non ex Israël progenitus, nec ab illo populo in canonem sacrarum literarum receptus legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari potest, non quod necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongrue creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes eiusdem gratiae fuerint, sive expertes, sive per malos angelos docti sunt, quos praesentem Christum, quem Iudaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos.* Casaubonus exerc. I. ad Baron. adparatum n. 18. p. 72. disputat, *oracula illa, quo apertiora sunt, eo videri suspectiora. Scimus enim, quam exiles veritatis scintillae priscis temporibus populo Iudaico illuxerint; ecquis vero credat, tam profunda mysteria gentibus fuisse clarius patefacta, quam illi populo, quem Deus optimus maximus ut peculiariter suum dilexit, ac suametipsius & fidelium suorum servorum voce erudiit &c.*

Apo-

Apostolus tempora ante Christum adpellat χρονους αγνοιας Act. XVII. 30. *ac saepe repetit, doctrinam de salute generis humani ante Christi incarnationem fuisse mysterium a seculis & generationibus absconditum, nunc mysterium a seculis & generationibus absconditum, nunc autem manifestum sanctis eius*, Rom. XVI. 25. Eph. III. 9. Col. I. 26. *quibus effatis quomodo sua constare poterit veritas, si praecipua doctrinae Christianae mysteria gentibus fuere proposita? Praeterea apud Platonem, Aristotelem, Theophrastum & tot alios e paganis curiosissimos omnium disciplinarum scrutatores, eorum, quae hodie apud Sibyllas miramur, nullum penitus exstat vestigium. Denique primis ecclesiae temporibus plurimi exstiterunt, qui caelestem veritatem figmentis suis adiutum ire non dubitarunt, quo facilius scilicet nova doctrina a gentium sapientibus admitteretur, quo ex fonte dubio procul orti libri sexcenti, quos illa aetas & proxima viderunt ab hominibus minime malis sub nomine etiam Domini Iesu & apostolorum, aliorumque sanctorum publicatos, quorum plurimas Gelasius in c. Sancta Romana. Dist. 15. enumerat.* Hisce Casauboni argumentis addi posset, quod Sibillynorum oraculorum auctoritate acceptata, aliquid propheticum extra scripturas propheticas esset agnoscendum, quod magna fuerit piorum veterum in laudandis pseudepigraphis evangeliis, aliisque commatis non boni scriptis ταχυπειθεια, quod nondum liquido constet, quae & quotnam Sibyllae fuerint, quaeve carmina pro γνησιως Sibyllinis aestimanda, quod pleraque in illis ambigua & obscura, ut modo in hunc, modo in illum accipi possint sensum &c. 2) Sed sepositа hoc loco de Sibyllinorum oraculorum auctoritate uberiori dissertatione breviter dicimus, ad normam propheticae & apostolicae scripturae exigenda esse omnia, quae extra eam de Christianae doctrinae capitibus occurrunt. 3) Proinde sicut prophetarum vaticinia, quae de ecclesiae, in hoc vel futuro seculo felicitate tractant, symbolice ac parabolice explicanda esse superius ostendimus, ita idipsum quoque de Sibyllarum oraculis statuendum dicimus.

§. XCVI. IV) Ad *traditiones apostolicas* provocavit Papias primus chiliasticae opinionis in ecclesia auctor, ut constat ex Eusebio lib. III. hist. eccles. c. 36. V) Ad *Poëtarum carmina* recurrunt Tertullianus libr. III. contra Marcion. c. 24. & Lactantius lib. VII. institut. cap. 24. Sed resp. 1) Ostendimus in praelect. de script. traditiones, quae pro apostolicis extra & praeter scripturam in fidei articulis venditantur, a vera ecclesia non esse recipiendas, cum adversentur *perfectioni scripturae* & expressae Christi & apostolorum prohibitioni, Matth. XV. 6. Marc. VII. 7. Gal. I. 8. Col. II. 8, cum sint *figmentum Pharisaicum & haereticum*, cum sint *fallaces & incertae*, tum ratione *originis*, tum ratione *numeri*, tum ratione *diversitatis*, tum ratione *effectus*, denique cum non sint *a Christo & apostolis profectae*. 2) Longe vero minus ex poëtarum fabulis Christianae religionis dogmata probari possunt, cum divinam veritatem humanis conspurcare nugis perquam sit absurdum & praeposterum. Ubi de fide & doctrina caelitus revelata agitur, nunquam & nuspiam poëtarum testimoniis apostolus utitur, sed de moribus contra ethnicos disputans ex poëtarum fonte pauxillum proponit degustandum.

IV) Ex traditionibus apostolicis. V) Ex carminibus poëtarum.

§. XCVII. VI) *Ratiocinationes* quasdam formatat Tertullianus lib. III. adv. Marcion. c. 24. sed ponderis admodum exigui: 1) *Iustum est & Deo dignum illuc quoque exsultare famulos eius, ubi sunt & adflicti in nomine ipsius.* Resp. imo vero potiora piorum præmia differuntur in vitam æternam. Matth. V. 12. *Merces vestra copiosa erit in cœlo.* 2 Cor. IV. 18. *Quae videntur, temporalia sunt, quae non videntur, aeterna.* Habet quidem pietas *promissionem praesentis & futurae vitae*, 1 Tim. IV. 8. interim promissiones huius vitæ intelligendæ sunt cum *exceptione crucis*, de omnimoda enim quiete & immunitate ab omnibus adversis, periculis & tentationibus in hac vita piis exspectanda nihil in scripturis prædictum. 2) *Christus sublimiora promisit. Ergo etiam humiliora millenarii scilicet felicitatem praestabit.* Resp. eadem ratiocinatione inferre possem, omnes vere pios & Christianos in hac vita fore divites, potentes, honoratos &c. quia cœlestia bona piis promissa longe præstantiora sunt terrenis divitiis, mundana potentia & externis huius vitæ honoribus. Quæ & qualia præmia piis aliquando sint reddenda, non ex nostræ rationis prædicamentis, sed ex sacrarum literarum tabulis unice discendum. 3) *Regni praeconium soli Christo reservatum, ut per famulos quidem terrena gloria, caelestis vero per ipsum Deum adnunciaretur.* Resp. sicut una atque eadem Christi ac prophetarum & apostolorum doctrina, ita quoque una eademque promissio. Cœlestis Paterfamilias per *suum servum* ad cœnam, Lucæ XIV. 17. per *servos suos* ad nuptias Filii, Matth. XXII. 3. hoc est, ad communicationem bonorum spiritualium ac cœlestium homines invitat, mittit ad vineæ colonos primo quidem *servos*, mox etiam *filium suum*, Matth. XXI 34. & 37. proinde non alia per servos, alia per Filium nobis offert. Sed in re manifesta pluribus opus non est.

VI) Ex rationibus.

§. XCVIII. Exposuimus hactenus primum consummationis seculi *adiunctum*, videlicet *tempus*, quo mundi interitus sit secuturus, succedit *alterum*, quod est *modus*. Eum vero nobis describunt apostoli in sequentibus vaticiniis: 1 Cor. XV. 52. *In novissima tuba resurgent mortui.* 1 Thess. IV. 16. *Ipse Dominus in celeusmate, in voce archangeli & in tuba Dei descendet.* 2 Pet. III. 10. *Adveniet dies Domini ut fur, in quo caeli magno fragore transibunt, elementa vero calore solventur, terra autem, & quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 12. *Per adventum diei Domini caeli igne succensi solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Audietur ergo tuba Dei & vox archangeli, conspicietur flamma ignis omnia absumentis, audietur horribilis fragor, cum quo cœli igne succensi collabentur. Quemadmodum enim ad sonitum tubarum *muri Hierichuntis* concidebant, Jos. VI. 20. sic tuba ultima clangente, tota cœli terræque machina corruet. Apoc. VI. 14. *Caelum recessit sicut liber involutus, & omnis mons & insulae de locis suis motae sunt.* XXI. 11. *Vidi thronum magnum candidum & sedentem super eum, a cuius facie fugit terra & caelum, & locus non est inventus eis.* III) *Antecedentia* huius conflagrationis & interitus sunt *signa*, tum *remota* tum *propinqua* diem novissimum denunciantia, reditus Christi e cœlo in nubibus ad iudicium, resuscitatio mortuorum, extremi iudicii administratio, piorum in coelum Christi in nubibus obviatio &c. *Consequentia*

II) Modus.

III) Antecedentia & consequentia.

tia sunt novi cœli ac novæ terræ creatio, æterna piorum præmia, æterna item impiorum supplicia, adeoque omnia illa, quæ inter extremi iudicii consequentia numeravimus in tract. prox. §. 112.

CAPVT VIII.

DE COGNATIS CONSVMMATIONIS SECVLI.

Cognata consummationis seculi.

§. XCIX. *Cognata* huius ultimæ συντελειας ac παιολεθριας sunt 1) *diluvium*, quo totus terrarum orbis misere fuit devastatus, & in quo præludium ultimæ destructionis nobis proponitur, teste Christo, Matth. XXIV. 37. Luc. XVII. 27. & Petro 2 epist. II. 5. & III. 6. 2) *Excidium Sodomiticum*, in quo igne cœlitus depluto Sodoma cum vicinis quatuor urbibus fuit exusta. Augustinus lib. XVI. de civ. Dei c. 30. *Veniente igneo imbre de cœlo, tota illa regio impiae civitatis in terram versa est.* Idem lib. XXI. de civ. Dei cap. 5. *Poma in terra Sodomorum gignuntur & ad maturitatem perveniunt, sed morsu pressuve tentata in fumum ac favillam corio fatiscente vanescunt.* Cap. 7. *De fructibus Sodomitarum arborum non tantum literae fide dignae indicant, verum etiam tam multi se loquuntur expertos, ut hinc dubitare non possim.* Cap. 8. *Poma Sodomae interiorem favillam mendaci superficie maturitatis includunt.* Ludovicus Vives in comm. dicti lib. cap. 5. hoc confirmat ex aliis historiographis, ac inter reliquos adducit *Solinum*, qui in polyhistore sic scribit: *duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quae pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest, nam fuliginem intrinsecus favillateam ambitio tantum eximiae (extimæ) cutis cohibet, quae vel levi tactu pressa fumum exhalat & fatiscit in vanum pulverem.* Sic ergo perpetuum huius incendii atque excidii μνημοσυνον hominibus Deus ob oculos ponere voluit. Quod autem in eo conflagrationis finalis ac totalis, totius scilicet universi, præludium nobis proponatur, colligi potest ex verbis Christi Luc. XVII. 28. & sq. atque apostolorum, Petri 2 epist. II. 6. Iudæ v. 7. ubi Sodoma & Gomorrha expresse adpellantur δειγμα. 3) *Omnes particulares regionum devastationes* per incendia, eluviones aquarum, terræ motus ac hiatus &c. quarum exempla historiæ & experientia suppeditant longe plurima.

CAPVT IX.

DE PVGNANTIBVS.

Pugnantia.

§. C. *Pugnantia* sunt 1) *Epicuraeae cogitationes* de fine mundi nunquam secuturo, quas describit Petrus 2 epist. III. 3. 2) *Ethnicorum de mundi aeternitate opinio.* 3) *Haereses* in ecclesia de mundo in eodem statu perpetuo mansuro excitatæ. 4) *Quaevis corruptelae*, quibus ορθοδοξια

huius articuli *directe* vel *oblique* labefactatur, quas suo loco in antithesi cuiusque capitis recensuimus superius.

5) *Curiositas* eorum, qui certum diem vel annum consummationi seculi præfinire ausi fuere.

CAPVT X.

DE VSV DOCTRINÆ DE CONSVMMATIONE SECVLI.

Vsus huius doctrinae. 1) Theoreticus.

§. CI. *Vsus* huius loci est 1) θεωρητικος, 2) πρακτικος. *Theoreticus* est 1) διδασκαλικος, ut confessionis nostræ de interitu mundi suo tempore secuturo fundamenta ex scripturis teneamus, & fidem nostram adversus quosvis errores probe muniamus. 2) Ελεγκτικος, ut Epicuræas & ethnicas opiniones de mundi æternitate detestemur, iisque scutum immobile ex verbo Dei opponamus. *Practicus* est vel *generalis* vel *specialis*. 1) Generalis, ut huius novissimi perpetuo memores omnia visibilia fugacia, fluxa & transitoria esse cogitemus, ac ad pietatem sedulo nos conformemus. 2 Petr. III. 11. *Cum haec omnia* (cœlum, terra & elementa) *dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus ac pietatibus?* Matth. XXIV. 2. Marc. XIII. 2. Luc. XXI. 6. discipulos pulcerrimam & augustissimam templi Hierosolymitani structuram admirantes Christus ad excidii propediem instantis considerationem revocat. *Videtis*, inquit, *has magnas aedificationes, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Pari ratione quoties pulcerrimam & adfabre exstructam cœli terræque machinam intuemur, statim subeat animum nostrum cogitatio de fine mundi, in quo omnia dissolventur ac corruent. Meminerimus Christum perpetuo auribus & cordibus nostris illud instillare: *Videtis haec omnia, dico vobis, veniet dies, in quo non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*, imo in favillas & cineres redigatur. Si quid speciosi in mundo vides, *caudam*, hoc est, finem respice, tandem enim in nihilum abibit.

2) Practicus. 1) Generalis.

II) Specialis. 1) informatorius, correctorius. Revocat nos meditatio de consummatione seculi. 1) ab inordinata mundi dilectione.

§. CII. II) *Specialis* usus est vel παιδευτικος, *informatorius*, vel παραμυθητικος *consolatorius*. Παιδευτικος est vel επανορθοτικος, *correctorius*, vel *exhortatorius*. 1) Επανορθοτικος usus in eo consistit, quod pia de proxime instante consummatione seculi meditatio revocat nos 1) ab *inordinata mundi dilectione*. 1 Cor. VII. 29. *Tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes.* v. 30. *Et qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes.* v. 31. *Et qui mundo hoc utuntur, tanquam non abutantur; praeterit enim figura huius mundi. Breve est tempus* sive ad vitam nostram, sive ad seculi huius durationem respiciamus, qui ergo uxores habent, sint *tanquam non habentes*, non nimiopere rei uxoriæ adhæreant, sed animum, mentem & amorem in Deo unice defigant, in gratiam uxorum non discedant a divinorum mandatorum observatione, nec propter uxo-

res

res vocationem ad cœlestem cœnam contemnant, Luc. XIV. 20. vel ut ipse apostolus v. 33. exponit, *non nimis solicite cogitent de illis, quae sunt huius mundi, quomodo placeant uxoribus;* sed soliciti sint de his, *quae sunt Domini, quomodo placeant Domino. Qui flent, sint tanquam non flentes, qui gaudent tanquam non gaudentes*, id est, nec in adversis animo sint nimium demisso, nec in prosperis nimium elato, non patiantur se dolore & tristitia ob amissa vel erepta mundi bona opprimi, nec finem desiderii & substantiam gaudii in terrenis constituant. *Qui emunt, sint tanquam non possidentes*, quia prædia & agri non dantur ipsis in possessionem perpetuam, sed in communicationem usufructuariam; qui negotiantur, *possideant* res terrenas, sed caveant, ne ab ipsis *possideantur*, id est, ne cor rebus illis fluxis & momentaneis adponant. *Qui utuntur mundo tanquam non abutentes*, videlicet inordinato & nimio amore eidem adhærendo. Verus rei usus in eo consistit, ut illa utamur taliter, qualis est. Iam vero mundus non est stabilis, firmus, perpetuus, sed fluxus, transitorius & momentaneus. Ergo etiam eo non utamur tanquam re perpetua sed fluxa, obiter & in transcursu. Augustinus tract. XL. in Iohan. *Viere mundo, quemadmodum viator in stabulo* (sive diversorio Luc. X. 35.) *utitur mensa, calice, urceo, dimissurus non permansurus.* Idem lib. XV. de civ. Dei cap. 7. *Boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo, contra mali, ut fruantur mundo, uti volunt Deo.* Idem lib. V. contra Iulian. Pelag. *Quid est quasi non utantur, non non diligant, quo utuntur, quoniam tale est, ut bene aliter non utantur.* Præterit figura huius mundi: quotquot ergo inordinato & nimio amore mundo adhærent, una cum mundo prætereunte prætereunt, imo pereunt. Gregorius part. III. curæ pastoral. admonit. 28. *Praeterit figura huius mundi, dicit apostolus, ac si patenter dicat: Nolite constanter mundum diligere, quando & ipse non potest, quem diligitis, stare, incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis;* quæ verba repetit Anshelmus in comm. h. l. Confer quæ de hoc apostolico dicto superius §. 8. adlata. Nimirum proponit nobis apostolus duo consideranda, quorum intuitu cor nostrum ab amore mundi avertere possimus, *temporis*, quo in mundo versari nobis datum, *exiguitatem*, & *mundi* ipsius evanescentis *finem ac vanitatem; tempus breve est, & figura mundi huius praeterit*, ergo ita mundo utere, ac si mundus non esset, mox enim ex eo tibi emigrandum, mox videbis ipsum evanescere. Gal. VI. 14. *Per Christum mihi crucifixus est mundus, & ego mundo*, id est, quæ mundus reputat crucem, ego delicias reputo, & quæ mundus delicias reputat, ego crucem reputo. *Crucifixus sum mundo per Christum*, id est, cum Christo crucifixo & per ipsum mundo sum mortuus, ac mundi honores, voluptates, divitiæ, odia &c. non me magis adficiunt quam mortuum, ac viciſſim eadem tam non tangunt ac adficiunt me, ac si essent mortua & inefficacia, quia omnia brevi sunt moritura, id est, transitura ac peritura. Augustinus in expos. epist. ad Gal. *Mundus mihi crucifixus est, ut me non teneat, & ego mundo, ut eum non teneam, id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam.* Et in lib. de salutar. document. *Sicut homo mortuus in sepulcro nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non invidet bonis, non insultat malis, non luxuriae carnis servit, non odiorum flamma incandescit, non potentibus aut divitibus*

tibus huius seculi adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non turbae maximae sibi adstantis curam gerit, non auro argentoque sive pallio circumdatus distenditur, non salutationibus potentum delectatur, non se iniuriis fatigat; non eum superbia inflat, non ambitio huius seculi necat, non vana gloria turpiter iactat, non huius seculi falsae divitiae inflant, non rabies vesani furoris exagitat, non pulcerrima species fœminarum avidum reddit, non contentiones huius seculi perturbant, non audacia extollit, non gaudia huius seculi delectant &c. ita spiritualiter mundo mortuus talia nec facit nec patitur. Cassianus lib. IV. de institut. monach. cap. 35. *Crux nostra timor Domini est, sicut ergo crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad praesens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, adplicare debemus. Et sicut is, qui cruci adfigitur, non iam praesentia contemplatur, nec de suis adfectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia promovetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla aemulatione succenditur, non de praesentibus dolet iniuriis, non praeteritarum iam recordatur, seque cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc praemittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum; ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animae nostrae defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos.* 1 Ioh. II. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quae sunt in mundo* v. 17. *Et mundus transit & concupiscentia eius,* d. e. st, quia mundus & omnia, quæ sunt in eo, opinione citius transeunt, ideo non debemus corde nostro ei adhærescere, sed animum & cor ad Deum, qui in æternum permanet elevare. Augustinus lib. V. contr. Iul. *Non dixit Iohannes: nolite uti mundo, sed nolite diligere mundum. Qui enim non diligens utitur, quasi non utens utitur, quia non eius rei causa utitur, sed alterius, quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur.* De hac mundi & rerum mundanarum fugaci instabilitate & instabili fugacitate pulcre disserit Nazianzenus tract. de vitæ itinerib. qui sub fine operum exstat. *Humana omnia,* (inquit) *metus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, somnium, fluctus, navis, vestigium, aura, pulvis, orbis quidam perpetua conversione similia omnia volvens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc lubilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, secundisque rerum successibus, quod non sine magna sapientia a Deo constitutum, ut discamus a stultae carnis cogitatione mentem abrumpere, vitam ab hac vita alienam ducere, & cum altero mundo mundum hunc commutando difficultates omnes huius vitae molestiasque forti animo perferre.* Confer quæ de hisce dictis apostolicis Gal. VI. 14. 1 Ioh. II. 15. adduximus superius §. 9. Utinam vero de futura mundi consummatione frequentius cogitaremus, ac invicem colloqueremur; ita profecto fieret, ut a mundi amore cor nostrum magis abstraheretur. Sicut *hederam Ionae* vermiculus corrodebat, Ion. IV. 7. sic omnibus mundanis ac terrenis rebus adhæret corruptio, qua tandem dissolvuntur. Quinimo non solum corruptio, sed & maledictio terræ adhæret, Gen. III. 17. eccur igitur terrena tantopere diligimus? Si mundus per inordina-

ordinatum amorem animæ nostræ unitur, etiam princeps mundi eidem unietur. De hoc mundi amore in cordibus mortificando pulcre philosophantur pii veteres. Augustinus epist. XLV. ad Argum. *Mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Nam quantum illi laudandi atque praedicandi sunt, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.* Serm. XXIX. de morbis Domini. *O munde immunde quid strepis? quid avertere conaris? tenere vis periens, quid faceres, si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?* Serm. CCXLV. de temp. *Si finis mundi est, migrandum est de hoc mundo, non amandus est mundus. Ecce turbatur mundus, & amatur mundus, quid si tranquillus esset? formoso quomodo, qui sic amplecteris fœdum? flores eius quomodo colligeres, qui a spinis non revocas manum.* Gregorius homil. XVIII. in Ezech. *Si talem mundum adhuc diligimus, non iam gaudia sed vulnera amamus &c. Despiciamus ex toto animo hoc praesens seculum vel exstinctum. Finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine.* Homil. XXVIII. in evang. *Sancti isti ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu conculcaverunt. Erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in seipso floreret, iam in eorum cordibus mundus exaruerat. Ecce iam mundus in seipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiscentiae ipsas eius amaritudines amamus. Fugientem sequimur, labenti inhaeremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit a Deo, nunc tantis plagis plenus est, ut ipse nos iam mundus mittat ad Deum.* Homil. XXXVI. in evang. *Sic teneamus ea, quae sunt huius mundi, ut tamen per ea non teneamur, sit res temporalis in usu, aeterna in disiderio, sit res temporalis in itinere, aeterna desideretur in perventione.* Est & hoc Gregorii: *mundus est instar nucis cassae, exterius pulcer videtur, sed si cultello veritatis aperiatur, ostendit putredinem & vermes.*

§. CIII. 2) Ab *avara divitiarum adquisitione.* Matth. VI. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur*, id est, terrena omnia corruptioni, putredini & furum insidiis sunt obnoxia, ergo ea non habeamus pro veris thesauris. XVI. 26. *Quid prodest homini, si lucretur mundum universum, animae vero suae detrimentum patiatur?* quo dicitur mundus transitorius est ac periturus, si quis ergo vel maxime totum adquireret mundum, nullum obtineret lucrum, si non esset *in Deo dives*, quia pereunt mundana, anima vero avari mundana contra iustitiæ legem possidentis in æternis tormentis vivet. Jac. V. 1. *Plorate divites.* v. 2. *Divitiae vestrae putrefactae sunt, & vestimenta vestra a tineis sunt comesa.* v. 3. *Aurum & argentum vestrum aeruginavit, & aerugo eorum in testimonium erit vobis, & manducabit carnes vestras sicut ignis, thesaurizastis in novissimis diebus;* quo dicitur: cum non solum ex verbo audiatis, sed etiam coram conspiciatis, imo manibus palpetis, mundi finem imminere, terrenis omnibus putredinem & corruptionem adhærere, tamen in novissimis mundi diebus thesaurizastis; ideo

2) Ab avara divitiarum adquisitione.

deo ærugo terrenis divitiis adhærens in die iudicii erit vobis in testimonium, quod non pro veris divitiis ac vero thesauro ea habere debuisseris. Quid *aurum & argentum*, quod tantopere omnes concupiscunt? spuma in visceribus terræ ex sulphure & Mercurio nata. *Quid sericum*, quo fastuosi superbiunt? stercus vermium. Quid *vestes laneae?* vellus occisorum pecorum. Quid *palatia?* lapides insensiles. Quid *agri?* torpens humus. Quid *omnia terrena*, ex quibus divitiæ comparantur? vanitas, fumus, nihil. *Qui in terra thesaurizant*, inquit Augustinus in enarr. Psalm XLVIII *similes sunt illis, qui fruges suas in imis & humidis locis recondunt, non animadvertentes hinc fore, ut citissime putrescant.* Terrenæ divitiæ aut nos deserent in seculi consummatione, aut nos eas eas deseremus in morte. Pereunt congregata omnia, sed deterius perit eorum congregator, quia *labor avarorum non solum est periturus, sed etiam peremtorius.* Bernhardus conversat. cap. 15.

§. CIV. 3) A *poenitentiae dilatione.* Sicut mors homini certa est, hora autem mortis eidem incerta, sic consummatio seculi certa est, tempus autem consummationis incertum & incognitum. Pœnitentiam ergo nostram non differamus in crastinum, fieri enim potest, ut hic ipse dies vel mundo vel nobis sit novissimus. Omnia visibilia clamant, finem mundi adesse, eccur igitur nostris peccatis non imponimus finem; æterna præsto sunt, cur æternitati nondum nos paramus? Filii & filiæ Iobi mutua inter se læti convivia curantes ædium ruina subitanea opprimuntur, Iob. I. 19 sic in consummatione seculi cœli terræque repentinus erit collapsus, quo securi & impœnitentes in infernum usque deprimentur.

2) *A poenitentiae dilatione.*

§. CV. II) Παρακλητικος, sive *exhortatorius* usus in eo consistit, quod meditatio consummationis seculi excitat nos 1) ad *sincerum Dei timorem. Cœli & terra* magno ac horribili fragore *aliquando transibunt*, 2 Pet. III. 10. timeamus propter illum interitum, ne ipsius interitus tempore inutiliter terreamur. *Me ergo non timebitis*, ait Dominus Ierem. V. 22. *& a facie mea non pavebitis? qui posui arenam terminum mari &c.* Si timendus est Dominus, propterea quod possit repagula maris recludere, & inundationem orbi immittere, quanto magis timendus erit, quia flamma ignis cœlum ac terram aliquando constituit absumere? 2) Ad *cœlestium desiderium & amorem.* Primum cœlum & prima terra abibit, creabit autem Deus *novum cœlum & novam terram, in quibus iustitia habitat*, 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. ad novum illud cœlum ac novam terram, ad præmia illa beatorum invisibilia spretis visibilibus ac transitoriis toto pectore adspiremus. Nazianzenus tractat. de vitæ itineribus: *Ideo constitutum est, ut res omnes huius vitae incertae sint ac instabiles, ut rerum firmarum stabiliumque amore ac desiderio inardescamus.* Advenæ hic sumus & *peregrini*, Psalm. XXXIX. 13. πολιτευμα *nostrum in cœlo*, Phil. III. 20. *Non habemus hic civitatem manentem, futuram igitur inquiramus*, Heb. XIII. 14. Relinquamus mundum, antequam nos relinquat, exeundum nobis ex Ægypto, relinquendus est mundus, si volumus Domino servire, *Relinquendus autem non loco, sed animo;*

II) *Exhortatorius. Excitat nos haec meditatio 1) ad sincerum Dei timorem.*

2) *ad cœlestium amorem.*

animo; non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo; Origines homil. III. in cap. 4. Exod. non passibus corporeis sed adfectu mentis. 3) Ad *beneficentiae fervorem.* Dum adhuc in mundo sumus, mundanis ad aliorum inopiam sublevandam recte utamur, & de transitoriis ac peritoriis thesaurum non periturum nobis comparemus. Nihil *ex mundo pereunte auferre possumus*, 1 Tim. VI. 7. præterea, quæ in manus pauperum, velut in Christi gazophylacium collocavimus. Iacob. V. 3. arguuntur divites, quod *in extremis diebus thesaurizaverint*, id est, quod mundi fine iamdum adpetente de thesauris mundi colligendis soliciti fuerint, beneficentiæ erga pauperes interim obliti. Manna in privatis ædibus adservata putruit, sed in arcam Domini reposita illæsa mansit; sic quæ ad privatos usus avaritia colligit, peribunt, sed quæ in Christi honorem pauperibus dantur, manebunt & in die iudicii prædicabuntur. Lactantius lib. VI. instit. cap. 12. *Quid verere fluxum & fragile bonum facere sempiternum, ac thesauros tuos Deo custodi tradere?* Lib. VII. cap. 12. *Transfer ad magnum sacrificium male peritura, ut pro his transituris muneribus habeas a Deo munus aeternum.* Augustinus epist. LXXX. *Omnia terrena peribunt, sed bona opera non pereunt, quae de bonis transeuntibus fiunt.* 4) Ad *beatae emigrationis ardorem.* Mundi finis in propinquo est, promto igitur atque æquo animo ex illa tanquam ex vetusta & ruinæ proxima domo excedamus. Cyprianus serm. de mortal. circa finem: *si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa aedificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum sed fine testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus ruinis imminentibus exuaris?* Augustinus epist. CXXXVI. ad cler. & pop. Hippon. *Sicut ad loca munitiora festinantius migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere; sic corda Christiana, quanto magis sentiunt mundi huius ruinam crebrescentibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona, quae in terra recondere disponebant, in thesaurum caelestem impigra celeritate transferre. Et si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat, qui de loco ruinoso emigravit. Si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur, qui quandoque morituris, immortali Domino, ad quem venturus est, bona propria commendavit.*

3) *ad beneficentiae fervorem.*

4) *ad beatae emigrationis ardorem.*

§. CVI. Παραμυτικος sive *consolatorius* usus in mundi odiis ac persecutionibus, adeoque adversis omnibus, quæ pii in mundo sustinent, locum obtinet. Mundus diversorium est, in quo diabolus agit hospitem, qui pios, utpote cœli cives & mundi peregrinos duriter tractat, impiis vero, qui sunt mundi cives & cœli exsules, suaviter adblanditur, sed Christus hoc diaboli hospitium aliquando cœlesti igne succendet, & furorem eius potenter compescet. Mundus est piorum carcer, in quo pii omnis generis adversa sustinere coguntur, sed Christus ad iudicium e cœlo redux carcerem illum destruet, ac captivitatem ducens a captivitate suos liberabit. Ioh. XV. 19. dicit Christus ad discipulos: *si de mundo essetis, mundus, quod suum est, diligeret, quia vero de mundo*

Consolatorius.

do non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. XVI. 33. *In mundo habetis pressuram, sed confidite &c.* Augustinus in enarr. Psalm LXXIX. *Ad omne peccatum & ad omne bonum amor & timor ducit. Ut facias bene, amas Deum, & times Deum, ut autem facias male, amas mundum, & times mundum. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, numquid potest dare, quantum dabit iusto Deus? quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, numquid potest facere, quod facit iniquo Deus?* Utergo mundus non est inordinate amandus, ita quoque non est præpostere timendus. Quæcunque enim adversitates in mundo piis obtingunt, una cum mundo desinunt.

CAPVT II.

DE DEFINITIONE CONSVMMATIONIS SECVLI.

§. CVII. Ex illis, quæ hactenus dicta, talis huius quarti novissimi exstrui potest *definitio*: consummatio seculi sive destructio mundi est Dei actio, qua per ignem cœlum, terram, mare & omnes creaturas, quæ in eis sunt, solis angelis & hominibus exceptis, in nihilum rediget, ad veritatis, potentiæ ac iustitiæ suæ manifestationem & piorum hominum liberationem. Faxit omnipotens Deus, ut novi illius cœli ac novæ illius terræ, quæ post seculi consummationem divina virtute creabuntur, cives & incolæ simus, ac cum omnibus sanctis angelis & beatis hominibus divinæ gloriæ hymnum in omnes nunquam finiendorum seculorum æternitates cantemus, dicentes: *salus & gloria & honor & virtus Domino Deo nostro*, Apoc. XIX. 1. *Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum*, Apoc. V. 13.

Amen! Amen!

LOCVS

LOCVS XXXI.

DE INFERNO SEV MORTE ÆTERNA.

PROOEMIVM.

§. I.

Continuatio. Terribile est *mors*, terribilius *iudicium*, terribilissimum *infernus*, mortem & iudicium impiorum secuturus. Hebr. IX. 27. Apoc. VI. 8. Aristoteles quidem morte nihil noverat terribilius, unde θανατον vocat παντων φοβερων φοβερωτατον, sed hoc terribilissimo aliquid terribilius in verbo Dei nobis proponitur, videlicet *infernus*, qui terribilis est propter *tormentorum atrocitatem*, terribilior propter *suppliciorum diversitatem*, terribilissimus propter *pœnarum æternitatem*. Ilius comminatione a peccatis Deus nos revocare conatur, *quia gehennae meminisse, non finit in gehennam incidere.* Psalm VII. 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit & paravit illum;* in quem locum sic commentatur Basilius: *comminatorius sermo est, non statim minatur vulnera, plagas, mortes, sed armorum vibrationem, velut praeparationem quamdam ad ultionem intentat. Quemadmodum ergo, qui arma abstergunt ac polunt, pugnae mox ineundae atrem adfectum & alacritatem significant, sic & sermo hic Dei motum ad ultionem ostendere volens gladium illum vibrare dixit.* Nimirum Deus non ex improviso pœnis temporalibus & æternis impios non prœmonitos opprimit, sed *arcum suum prius tendit ac parat, antequam feriat*, id est, pœnas prius minatur, quam infligit, quod paterni & benevoli animi est iudicium. Si enim delectaretur hominum perditione, prius pœnam immitteret, quam eamdem comminaretur. Psalm LX. 6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus:* ut est in vulgata versione quem locum sic accipit Augustinus in enarr. illius Psalmi, ut summam Dei misericordiam nobis in eo proponi doceat, quod per comminationes suppliciorum peccatores soleat monere, ut ea curent per pœnitentiam subterfugere. Nostrum est, monentem ac minantem audire, a facie arcus fugere, & quotidiana gehennæ meditatione a peccatorum studio mentem revocare. Sin minus, quanto magis supplicium differtur, tanto gravius ac funestius infertur, proinde ut in arcu, quanto longius chorda trahitur, tanto fortius sagitta emittitur. De materiali arcu re-

cte quidem usurpaveris illud Poëtæ:

Non semper feriet quodcunque minabitur arcus.

Sed de arcu divinæ iræ ac vindictæ hoc cogitari vel dici nequit. Esai. XXX. 32. *Erit transitus virgae fundatus.*

Doctrinae huius commendatio.

§. II. Postquam igitur de *morte* & *iudicio extremo* actum fuit hactenus, consequens est ut de *inferno*, in quem post iudicium extremum diaboli & impii præcipites dabuntur, imposterum dicamus. Quare enim prius de *impiorum damnatione* quam de *piorum glorificatione*, hoc est, prius de inferno, quam de cœlo agendum censeamus, eius ordinis rationem exposuimus in prooemio generali tractatus de noviss. Commendat vero nobis hanc doctrinam 1) *maxima utilitas*, 2) *summa necessitas*. Utilitatem demonstramus tum a *priori*, videlicet ex *divina revelatione*, tum a *posteriori*, videlicet ex *consequente fructificatione*. Prior demonstratio sic habet: Quicquid Deus in verbo suo revelavit, illud utile est ad διδασκαλιαν, ελεγχον, παιδειαν ϗ επανορθωσιν. *Ratio* est, qui Scriptura θεοπνευστος, revelatum Dei verbum complectens ad hos fines dicitur utilis, 2. Tim. III. 16. Iam vero doctrinam de inferno Deus in verbo suo nobis revelavit, ut patebit ex sequenti εργασια. Ergo. Posterior demonstratio sic institui potest: Cuius pia & quotidiana meditatio revocat homines a studio peccandi, & ad serium Dei timorem animos ipsorum inflectit, illud in ecclesia doceri utile est ac fructuosum. Sed pia & quotidiana inferni meditatio utrumque præstat, ut in usu practico inferius monstrabitur. Ergo. *Necessitatem* probamus 1) ex *divino mandato*, tum *generali*: *memorare novissima*. Syr. VII. 40. tum *speciali*, quod elicitur ex omnibus scripturæ dictis, quæ de infernalibus pœnis tractant, eo namque fine Deus in verbo suo de illis agit, ut hominum animis inculcentur. 2) Ex *officii ecclesiastici debito*. Incumbit ecclesiæ doctoribus, *vitam & mortem*, hoc est, divinas promissiones & comminationes pœnarum tum temporalium tum æternarum ex lege & evangelio auditoribus fidei suæ commissis proponere, Deut. XXX. 15. adeoque *ex thesauro suo vetera & nova proferre*, Matth. XIII. 52. 3) Ex *prophetarum*, *Christi & apostolorum exemplo*; illi enim non solum doctrinam de piorum æterna gloria, sed etiam de impiorum sempiterna ignominia auditoribus suis inculcarunt. 4) Ex *carnis nostrae torpore ac veterno*. Maior hominum pars securitati & impietati dedita peccatorum lethargo est oppressa, illi talibus comminationibus velut aciculis quibusdam excitandi. Ipsimet pii circumferunt adhuc carnem & sanguinem, expositi sunt tentationibus satanæ, posita ob oculos habent perversa mundi exempla, a quibus ad omnis generis peccata quotidie solicitantur. Necessarium igitur est, illud peccati προφυλακτικον ipsis instillare, quod is, qui *peccat contra conscientiam*, *aedificet ad gehennam*, quod *ignis infernalis ligna ac materia nihil aliud sint, quam peccata &c.*

CAPVT

CAPVT I.

DE ONOMATOLOGIA INFERNI.

§. III. Initium tractationis faciemus ab ενοματολογια, ut vestigiis hactenus obſervatis arcte inſiſtamus. *Infernus*, plurali: *inferna*, quo nomine pro inferis vulgo utimur, in ea ſignificatione non eſt ſatis Latinum, ſed meliore voce deſtituti, cogimur eo uti. Auguſtinus libr. XII. de Geneſ. ad liter. cap. 34. ante medium: *Inferi eo, quod infra ſint, Latine perhibetur.* Anshelmus libr. I. de imagine mundi cap. 11. infernum ex eo dictum putat, *quod ſit inferius ſive infra nos poſitus, ut enim terra eſt in medio aere, ſic infernus*, inquit, *eſt in medio terrae.* Idem repetit Paludanus lib. IV. ſent. diſt. 44. q. 6. Sed hypotheſis illa, quod *infernus ſit in centro terrae*, dubia eſt, ut ſuo loco videbimus. Ethnicis quidem etiam ſcriptoribus illa etymologiæ ratio probatur, quia voluerunt inferos & ſuperos non ſolum ſtatus conditione, ſed etiam locorum habitaculis diſtingui, ac cadentibus in terram corporibus iisdemque humo tectis ſub terra cenſebant reliquam vitam agi mortuorum. Sed in eccleſia de ſtatu & loco inferni iudicandum eſt, non ex nominis Latini ab ethnicis mutuati etymologia, ſed ex ſcriptura ſacra. Iſidorus in lib. etymolog. infernum putat eſſe dictum *quaſi intus furnum*, id eſt, nigrum, cum furnus idem ſit quod niger. Iunius in animadv. ad controv. I. Bellarmini lib. IV. cap. 10. art. 2. p. 594. ab *inferendo* mavult deducere. Nam mortui efferuntur, domo & humo inferuntur, inde *inferium vinum*, Trebatio apud Arnobium lib. VII. & Feſto, & *aqua arferiae*, eidem & coniugata alia eiusmodi, ac leges *de inferendis mortuis*. Græcum αδης variis modis ετυμολογειται 1.) Quidam Hebræam quærunt derivationem ac formatum putant ab ארמה *terra*, quod probant ex oraculo Sibyllæ 2.) Plerique αδης dictum putant αντιφρασικως ab ηδω *delector*, ut αδης ſit quaſi ατερπης, οτι ουδεις εν αυτω ηδεται και χαιρει, *quod nullus in eo delectetur*, ſicut & *Charon*, infernalis nauta κατ αντιφρασιν, απο της χαρας dicitur, quod ianitor ille ac *portitor orci*, ut a poëtis vocatur, neminem gaudio adficiat. Auguſtinus d. l. *Origo nominis in Graeca lingua, quo adpellantur inferi, ex eo, quod nihil ſuave habeant, ſonare perhibetur.* 3.) Quidam deducunt ab αω, quod eſt πνεω, quaſi *viventibus ſpiritum adimat*, vel quia *mortis halitus omnia perflat.* 4.) Multi derivant ab αμορια σερητικω & ιδειν *videre*, ut αδης παρα το μη ιδειν η ορασθαι dicatur, ου και εστιν ιδειν, cum ſit *triſtis ſine ſole domus*, in quo nulla lux, ſed meræ tenebræ. Vel quod mortuos oculis viventium ſubtrahat, δια το αφανεις ποιειν τους υπο γην γενομενους. 5.) Quidam ſine antiphraſi αδην dictum putant quaſi αιδανον, eo quod *mors grata ſit*, ubi de vita deſperatum. 6.) Apud Platonem Socrates αδην dicit eſſe σοφιστην eloquentiſſimum ſic dictum απο του ειδεναι παντα τα καλα, quia nemo inde huc vult reverti, ſed illius ſermonibus demulcetur ac detinetur. Atqui non *perſuaſionis* ſed *coactionis*, nec *voluptatis* ſed *neceſſitatis eſt*, quod nemo ex inferis revertatur; recte autem dici poteſt, quod ſatanas infernalis princeps ſit magnus ſophiſta, multos blandis perſuaſionibus decipiens & in infernum ſecum trahens, in quo eſt

1) Ετυμολογια.

practica non παντων των καλων, sed παντων των κακων notitia, & ex quo nulla iterum patet redemtio. Quarta etymologia, ut simplicior, reliquis videtur præferenda, quia αδης cum ι subscripto literæ initiali α pro αιδης apud poetas usitato usurpatur, quam etiam probant Eustathius & Henricus Stephanus Varinus in voce αις col. 79. αδις, ως τινες φασι, λεγεται κατα συναιρεσιν τε αιδης. Hebræum שאול dictum a שאל *postulavit*, quia infernus est insatiabilis & inexplebilis multos devorat & plures semper adpetit. Esai. 5. 14. *dilatavit infernus animam suam*, sive desiderium suum, *& aperuit os suum praeter morem, & descendet decorus eius, & multitudo eius, & turba eius, & coetus eius ad eum.* Proverb. XXVII. 20. *Infernus & perditio non saturabuntur* XXX. 16. *Infernus & sterilis matrix, terra non satiata aquis, & ignis numquam dicunt, sufficit.* Iunius d. l. aliam etymologiae rationem adfert. Quemadmodum enim Latinis *desiderari* dicuntur, qui deficiunt aut moriuntur, sic Hebræis nomine שאול adpellatur locus eorum, qui *desiderantur*, a verbo, quod postulare vel desiderare significat.

§. IV. (*) Nos in tract. de morte §. CLXXIII. diximus nomen שאול quinque potissimum modis in scripturis accipi 1) pro *inferno*, seu τε damnatorum, in quo scilicet damnati torquentur; 2) pro *doloribus inferni*, qui in hac vita quandoque hominem comprehendunt; 3) pro *extremo humilitatis gradu*; 4) pro *morte ac transitu hominum* ex hac vita, sive status mutatione & conditione mortuorum in genere; 5) pro *sepulcro*. Has significationes omnes ac singulas exemplis e scriptura petitis ibidem comprobavimus, & secundam significationem ad primam, tertiam ad secundam, quintam ad quartam certo modo reduci posse ostendimus. Ad quintam classem reduci potest illa significatio, qua accipitur *generaliter* pro imis & profundis terræ locis, Iob. XI. 8. Psalm CXXXIX. 8. Amos. IX. 2. quia sepulcra in terræ cavernis effodi solent. Si quis tamen pro peculiari classe eam ponere malit, non refragabimur. Hebræo שאול respondet Græcum αδης, quo LXX. interpretes illud semper exprimunt, (si unicum excipias locum 2 Sam. XXII. 6. ubi vertunt per θανατον) & latinum *infernus*, quo vulgata versio utitur, totidem ergo etiam erunt significationes vocis αδε & inferni. Notandum hoc 1) contra *Bellarminum*, qui lib IV. de Christo cap. 10. vocem שאול *ordinarie accipi* putat, *pro loco animarum subterraneo, & raro vel nunquam pro sepulcro*, qua ratione primam significationem opponit quintæ. Atqui 1) *etymologia* ostendit, quod significet in genere quoddam quasi *petitorium* sive *postulatorium*, quod tam de sepulcro quam de inferno accipi potest. 2) *Usus scripturae* demonstrat, non tantum de loco damnatorum, sed etiam de doloribus inferni in hac vita, de extremo

(*) Nonnulli observant, dicuntque 1) שאול αδης metonymice significat *Diabolum*, Hos. XIII. 14. 1 Cor. XV. 55. που σου αδη το νικος; quod de diabolo intelligendum docet Apoc. XII. 6. & sqq. XX. 10. & 14. 2) pro που *damnatorum*, Num. XVI. 33. Deut. XXXII. 22. Esai. XIV. 9. 12. 15. Luc. X. 15. XVI. 23. 3) pro imis & profundissimis terræ locis, altissimo opposítis, Iob. XI. 8. XXVI. 6. Psalm CXXXIX. 8. Esai. VII. 11. 4) pro *gravissimis adflictionibus*, 1 Sam. II. 6. 2 Sam. XXII. 6. Psalm LXXXVI. 13. CXVI. 3. 5) pro *sepulcro*, Gen. XLII. 38. 1 Reg. II. 6. Iob. XIV. 13. XVII. 13. Psalm CXLI. 7.

tremo humilitatis gradu, de ſtatu mortuorum in genere ac de ſepulcro accipi. Quod enim ultimam ſignificationem, cui inprimis infenſus eſt Bellarminus, attinet, ea ſequentibus ſcripturæ dictis confirmari poteſt: Gen. XLII. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad ſepulcrum.* Poteſt quidem quarta ſignificatio ad huius dicti explicationem adſumi; interim tamen reſpectus etiam habetur ad quintam, quia corpus defuncti ſenis una cum canis ſepulcro infertur. 1 Reg. II. 6. dicit ad Salomonem rex David morti proximus de Ioabo: *non deduces canitiem eius pacifice ſcheolah.* v. 9. de Simei: *deduces canos eius cum ſanguine ſcheolah.* At quis credat Davidem morti vicinum hoſtibus ſuis æternum exitium fuiſſe imprecatum? quin potius agit ut rex politicus, qui ex uſu reipublicæ eſſe animadvertens magna ſcelera non manere impunita, novo regi dat mandatum de capitalibus ſupplicii facinoroſis inferendis. Adde quod ad politicam magiſtratus iurisdictionem non pertineat æternas pœnas inferre. Iob. XIV. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in ſcheol protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, quo mei recorderis?* XVII. 13. *Etiamſi diu exſpectavero, tamen ſcheol domus mea, & in tenebris ſtravi lectulum meum.* At quis ſibi perſuaderi patietur, Iobum ex deſperatione infernum ſibi optaſſe, adde quod ἐξηγησις addita luculentam præbeat explicationem, vult enim abſcondi in ſcheol, *donec pertranſeat Dei ira*, iam vero ex inferno nulla redemtio ſperanda, nec recordabitur Deus damnatorum, ut eos liberet; ac poſtquam dixerat Iobus, *ſcheol domus mea;* ſtatim addit v. 14. *putredini dixi: Pater meus es tu, mater mea & ſoror mea, vermibus.* XXI. 13. *In momento deſcendunt in ſcheol.* Chaldæus: לבית קבורתא, *in domum ſepulturae*, quamvis etiam de inferno accipi poſſit, ut poſtea videbimus. Pſalm. VI. 6. Eſaj. XXXVIII. 18. *In inferno quis confitebitur tibi?* illud ibidem Pſalm. VI. 6. ſic exponitur *non eſt in morte, qui memor ſit tui*, & clarius adhuc Pſalm. XXX. 10. *Numquid confitebitur tibi pulvis?* Confer. Baruch. II. 17. Pſalm. CXLI. 7. *Diſſipata ſunt oſſa noſtra in os ſcheol.* At pii Iſraelitæ ab hoſtibus interfecti non deſcendebant in infernum, nec oſſa in infernum, ſed in ſepulcrum diſperguntur. Prov. I. 12. *Deglutiamus eos, dicunt impii, ſicut ſcheol viventes;* explicatio ſtatim additur, *& integros ſicut deſcendentes in ciſternam ſive foveam ſepulcralem.* Ezech. XXXI. 17. *Etiam ipſi cum eo deſcendent in ſcheol ad interfectos gladio.* Jon. II. 3. dicit propheta ſe vociferatum eſſe *e ventre ſepulcri*, cum eſſet in ventre ceti. Si obvertere velint, *haec omnia de limbo inferni veſtibulo ac προπυλαιω in quod animae piorum in vet. teſt. deſcenderint, accipienda eſſe*, petunt principium, oſtendimus enim in tractat. de morte §. 172. limbum illum eſſe & αγραφον & αντιγραφον. 3.) Nec eſt, quod metuat Bellarminus, *ne articulus de deſcenſu Chriſti ad inferos cum articulo de ſepultura Chriſti confundatur;* aliud enim eſt quærere de vocabuli ſignificatione in *genere*, aliud vero in *ſpecie* quærere, quomodo hæc vox in articulo de deſcenſu Chriſti ad inferos accipiatur. 4.) Urget Bellarminus, quod *Graece ſepulcrum dicatur* ταφος *non* αδης, quod *in quibusdam ſcripturae locis nomen* αδης *non poſſit accipi pro ſepulcro*, quodque *Stephanus nullum inveniri potuerit auctorem, qui pro ſepulcro poſuerit* αδην. Sed ad primum reſpondemus per *inficiationem;* dantur enim in ſcripturis vet. teſt. exempla, in quibus ſepulcrum non ſolum ταφος ſed etiam αδης vocatur, ut oſtendimus. Urgemus colla-

collationem Tob. XIII. 12. *& senectutem eius deducam cum dolore* εις αδυ pro quo habetur VI. 16. *& deducam vitam patris mei cum dolore* εις τον ταφον. 2 Maccab. VI. 23. *ut se permitteret ad infernum*, id est, sepulcrum. Blasius de Viega in comm. Apocalyp. I. p. 99. *Infernus accipitur pro sepulcro* Psalm. CXIII. 17. *non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, id est, qui in sepulcris conduntur.* Eodem sensu accipit locum Iob. XXI. 13. Christophorus a Castro Iesuita in comm. Baruch. II. p. 497. *Quamvis inferni aut inferorum nomine aliqui velint intelligi sinum Abrahae, tamen verius & usui scripturae convenientius accipiemus sepulcrum, ut accepit Iacob* Genes. XXXVII. 35. *cum dicit:* Descendam ad filium meum lugens in infernum; *hoc est, lugere non desinam, donec me sepulturae mandetis.* XLIV. 29. Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos; *id est, me senio confectum cogetis celeberrime mori & in sepulcrum abire.* Psalm. XXX. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam, salvasti me a descendentibus in lacum vel sepulcrum; id est, revocasti me a morte, vitam mihi restituisti, ne descenderem in sepulcrum.* Eamdem significationem statuit in sequentibus scripturæ dictis Psalm. LXXXVIII. 4. Iob. XVII. 13. &c. Ad alterum per *distinctionem.* In quibusdam scripturæ locis accipitur pro inferno, in quibusdam pro sepulcro; hæc ergo significata sese mutuo non evertunt. Ad tertium per *limitationem;* Stephanus non adduxit e profanis scriptoribus ejusmodi exempla, non quia invenire nulla potuit, sed quia non necessarium esse existimavit; neminem enim hanc significationem negaturum arbitratus est. Quid quod ex vocis etymo ostendit αδην in genere dici *quemlibet locum tenebricosum & invisibilem*, quod etiam ad sepulcrum adplicari potest. Lucianus in dial. de luctu dicit, αδην esse locum sub terra profundum.

§. V. II.) Contra *Bezam* qui in explicat. Actor. II. 27. πρωτως de sepulcro intelligit. *Descendere*, inquit, *ad inferos proprie significat sepulcro condi. Nam certe Hebraeis scheol idem propria significatione declarat atque* קבר & בור, *quae vocabula sepulcrum significant.* Hugo Sanfordus adhuc longius progreditur, quando lib. II. de descen. Christi ad inferos dist. 11. p. 14. & seqq. disputat. *per scheol non animarum, sed corporum regionem, adeoque nihil aliud quam sepulcrum notari;* nimirum ut obtineant, per descensum Christi ad inferos in symbolo apostolico intelligendam esse sepulturam, qua ratione quinta significatio nominis inferni opponitur primæ. Resp. 1) Nomen *scheol* & αδης non solum *sepulcrum*, sed etiam *infernum* significare, ex usu scripturæ & vocabuli etymologia adparet. 2) Præsto enim sunt clarissima scripturæ dicta, in quibus pro inferno utrumque usurpatur. Num. XVI. 33. *Descenderunt vivi scheolah.* Atqui seditiosi illi in peccatis suis mortui non tantum in sepulcrum, sed etiam in infernum descenderunt; unde Bucanus in inst. theol. loc. XL. q. 10. p. 455. recte statuit, *ibi non intelligi sepulcrum*, ut vox inferni solet interdum usurpari. Deut. XXXII. 22. *Ignis succensus in furore meo usque ad infernum inferiorem.* Psalm. XLIX. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt.* LV. 16. *Descendunt in infernum viventes.* Confer Prov. XXVII. 20. XXX. 16. Esaj. V. 14. XIV. 9. 15. XXVIII. 15. Ose. XIII. 14. In nov. test. nomen αδης in eadem significatione usurpatur Matth. XI. 23. Luc. X. 15. *Tu Capernaum usque ad cœlum exaltata in infernum detraheris*, ubi oppositio inter cœlum & infernum manifeste ostendit, nomine αδυ denotari sum-

ſummam & imam infelicitatem, ignominiam ac miſeriam damnatorum, quæ Capernaitis cum diabolis & reliquis damnatis hominibus futura ſit communis, contemtus enim verbi non tantum pœnis *temporalibus*, ſed etiam ac vel maxime *æternis* punitur. Matth. XVI. 18. *Portae inferorum non praevalebunt adverſus eccleſiam*; id eſt, nulla vis, nulla poteſtas diaboli inferorum principis eccleſiam poterit evertere, ſed petræ Chriſto innixa perpetuo ſtabit inconcuſſa. In portis olim exercebantur iudicia ac conſultationes, & portæ ac muri non ſolum *ornamentum*, ſed & *munimentum* præſtant urbibus; quando ergo *portae inferorum non praevalituraе* dicuntur *adverſus eccleſiam*, ſenſus eſt, quod nec impia fraude hæreticorum, nec manifeſta vi tyrannorum everti poſſit, quod omnia conſilia & machinationes tum ipſius diaboli, tum organorum eius, hæreticorum puta ac tyrannorum, quibus eccleſiam adorientur, irrita & fruſtranea ſint futura. Luc. XVI. 23. *Dives epulo εν τω αδη attollit oculos ſuos.* Id vero non de ſepulcro, ſed de damnatorum loco accipiendum eſſe, patet ex cruciatu & tormentis, in quibus dives ſe conſtitutum conqueritur, ex oppoſitione cœli & inferni, ex reditus & liberationis *αδυναμια*, adeoque ex omnibus deſcriptionis circumſtantiis. Confer Chryſoſtomum homil. de Lazaro. Act. II. 27. & 31. *Non relinques animam meam in inferno*, ubi agitur de deſcenſu Chriſti ad inferos, quem a ſepultura diſtinctum articulum eſſe, ſuo loco demonſtratur. Quidam tamen malunt de cognata ſignificatione ſecunda, videlicet de doloribus inferni, quos Chriſtus in ſanctiſſima ſua anima ante mortem perſentit, nomen *αδε* hic exponere propter emphaſin verbi *εγκαταλειψεις*. Sed hac de re alibi plenius. 1 Cor. XV. 55. *Vbi ſtimulus tuus, o mors, ubi victoria tua inferne?* Atqui Chriſtus non ſolum a morte, ſed etiam ex inferno, id eſt, ab æterna damnatione nos liberavit. Apoc. I. 18. *Habeo claves mortis & inferni*, id eſt, ſum Dominus mortis & inferorum, vici mortem & infernum, competit mihi ſummum dominium in mortem & infernum, ut poſſim ex utroque liberare, & ad utrumque damnare, victori enim claves portarum urbis tradi ſolent. VI 8. *Mortem ſequitur o αδης.* Quidam per *αδην* intelligunt *ſepulcrum*, cum ſit ſermo de peſte lethifera & morte corporali ſive temporali; ſed poteſt etiam commode de *inferno* accipi, quia mors temporalis in impiis eſt initium æternæ damnationis, ac mors per ſe & in ſe extra Chriſtum conſiderata eſt vehiculum ad infernum. XX. 13. *Mors & infernus reddiderunt mortuos ſuos.* Piſcator & quidam alii per infernum intelligunt *ſepulcrum*; exiſtimant enim deſcribi tres claſſes mortuorum, unam ſcilicet eorum, qui in mari ſubmerſi, alteram eorum, qui extra mare mortui, ſed manſere inſepulti, tertiam eorum, qui in ſepulcris reconditi. Sed commodius vertitur per *infernum*, ut ſit ſenſus, futurum in extremo iudicio, ut illi quoque, quos infernus vivos abſorpſerat, inde revocentur ad iudicium. Auguſtinus lib. XX. de civit. Dei cap. 15. *Mors & infernus reddiderunt mortuos ſuos. Mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non & infernum. Infernus autem propter malos, qui etiam pœnas apud inferos pendunt.* Si obvertas v. 14. addi, quod *mors & infernus miſſi ſint in ſtagnum ignis, id vero non ſatis commode exponi poſſe de inferno; alias enim ſequetur in infernum miſſum eſſe in in-*

fernum, ac proinde per infernum intelligi sepulcrum hoc sensu, quod aliqui & quidem plerique illorum, quos mors & sepulcrum reddiderant, missi fuerint in stagnum ignis; respondemus nullam in eo esse absurditatem, si dicatur, quod infernus μετωνυμικως acceptus, id est, animæ impiorum, quæ ex inferno revocatæ erant, corporibus suis redunitæ in infernalem ignem fuerint proiectæ. Augustinus d. l. existimat nominibus illis significari *diabolum*, quoniam *mortis est auctor & infernarum pœnarum universamque simul daemonum societatem.* Quidam exponunt hoc modo: Mors & infernus respectu piorum & glorificatorum penitus sunt deleta & extincta, ut in eos nullam amplius obtineant potestatem, sicut diabolus & omnes ecclesiæ hostes, qui in lacum ignis proiecti, 1 Cor. XV. 54. 55. Quidquid sit, interim relinquitur illud, per infernum non sepulcrum, sed damnatorum domicilium hic intelligi. 3) Ac proinde nullus in nov. testam. occurrit locus, in quo vox ἁδης non possit satis commode de inferno accipi, quod probe notandum. Origenes lib. III. περι αρχων *infernus superior terra, inferior tartarus adpellatur.* 4) Rabbinus Mardochai Nathan in cap. Conc. Hebr. p. 874. eodem modo exponit. שאול inquit, *idem est, quod sepulcrum, infernus, gehenna.* Rabbinus David Kimchi in Psalm. 9. in illud *Convertantur impii in infernum.* Idem rabbinus David & rabbinus Aben Ezra in illud Psalm. 139. *Si descendero in infernum, ades.* Rabbinus Levi in Iob. 26. & Proverb. 15. exponunt per *locum damnatorum.* Chaldæus interpres plerumque reddidit per גיהינם *gehennam* Galatinus lib. VI. de arcan. cap. 7. *Infernus apud Hebraeos multis adpellatur nominibus, ex quibus unum est scheol.* Schindlerus in lexico p. 1782. *Scheol significat primo sepulcrum, deinde infernum, gehennam.* Buxdorffius in thesaur. p. 754. *Scheol sepulcrum, infernus. Significat in genere locum humanorum corporum post mortem, unde communiter pro sepulcro, interdum etiam pro inferno ponitur.* 5) Calvinus in psychophann. scribit, *scheol interdum accipi pro sepulcro, sed ut plurimum pro statu damnatorum.* Beza lib. contra Brent. *in meridie eos cœcutire* dicit, *qui ex historia Lazari & divitis Luc. 16. non deducunt verum locum inferorum, ubi damnati torqueantur.*

§. VI. III.) Contra *Photinianos*, qui statuunt infernum nihil aliud esse quam *statum mortuorum*, atque ad infernum descendere nihil aliud esse, *quam mori*, qua ratione quartam significationem opponunt primæ. Cumque mors ipsis sit *annihilatio*, animæ scilicet & corporis extinctio, ut in tract. de morte §. 149. ostendimus; consequens est, esse in inferno ipsis nihil aliud esse, quam in nihilum redigi. Socinus in tract. de eccles. in explicat. loci Matth. XVI. 18. p. 69. *Infernus in sacris litteris ubique (nisi ego vehementer fallor) significat statum ac conditionem mortuorum, atque ea differentia, quae est inter mori & esse in statu mortuorum, eadem & non alia revera est inter mortem & infernum, quod quidem attinet ad ipsas sacras literas, in quibus non alio quam praedicto sensu distinguitur haud raro inter mortem & infernum, ita ut infernus aliud plus significet quam mors, quemadmodum aliquid plus est esse in statu mortuorum, quam mori.* Et postea: *Portae inferni revera nihil aliud sunt, quam ipse infernus, non aliter atque portae mortis idemrevera sunt, quod ipsa mors.* Psalm. IX. 14. CVII. 18. p. 70. *Est igitur sensus Christi verborum, ipsum infernum seu omnem vim ac potestatem inferni non praevali-*

valituram ecclesiae, id est, eos, qui vere Christiani fuerint, in mortuorum statu & conditione remansuros, sive ut ex ipso verbo praevalendi elicitur, mortuorum statum & conditionem illis non dominaturam. Schmaltzius contra Frantzium, disp. VII. poster. in August. confess. p. 409. *Solos pios victuros in aeternum, nonne est petitum ex penetralibus sacrarum litterarum? iam si quis inde colligat, impios aeternum non victuros, id non nostrae sententiae, sed sacris litteris potius adscribendum esset.* p. 410. *Cum porro de interitu vel iudicio daemonum legitur, nonne delendos eos esse, hinc iure colligi potest.* p. 414. *locus* Matth. X. 28. *perditionem tantum animae in gehenna, non cruciatum denunciat.* p. 415. *Impios futuros etiam immortales nempe in aeternum opprobrium, nec usquam sacrae literae comprobant, nec quisquam ex illis adferri posse videtur, unde sententia illa probari possit.* Idem in refut. disp. III. de person. Christi p. 71. *Descensus Christi ad inferos aliud nihil significat, quam statum Christi post mortem, qui idem scilicet fuerit cum statu aliorum mortuorum, & necessarium quoddam consequens mortis censendus est.* Et postea: *Descensus Christi ad inferos est tantum conditio consequens mortis perpessionem.* Huic Photinianorum somnio ex parte adsurgit Antonius de Guevara in exegemat. in Hab. not. 108. & seqq. ubi *portas inferni* per *portas mortis* ἐξηγητικῶς declarat. Sed ostendemus inferius, infernum non esse definiendum per ἀνυπαρξιαν, sed per gravissimorum & aeternorum cruciatuum passionem; hoc loco breviter monemus, dicta scripturae, quae pro stabilienda prima τῶ שאול καὶ ἅδῃ significatione adduximus, non posse Photiniano sensu exponi, tum quia *non entis ut nullae actiones & qualitates, ita quoque nullae passiones*, quas tamen damnatis in inferno constitutis longe atrocissimas scriptura attribuit, tum quia absurdissimae inde orientur expositiones. Nam *vivum in infernum descendere*, erit vivum in statum mortuorum transire. Num. 16. 33. Psal. LV. 16. *Christum ad infernum descendisse*, hunc habebit sensum, quod Christus in nihilum fuerit redactus, cum tamen anima in manu coelestis Patris fuerit, corpus omnis φθορας expers in sepulcro quieverit. *Si in infernum descendero, tu ades*, hunc pariet sensum, si in nihilum redactus fuero, tu ades &c. Confer quae in quaest. de resurrectione impiorum suo loco superius sunt dicta. Certe qui Photinianam explicationem dicti Matth. XVI. 18. amplectuntur, quod a non nemine factum esse constat, illi statuere cogentur, esse singulare ecclesiae, id est, vere piorum privilegium ex statu mortuorum liberari, atque ex opposito reliquos extra eclesiam, adeoque omnes impios in illo statu mortuorum manere, qua ratione impiorum resurrectionem consequenter negari, in propatulo est.

§. VII. II.) Ad *Homonymiam* referri potest, 1.) quod quidam ex veteribus statuunt, inferni nomine μετωνυμικως in quibusdam Scripturae dictis intelligi ipsum *diabolum*, quo referunt Iob. XXVI. 6. Prov. XXX. 16. Apoc. I. 18. XX. 14. Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 15. Beda in comm. Proverb. 30. Gregorius lib. XVII. moralium cap. 12. Primasius & Ansbertus in Apocalyp. I. cui expositioni probabilitas conciliari potest ex collatione versic. 10. cum 14. in cap. 20. Apoc. quia quod in v. 10. dicitur: *diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris;* id in v. 14. hisce varbis efferri videtur: *II.) Homonymia.*

infernus missus est in stagnum ignis. 2) Quod nomen inferni in quibusdam scripturæ dictis accipitur pro *ipsa damnatione* sive morte æterna, quam Diaboli & homines impii sustinebunt, in quibusdam vero pro שאה, in quo eiusmodi supplicia patientur, qua de re in quæstione περι τε τι ες plenius agetur.

III) συνωνυμια. §. VIII. III.) *Synonymia* inferni sunt complura. Hebræis præter scheol vocatur 1) אבדון *perditio.* Iob. XVI. 6. *Nudus scheol coram eo, & non est operimentum* לאבדון cui parallelus est locus Prov. XV. 11. שאול ואבדון, *scheol & perditio coram Domino.* Quidam posterius censent εξηγητικον prioris, quidam vero per scheol intelligunt *sepulcrum* per abaddon *infernum.* Utraque significatio textui & fidei analogiæ congruit. Sensus enim est, si nec in sepulcro nec in inferno, ubi est æterna mors & perditio, nihil est, quod Deum παντεποπτην lateat, quanto minus coram ipso abscondita sunt cogitationes hominum intimis cordium recessibus latitantium. Mercerus & Buxdorfius accipiunt de *centro sive locis imis terrae* quæ vocentur *perditio*, quia res, quæ ibi sunt, sint velut nobis perditæ, utpote procul a conspectu nostro remotæ. Quidam utrumque accipiunt de *sepulcro*, cum Psal. LXXXVIII. 12 אבדון eo sensu usurpetur, & scheol in aliis scripturæ dictis pro *sepulcro* ponatur; sed præstat de inferno, qui maxime videri posset a conspectu Dei remotus, intelligere, quo modo etiam rabbini exponunt, unde etiam *abaddon* ipsis est nomen *cacodaemonis* inferni principis, cui respondet Græcum απολλυων, Apoc. IX. 11. Iob. XXVIII. 22. אבדון ומות, *perditio sive infernus & mors dixerunt: In auribus nostris audivimus auditum eius.* Locus hic priori parallelus est, quem Mercerus hoc sensu exponit, quod *Dei sapientia ac providentia ad infima terrae loca se extendat*, sicut metallorum in cavernis terræ generatio ostendit; sed potest etiam commode hoc sensu accipi, quod diabolus auctor mortis ac perditionis non possit divinam sapientiam, quam in ecclesiæ congregatione ac conservatione exserit, comprehendere, quia vers. 21. dixerat: *abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres cæli.* id est, Angelos *ipsa latet.* Psal. LXXXVIII. 12. *Numquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, & veritas tua* באבדון, *in perditione sive inferno.* Prov. XVII. 20. *Scheol* ואבדה, *infernus & perditio non saturabuntur.* Huc pertinent dicta, in quibus mentio fit απολειας impiorum, ea enim non solum temporalem, sed etiam æternam eorum in inferno perditionem complectuntur: Prov. XI. 10. XXVIII. 28. Ier. XII. 17. Obad. I. 12. 2.) תפת Esai. XXX. 33. *Ordinata est ab heri* תפתה, *fovea.* Targum גהנם, *gehenna ipsi regi*, denunciatur enim regi Assyriorum animæ & corporis interitus. Potest etiam huc referri locus Iob. XVII. 6. *Posuit me Deus in proverbium populorum* ויתפת, Targum: *gehenna coram eis sum*, id est, abominabilis eis sum tanquam ipsa gehenna. Alii exponunt sensu plane contrario, quia antea eram *Tophet*, *tympanum*, id est, lætitia vel gaudium. Lutherus videtur legisse מפת *prodigium*, quod ab eadem radice inusitata יפת descendit. Huic *Topheth* cognata est 3) vox גהנם, quæ in paraphrasi chaldaica d. l. & in nov. test. occurrit Matth. V. 22. 29. & 30. X. 28. XXIII. 15. & 33. Marc. IX. 43. 45. & 47. Luc. XII. 5. Iacob. III. 6. בן-הנם *vallis filii Hinnom.* ut plene scribitur Ios. XV. 8. vel contracte גיאהנם vertic.

18.

18. 16. Nehem. XI. 30. & una dictione גיהנם Græcis elisa adspiratione & abiecto ן γεεννη & γεεννα. Fuit vallis urbi Hierosolymæ vicina, amœna & Cedronis aquis irrigua, cuius Dominus olim fuit Hinnom aut huius filius. In illa valle erat locus תפת sic dictus a תף, *tympano*, in quo filios & filias offerebant, idolo Moloch, sicut erhnici Saturno, ita ut pater filium suum traduceret per duas pyras, donec combustus moreretur, quod dum fieret, interim tympana & alia instrumenta musica pulsabantur, ne pueri, qui per ignem traducebatur, eiulatum pater audiret, eumque a manibus sacerdotum repeteret, impii parentes etiam ad tympanorum sonitum saltabant, ne eiulatum audirent, 2 Reg. XVI. 3. 2 Paral. XXXIII. 6. Ier. VII. 31. Existimant, si pater unum ex filiis traduceret, reliquos fore salvos, ac patrem in omnibus felicem. Lyrannus in comment. Levit. 18. ex rabbinis scribit, *Moloch fuisse idolum cupreum ad formam hominis factum, interius concavum, & in illa concavitate accensum fuisse ignem, quousque idolum esset, quasi ignitum, & tunc positum fuisse puerum inter manus idoli.* Ad hanc idololatriam abolendam rex Iosias locum illum contaminavit præcipiendo, ut in eum equorum, mulorum, aliorumque animalium cadavera ac sordes proiicerentur; *er hat den Ort zum Schindleich gemacht*, ne quis amplius ibi liberos suos comburere vellet. 2 Reg. XXIII. 10. Et *contaminavit* (Iosias) *Topheth, quod est, in valle filii Hinnom, ne quis traduceret filium suum aut filiam suam per ignem ipsi Moloch*; inde ibi erat perpetuus ignis, quo sordes & ossa cadaverum comburebantur, ex quo factum, ut μεταφορικως locus supplicii impiorum post mortem 1) *ignominiae*, 2) *cruciatus*, 3) *eiulatus*, 4) *horroris & ignis* ασβεστου causa vocaretur gehenna. Quidam addunt etiam *voraginis & hiatus* causa infernum conferri cum Topheth, sicut & Lutherus Esai. XXX. 33. Hebræum תפתה reddidit per *foveam*, sed rabbini memorant Tophet non fuisse obscurum quoddam specu vel foveam subterraneam, sed amœnam vallem, nisi quis statuere velit, progressu temporis, postquam Iosias locum illum contaminavit, foveam in eo fuisse factam. Sed Brocardus in descripto terræ sanctæ tradit, *vallem Gehinnon adhuc hodie esse loca amœnissima deliciis plena viridariis & hortis consita, irrigata a torrente Cedron.* Hieronymus in comment. Matth. X. tom. VI. p. 17. *Nomen gehennae in veteribus libris non invenitur, sed primum a Salvatore ponitur. Quaeramus ergo, quae sit huius sermonis occasio? Idolum Baal fuisse iuxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Haec vallis & parva campi planities irrigua erat & numerosa, plenaque deliciis, lucusque in ea idolo erat consecratus. In tantam autem dementiam populus Israël venerat, ut deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciae vincerent, filiosque suos daemoniis incenderent vel initiarent. Et adpellabatur locus ille gehennom, id est, vallis filii Hennon. Hoc regum volumen & paralipomenon & Hieremias scribunt plenissime. Et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Topheth & Baal, sed vocetur polyandrium, id est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & poenae perpetuae, quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur.* Christus in locis paulo superius citatis vocat *gehennam ignis*, quod utroque modo exponi potest, *ignis gehennalis, & gehenna ignea*, sive ardens, iuxta canonem idiotismi Hebraici: *Duo*

subſtantiva in ſtatu regiminis ſunt poſita, modo prius ſive regens, modo poſterius ſive rectum eſt loco adiectivi. Reliquas inferni adpellationes recenſet Galatinus lib. VI. de arcan. cap. 7. ubi ex rabbinis ſic differit: *In libro* ערובין *in cap.* עושין פסין *legitur, quod rabbinus Iehoſuas filius Levi dixit, ſeptem eſſe gehennae nomina, quae ſunt* שאול *infernus*, אברון *perditio*, בור שחת *puteus, vel lacus corruptionis*, Pſal. LV. 24. בור שאון *puteus, tumultus vel mugitus*, היון טיט *lutum fecis* Pſ. XL. 30. צל מות *umbra mortis*, Pſal. CVII. 14 ארץ התחתית, Deut. XXII. 22. *terra inferior*, vel ארץ תחתיה *terra contritionis ſive pavoris*, Pſalm. LXXXV. 13. Schindlerus in lexico in voce גוא addit, *infernum etiam a rabbinis vocari* ציה *ſiccitatem*; adducit enim dictum rabbinorum, *quod infernus infixus in terra ſeptem habitationibus* גהנם חפת אברון צלמות ציה שאול ארץ תחתיה

§. IX. Græcis infernus vocatur 1) ἀδης vel αἰδης de quo iam ante egimus in etymologia. Cognatum eſt nomini ἀδης ac αἰδης vox αις, de qua Varinus dicit, quod ſit compoſita παρα τω αφερητικω. 2) Ταρταρος, quod nomen in ſcripturis quidem non occurrit, ſed verbum ex eo formatum ταρταροω, *in infernum detrudo*, habetur 2 Petr. II. 4. Dictus autem ταρταρος ſecundum Varinum in lexico. col. 1733. & Euſtathium, οτι τεταρακται και κατεψυκται απο ων κατ ομηρον, περοεντα γαρ αυτα λεγει, ηγερθεις εϛιν ητοι σκοτεινος και ϖ λαμπεται, απρεν τοι υπογαιος και ανηλιος και δια τϖτο ψυχρος, quia *frigidus eſt & elegidus*, cum ſit ſolis & luminis expers, & ob id frigidiſſimus. Quidam vero inde dictum putant, οτι τειρει και δαμαζει απαντα, *quia domat omnia, & quod ſemel hauſit, fine ſpe reditus detinere conatur; vel quia* ταραττει, *perturbat & confundit omnia*, eſt enim in inferno mera αταξια, horribilis confuſio & perturbatio; vel etiam quia terret viventes, quis enim ad eius memoriam non extimeſcat? Stephano in theſaur. tartarus dictus videtur a ταρασσω vel δια το ταραχωδες εχει τϖ αερος, *vel quia opacis ſuis tenebris aut etiam frigore* ταρασσει και ταρβειν ποιει, id eſt, *exterrit & tremefacit.* 3) Γεεννα ſive γεενα, de qua voce diximus in nomenclatura Hebraica. 4) Αβυσσος, Luc. VIII. 31. Rom. X. 7. Apoc. IX. 1. XI. 7. XVII. 8. XX. 1. & 3. βυσσος eſt profundum mare Iliad. ω. ubi notant grammatici, βυθον ab Ionibus dici βυσσον, inde αβυσσος per pleonaſmum επιτατικον idem, quod αβυδος *imus ac profundiſſimus locus.* Suidas deducit a δυω, ſubeo, ingredior, ex quo per mutationem ſit βυω, futuro: βυσω, inde βυσσος & αβυσσος, quo nemo ob profunditatem ingredi poteſt. Quidam βυω exponunt tego, ut αβυσσος ſit *locus, qui a multitudine aquarum operitur.* Aretas in Apoc. hanc tradit etymologiæ rationem, quod profunditas illa maris non βεβυϛαι, *non eſt operta nec obturata, ſed magno hiatu ſemper pateat.* Quidam rectius putant αβυσσον dictam απο ϛερητικης μοριϖ α και βυσσος, ut ſit altitudo expers fundi. LXX. interpretes utuntur plerumque pro inexhauſta maris voragine, quæ Hebræis dicitur תהום, ſed in nov. teſtam. hoc nomine vocatur infernus, qui eſt quaſi altiſſima & profundiſſima quædam vorago omnes diabolos & damnatos olim in ſinum ſuum receptura. Sicut abyſſus non habet fundum, ſic damnatorum cruciatus non habet terminum. Præpoſtera eſt etymologia Alexandri Alenſis, qui abyſſum dictum putat α, quod eſt *ſine* & *byſſo*, quod eſt genus lini candidiſſimi, ut ſic abyſſus dicatur *quaſi ſine claritate.* Gerſon tractat. XI. ſuper cantic. Mariæ

ſeptem

septem ponit *abyssos*. Scholastici monent, *vocem abyssi accipi dupliciter*, 1) *proprie & literaliter, ut notet impenetrabilem profunditatem maris*, 2) *& metaphoricae, & quidem primo pro peccatis, qui sunt abyssus multa & tenebrosa nimis altam damnationis abyssum promerentibus. Secundo pro pœnis inferni, quo referunt illud Psalm. XLII. Abyssus abyssum invocat, id est, de iudicio conscientiae ire cogor ad iudicium damnationis. Tertio pro divinis iudiciis, quae sunt incomprehensibilia non tantum humano, sed etiam angelico sensu.*

§. X. Latinis infernus vocatur 1) *avernus*. Fuit autem avernus lacus Campaniæ in sinu Baiano, quem Cæsar repurgavit aqua eius adeo gravem exhalante odorem, ut aves supervolantes necaret, nomen inde videtur accepisse, quod avibus sit adversus, Servius in Maron. Hinc μεταφορικως a poetis ad infernum transfertur, ut constat ex illo Maronis.

—— *Facilis descensus averni,*
Sed revocare gradum & superas evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est, lib. VI. Æneid.

2.) *Orcus* quod itidem poëticum. Quidam derivant *ab urgendo*, sed rectius derivatur a Græco ορκος, quia dii per Stygiam paludem iurare a poetis finguntur. 3) *Barathrum* ex Græco βαραθρον fuit apud Athenienses supplicii locus, inde μεταφορικως ad infernum adcommodatur. Germanicum *Hælle*, quidam per αντιφρασιν dictum putant quasi *minime lucidum*, sicut parcæ quasi minime parcentes, & bellum quasi minime bellum dicitur. Rectius statuunt, qui a concavitate formant, *daß sie hohl und weit*, est enim tenebricosus & profundus ille carcer, in quem diaboli & omnes damnati ad æternas pœnas sustinendas in die iudicii proiicientur.

§. XI. Ad synonymiam pertinent *paraphrasticae* descriptiones inferni, quarum quædam sunt *propriae*, quædam vero & quidem pleræque omnes *metaphoricae*; quædam a *subiectis*, quædam vero ab *adiunctis* petitæ. Vocatur enim infernus *captivitas*, Psal. LXVIII. 19. Eph. IV. 8. *lacus sine aqua*, Zach. IX. 11. *lacus sine aqua*, Zach. IX. 11. φυλακη, *carcer, in quo novissimus quadrans persolvendus*, Matth. V. 26. Luc. XII. 58. 1 Petr. III. 19. αυλη; *aula & palatium Satanae*, Luc. XI. 21. καμινος τυ πυρος, *caminus ignis, ubi erit fletus ac stridor dentium*, Matth. XIII. 42. τοπος τυ βασανυ, *locus tormentorum*, Luc. XVI. 28. *lacus ac torcular irae*, Apoc. XIV. 19. λυμνη τυ πυρος και θειυ, *stagnum sulphuris & ignis, in quo cruciabuntur damnati die ac nocte in secula seculorum*, XX. 10. 14. & 15. η λυμνη η καιομενη πυρι και θειω, *stagnum ardens igne & sulphure* XXI. 8. Cumprimis vero luculenta descriptio inferni exstat Esai. XXX. 33. *Dispositus est ab heri tophet sive fovea, etiam ipsa regi praeparata est, profundam fecit, dilatavit, pyra eius ignis & ligna multa erunt, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam.* Tribuitur inferno ac damnatis in eo constitutis *vermis & ignis*, Esai. LXVI. 24. Marc. IX. 44. *opprobrium & contemtus sempiternus*, Dan. XII. 2. πυρ ασβεστος, Matth. III. 12. σκοτος εξωτερον, Matth. XXII. 13. *ignis aeternus paratus diabolo & angelis eius*, Matth. XXV. 41. Iud. v. 7. κολασις αιωνιος, *supplicium aeternum* v. 46. *interitus aeternus*, 2 Thess. I. 9. κριμα αιωνιον, *aeterna damnatio*, Hebr. VI. 2. σειραι ζοφυ, 2 Petr. II. 4. ζοφος τυ σκοτυς, v. 17. Iud. v. 6. &

13.

13. *mors secunda & aeterna*, Apoc. II. 11. XX. 6. XXI. 8. &c. quorum dictorum emphasin in sequentibus expendemus. Apud veteres hæ occurrunt descriptiones: Iustinus apol. II. pro christian. p. 51. *η γεεννα εστι τοπος, ενθα κολαζεσθαι μελλουσιν οι αδικως βιωσαντες, και μη πιστευοντες ταυτα γεγενησεσθαι, οσα ο θεος δια των χριστων εδιδαξε.* Tertullianus in apologet. cap. 49. *Infernus est ignis arcani subterraneus ad poenam thesaurus.* Auctor libri de tripl. habitac. cap. 1. *Infernus est locus plenus tenebrarum & stultitiae, offensionis, discordiae, odii, amaritudinis, doloris, tristitiae, turpitudinis, miseriae & vindictae ineffabilis, in igne inextinguibili, denique omnis mali, quod nec dici nec cogitari potest.* Haymo in Oseæ: XIII. *Infer est locus, in quo animae recluduntur ad poenas pro qualitate meritorum.* Anshelmus lib. I. de imag. mundi cap. 11. *Infernus est locus igni & sulphure horridus, inferius dilatatus, superius coangustatus. Hic lacus vel terra mortis dicitur, quia animae illuc descendentes veraciter moriuntur. Hic & stagnum ignis dicitur, quia ut lapis mari, ita animae illuc immerguntur. Terra tenebrosa vocatur, quia & fumo & nebula fœtoris obscurabit. Terra oblivionis, quia sicut ipsi obliti sunt Dei, sic eorum oblivisceetur misereri Deus. Tartarus ab horrore & tremore, gehenna, id est, terra ignis.* Varinus in lexico col. 35 *αδης χωριον αφεγγες και σκοτος αιωνιω πεπληρωμενον, infernus est locus & lacus perditionis animae & corporis.* Thomas lib. II. sent. dist 6 q. 3. *Infernus est horridus, tenebrosus & pœnalis locus daemonum.* Hebraei vocant מקם למתים domum mortuorum, æterna scilicet morte.

CAPVT II.

AN SIT INFERNVS?

An sit infernus? adfirmativa probatur 1) Ex scriptura ex vet. testam. 1) Ex Mose.

§. XII. Ab *ονοματολογια* transitum facimus ad *πραγματολογιαν*, in qua primo loco occurrit quæstio *περι του οτι, an sit infernus?* Esse infernum, contra Epicuræos & empæctas demonstramus: 1) Ex *manifestis scripturae dictis* tam vet. quam nov. test. Dicta vet. test. petita sunt: 1) ex *Mose.* Num. XXIV. 20. *Principium gentium Amalec & novissimum eius* עדיאבד *in seculum perit.* v. 24. *Chittim in seculum peribunt.* Targum reddidit, *finis eius in aeternum peribit, vel finis eius erit, ut in aeternum pereat.* Prædicitur ergo Amalecitis & omnibus ecclesiæ hostibus ac persecutoribus æternum exitium, nisi a furore suo desistant, & ad Deum convertantur. Deut. XXXII. 22, *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit* ערשאול תחתית, *usque ad infernum inferiorem.* Ira Dei, quæ est ignis consumens, non tantum temporalibus, sed æternis & infernalibus pœnis impios afficit. Glossa in libro tanhuma באפי *in naso vel furore meo* exponit *in medio gehennae*, sicut consequenter dicitur: *& ardebit usque ad infernum inferiorem.* Targum: *Incendium forte sicut ignis egressum est a facie mea, & consumsit usque infernum inferiorem.* Hieronymus in comm. Esai. LXV. *Testimonii illius* Deut. XXXII. *sensus est, quod ignis Dei atque vindicta semper ardeat pec-*

peccatoribus, & eos usque ad inferos persequatur. Qualis erat & dives ille in evangelio purpuratus, qui aeternis torquebatur ardoribus. Terram quoque, hoc est, carnem nostram & genimina eius, hoc est, carnis desideria eadem flamma comburet, & fundamenta montium, quae se elevant contra Dei scientiam. Ipsos quoque montes Dei iacula disperdent, ut humiliati in poenis montes esse desistant. Gregorius lib. XVIII. moral. cap. 12. *Impiis flagella ab hac vita inchoant, & in aeterna percussione perdurant, unde per Mosen dicit Dominus: Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usque ad inferos deorsum. Quantum ad praesentem etenim percursionem spectat, recte dicitur: ignis exarsit ab ira mea Quantum vero ad aeternam damnationem, apte mox subditur: & ardebit usque ad inferos deorsum.* Procopius, Rupertus, & alii utrumque ad inferni poenas referunt, dicitur enim hic *ignis succensus*, quia in Dei praescientia & decreto praeparatus est, ut suo tempore diabolos & impios exuret, Matth. XXV. 41. Dicitur *succensus in furore Domini*, quia ira & iustum Dei iudicium poenas illas infligit impiis. Dicitur ignis *ille arsurus usque ad inferni novissima*, quia ira & ultio Dei non solum in hac vita, sed etiam in futura involvit impios poenis promeritis. Dicitur *terram devoraturus & montium fundamenta combusturus*, quia in die iudicii *terra, & quae in ea sunt opera*, hoc igne iræ divinæ exurentur, 2 Petr. III. 10.

§. XIII. 2) *Ex Iobo.* Iob. VII. 9. *Sicut deficit nubes & abit, sic descendens in infernum non adscendit.* Mercerus accipit שאול *pro sepulcro*, ut sit sensus, eum, qui semel mortuus, non revivisscere, scilicet iuxta naturam. Sed potest etiam haud incommode adplicari ad *infernum*, ex quo nulla redemtio. *Quos enim semel in locis poenalibus iustitia iudicantis damnat, eos nequaquam ultra misericordia parcentis liberat.* X. 20. *Dimitte, cessa a me, & confortabo me paululum,* v. 21. *antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrarum & umbrae mortis,* v. 22. *terram obscuritatis sicut caligo umbrae mortis, & non sunt in ea ordines, & tenebrescet sicut caligo, vel quod in ea splendidum est caligini simile.* Plerique interpretes accipiunt de morte corporali, per quam homines tentati ac desperabundi videntur sibi ingredi regionem tenebris & densissima caligine obsitam, in qua non sunt vices diei ac noctis, aestatis & hyemis, caloris & frigoris, ortus & occasus siderum, sed mera caligo & confusio &c. Sed Gregorius lib. IX. moral. cap. 46. (alias 38.) accipit ut descriptionem inferni: *quid terrae tenebrosae nomine* (inquit) *nisi tetra carceris claustra signantur? quae aeternae mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitae luce disiungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominantur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam poena transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuae damnationi servant &c. Sanctus vir sive sua, sive humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam, qui culpam deflet, iturus est, sed quia ad hanc procul dubio, qui plangere negligit, vadit, sicut debitori suo creditor dicit: solve debitum, priusquam pro debito constringaris, qui tamen non constringitur, si quod debet solvere, non moratur &c. Quae adhuc loca subtilius describuntur, eum dicitur terra miseriae & tenebrarum. Miseria ad dolorem pertinet, tenebrae ad caecitatem. Ea ergo, quae a conspectu districti iudicis expulsos tenet, miseriae & tenebrarum terra dicitur, quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero lumine caecitas obscurat. Quam-*

2) *ex Iobo.*

vis miseriae & tenebrarum terra intelligi & aliter possit. Nam haec quoque terra, in qua nascimur, est quidem miseriae, sed tenebrarum non est, quia multa hic corruptionis nostrae mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus, veritate suadente: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. *Illa vero simul & miseriae & tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda eius mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redit. In cuius adhuc descriptione subiungitur*: ubi umbra mortis & nullus ordo. *Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas divisionis, quia damnatus quisque cum aeterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura ignis est, ut ex seipso exhibeat lucem & concremationem sed transactorum ultrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet.* Cap. 47. (alias 39.) *Abesse ordo supplicii dicitur, quia quibuslibet rebus in poenam surgentibus propria qualitas non servatur. Unde & protinus subinfertur*: Et sempiternus horror inhabitat: *in huius vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam coeperit, quod metuebat. Infernum vero & umbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat, quia eius ignibus traditi & in suppliciis dolorem sentiunt & in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut, & quod timent, tolerent, & rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic flamma, quae succendit, illuminat, illic ignis, qui cruciat, obscurat. Hic metus amittitur, cum tolerari iam coeperit, quod timebatur; illic & dolor dilatat & pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscu itate.* Eodem modo hunc locum Iobi exponunt Ambrosius Ansbertus lib. VII. in Apocol. XVI. & Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 4. Cap. XX. 18. *Luet, quae fecit omnia, nec tamen consumetur, iuxta multitudinem adinventionem suarum, sic & sustinebit.* Gregorius lib. XV. moralium cap. 11. ad poenas damnatorum refert. *Persolvit*, inquit, *in tormento ea, quae hic illicita servavit desideria, & flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in vita servatur &c. sed quia multitudo iniquitatis eius exigit, ut carere suppliciis nunquam possit, apte subiungitur*: iuxta multitudinem adinventionum sustinebit. *Qui enim multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in poena &c.* sed in Hebræo paulo aliter legitur.) v. 26. *Venient super impium omnes horribiles tenebrae absconditae, & devorabit eum ignis* לא נפח, *non sufflatus*, qui non accenditur, opera scilicet hominis. In sensu literali accipitur de poenis huius vitæ, quod igne cœlitus delapso exempla iræ divinæ in impios quandoque statuantur, Gen. XIX. 2. Reg. 1. quia statim sequitur: *conteretur superstes in tabernaculo eius.* Sed quia poenæ temporales, quæ impiis in hac vita irrogantur, sunt initia atque indicia æternarum poenarum, & quia v. 27. additur: *detegent caeli iniquitatem eius &c.* ideo Chaldæus & Rabbinus Salomon accipiunt de *igne gehennae*, quo etiam respexisse videtur Pagninus, quando vertit, *ignis inexstinguibilis*, quod est epitheton *infernalis ignis* proprium Matth. III. 12. Innocentius III. lib. III. de contemtu mundi cap. 6. *Ignis gehennae nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inexstinguibilis, scriptum est enim: devorabit eos ignis, qui non succenditur.* Cap. XXI. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & momentum ad infernum consternantur.* Quidam secuti paraphrasten Chaldæum שאול exponunt

ponunt *pro sepulcro*, ac יחתו exponunt per וירדו *descendunt*, a radice נחת, ut sit sensus: impii per totum vitæ suæ cursum sunt albæ gallinæ filii, & exoptatis rerum successibus fruuntur, quin & in ipso mortis agone non torquentur diuturnis doloribus non conficiuntur lento morbo, sed repente & suaviter moriuntur facilimo mortis genere hinc abrepti. Sed Lutherus noster ad infernum retulit: *sie erschreken kaum ein Augenblik für der Hölle*, hoc est, vivunt in supina securitate, nec de morte, nec de inferno cogitantes, qua ratione verbum יחתו formatur a radice חתת *consternavit*, ut *dages* suppleat ת geminandum. Vulgatus interpres reddidit: *in puncto ad infernum descendunt*. Cap. XXIV. 19. *Vt siccitas & calor rapiunt aquas nivis, sic sheol eos qui peccaverunt*. Quidam conferunt cum loco præcedente, & exponunt sheol pro *sepulcro*, hoc sensu, quod impii facilime & suavissime moriantur, ita ut nihil fere doloris aut cruciatus sentiant, sicut ariditas & calor quam citissime absumunt aquas nivis. Rabbinus Salomon exponit de *hominibus antediluvianis*, quod peccatorum suorum atrocitate ordines & vices anni ac temporum perverterint, sic enim vertit, *siccitatem, calorem & aquas nivales mundo eripiunt impii, quia peccant in infernum, hoc est, quia peccata admittunt inferno & gehenna digna*. Simplicissime sic exponitur, quod sicut siccitas & calor repente absumunt aquas nivis, sic infernus impios repentina morte abreptos in momento deglutiat. Vulgata reddidit: *ab aquis nivium transeat ad calorem nimium usque in infernum peccatum eius*. Illud itidem ad inferni pœnas adplicant Augustinus in lib. de triplici habitaculo cap. 2. & ex eo Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 8. *Transibunt de aquis ad calorem nimium, ut subita contrariorum mutatio graviorem inferat cruciatum. Experimento cognovi, quod adustus, si frigidum statim adhibeat, ardentiorem sentiet cruciatum*. Durandus lib. IV. sent. dist. 44. q. 10. eodem sensu accipit, sed Hebræa aliter habent. Cap. XXVI. 6. *nudus infernus coram Domino*. Cap. XXVIII. 22. *Infernus & mors dixerunt &c.* Confer quæ §. 8. superius dicta. Gregorius lib. XVII. moralium cap. 12. *inferni & perditionis nomine diabolum omnesque damnationis eius socios* hoc loco intelligi arbitratur. Cap. XXXI. 12. *Ignis est devorans usque ad perditionem*. Loquitur de pœna adulterii, quod concitet iram divinam, quæ exardescens omnes facultates absumit ac perdit, sed quia ira ista, nisi sequatur conversio, *devorat usque ad inferni novissima*, Deut. XXXII. 22. ideo LXX. interpretes referunt ad infernum: πυρ εστι καιομενον επι παντων ημερων, alii legunt μελων, μερων. Cap. XXXVIII. 17. *Numquid detectae sunt tibi portae mortis, & portas umbrae mortis vidisti?* Quidam posterius putant esse εξηγητικον prioris hoc sensu: *num in manu tibi sunt rationes, quibus hominum quisque moritur, num varia mortis genera, quibus singuli intereunt, perspecta habes, quis sit status mortuorum, quae natura locorum subterraneorum terra caligine obductorum quam maxime a nostro conspectu remotorum, quid illic fiat?* Sed potest posterius membrum haud incommode accipi de gehenna, quæ nobis maxima ex parte ignota, si de speciali & scientifica singularum circumstantiarum notitia agatur.

§. XIV. 3) Ex *psalmis*. Psalm I. 4. *Impii sunt tanquam pulvis, quem proicit ventus*. Hilarius in enarr. huius loci:

3) *Ex psalmis.*

Non est impiis comparativae huius beatitudinis spes relicta, sed vagum eos, obtritum, ventilatum, dispersum & inquietum manet, ut ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi ludibrio pulveris differantur in poenam, non in nihilum dissoluti, ut sit in his materies poenalis, sed in inane ac leve, aridumque protriti, ut ludibriosa poenae mobilitate iactentur. Cuius poenae & loco alteroidem propheta meminit, dicens: Comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo illos. *Comparatio itaque ut beatitudinis, ita & poenae constituta est. Quomodo enim nullus labor est vento pulverem dissipare, & quomodo lutum in plateis ingredientes prope calcasse non sentiunt: ita poenae illi inferni facile est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio & in lutum solverit & comminuerit in pulverem, non relicta neque substantia firmitatis, cum pulvis & lutum sint, & per id quod pulvis & lutum sunt, in naturam tantum poenalis substantiae reservatur.* Lutherus tom. II. Lat. f. 7. *Impii in novissimo die turbinibus aeternis intolerabilis irae Dei pellentur, dispergenturque nunquam requiem habituri, ne ad momentum quidem.* Psal. VII. 13. *Dominus tetendit arcum suum & paravit illum*, v. 14. *& ei parare fecit vasa mortis, sagittas suas in ardentes operabitur.* Describuntur tres gradus divinae ultionis: Primo, *Deus quotidie irascitur*, hoc est, per conciones legales iram suam ac poenas populo peccanti denunciat. Quod si non sequatur conversio, tum *Deus gladium suum acuit, arcum tetendit, firmavit illum collimando, & paravit sibi instrumenta mortis.* Hic est secundus vindictae divinae gradus complectens conciones reales, hoc est, omnis generis temporales poenas impiis immissas, quales sunt bellum, pestis, fames &c. Quod si ne istis quidem impii emendantur, restat ultimus ultionis gradus, videlicet ignis infernalis, de quo dicit psaltes: *Sagittas suas efficiet inardentes*, hoc est, parabit eiusmodi spicula, quae igne infernali nunquam delebili & inexstinguibili ardent. Gesnerus in comm. illius Psalmi. Psal. IX. 18. *Convertantur impii in scheol, omnes gentes Dei immemores.* Quidam exponunt *de sepulcro*, sed impios manet non solum temporalis, sed etiam aeterna mors in inferno. Ps. XI. 6. *Pluet Dominus super impios laqueos, sulphur & ignem & spiritum procellarum partem calicis eorum.* In Sodomitico incendio, quod fuit praeludium quoddam ignis infernalis, pluit Dominus sulphur & ignem, Genes. XIX. 24. eadem poena in die iudicii opprimet omnes impios. Innocentius III. lib. III. de contemtu mundi cap. IV. *Poenae infernales secundum diversa peccata sunt diversae. Prima poena est ignis, secunda frigoris, tertia foetoris. De his tribus dicitur in psalmo: Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.*) Psal. XXI. 9. *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, inveniet odio habentes te.* v. 10 *Pones eos ut clibanum ignis in tempore irae tuae. Dominus in naso suo deglutiet eos, & perdet eos ignis.* Ira divina, ignis instar absumens impios non tantum in hac, sed etiam ac vel maxime in futura vita ardet. Psalm. XXVIII. 1. *Ad te Domine clamavi, ne sileas a me & adsimiliter descendentibus* בור, *in lacum vel puteum*, infernalem; additur enim v. 3. *ne tradas me cum impiis*, ac superius ostendimus inter inferni adpellationes a rabbinis etiam hanc referri. Psalm. XXXI. 18. *Erubescant impii, & convertantur in infernum.* XXXIV. 22. *Mors peccatorum pessima.* In Hebraeo est *occidet impium improbitas* quod non solum de temporali, sed etiam aeterna morte recte accipitur.

XLIX.

XLIX. 15. *Sicut pecora in inferno ponentur, mors depascet eos, infernus erit habitaculum ipsorum.* v. 20. *Usque in aeternum non videbunt lumen.* Agitur de impiis, quos æterna manet damnatio, describitur autem in his verbis: 1) *damnatorum multitudo*, sunt instar magni & copiosi cuiusdam gregis, 2.) *cruciatuum magnitudo*, ducentur non ad amœna pascua, sed ponentur in inferno, non depascent virentia gramina rore divinæ gratiæ conspersa, sed mors ipsos depascet, 3.) *cruciatuum longitudo.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 9. *Dictum est hoc a simili iumentorum, quae non radicitus evellunt herbas, sed summitates solummodo carpunt, ut iterum herbae renascantur ad pastum: sic & impii quasi morte pasti, reviviscent ad mortem, ut aeternaliter moriantur.* Psal. LV. 16. *Mors debitum ab eis exigat, descendant vivi in infernum*, sicut Core, Datan & Abiran. Num. XVI. Psalm. LVIII. 9. *super eos cecidit ignis, & non viderunt solem.* Gregorius lib. IX. moral. cap. 38. ad infernum adcommodat: *Ignis*, inquit, *super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehenna flamma devorat, a visione veri luminis cæcat, ut & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret.* Verum in Hebræo aliter legitur: *Sicut limax diffluit, sic praeteribit: sicut abortivum mulieris non videbunt solem.* Psalm. LXIII. 10. *Introibunt* בתחתיות הארץ, *in inferiora terrae.* Quidam referunt ad infernum, sed rectius videtur accipi de *sepulcro*, additur enim v. 11. *pars vulpium erunt*, quia vulpes corporibus defunctorum in sepulcralibus cavernis solent insidiari. Psal. LXXV. 9. *Feces irae divinae sorbebunt, & bibent omnes impii terrae.* Pii in hac vita paterne castigantur, & ex populo crucis exiguum quemdam haustum, qui tamen ipsis salutaris est, bibunt, sed impii feces iræ divinæ coguntur exhaurire, quæ æternum exitium in inferno ipsis inferunt. Psalm. LXXXXI. 8. *Oculis tuis adspicies, & retributionem impiorum videbis.* Bernhardus serm. VIII. in Psalmum: *Qui habitat*, refert ad retributionem, quæ fiet impiis ad infernum damnatis in die novissimo. *In illa* inquit, *tanta separatione quemadmodum haedis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet, sic electis e regione consideratio reproborum immensa quaedam materia gratiarum actionis & laudis. Unde enim iusti tam magnifice gratias agerent, nisi cum illa excogitabili felicitate, qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent iniustorum, a quibus sola misericordia Redemtoris sese esse segregatos fidelissime & devotissimi recordantur? Unde vero impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summae beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos sese fœtores, in illos horrores, in illos aeterni incendii eructatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? &c.*

§. XV. 4) Ex *Salomone.* Prov. IX. Adulter *ignorat, quod ibi sint mortui & quod in profundis inferni convivae eius*, non cogitat, quod vagæ & illicitæ libidines temporales & æternas pœnas homini accersant. Prov. XV. 11. *Infernus & perditio coram Domino.* (Confer quæ dicta sunt §. 8.). v. 24. *Via vitae est desuper intelligentem ut declinet ab inferno inferiori.* XIX. 29. *Parata sunt derisoribus iudicia, & percussiones corpori stultorum.* Epicuræi & empaetæ, quos Salomon hic adpellat לצים sero tandem infernum esse experimento credent, qui vitam æternam credere

4) *Ex libris Salomonis*

noluerunt. Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 4. *inter pœnas infernales* recenſet, *malleos percutientes*, quod probat ex hoc dicto Salomonis, quod hisce adlegat verbis: *Parata ſunt damnationis iudicia blaſphematoribus & percutientes mallei ſtultorum corporibus.* Cap. XXIII. 14. *Si filium percuſſeris virga, ab inferno eruet animam eius;* dum ab impietate eum pia correctione abſtrahis, & verum Dei timorem ipſi inſtillas, prohibes, ne in tartarum infernalem incidat. Cap. XXVII. 20. *Infernus & perditio non ſaturantur.* Cap. XXX. 16. *Tria ſunt inſaturabilia, infernus, matria ſterilis &c.* Paræus in comm Geneſ. 37. de *ſepulcro* mavult exponere, eo quod *infernus ſatietur, cum non omnes homines, ſed ſoli impii in inferno abſorbeantur, terra autem non ſatietur, cum omnes homines boni & mali cogantur mori & ſepeliri.* Atqui Salomon non loquitur de *effectu* ſeu eventu, ſed de *adfectu*, quem προσωποποιικως inferno tribuit. Quamvis enim multi deſcendant in infernum, tamen infernus illis non ſatiatur, ſed ſemper plures expetit, quia diabolus, inferni princeps, plures in damnationis conſortium pertrahere ſemper deſiderat & conatur. Si de eventu loqueretur rex ſapiens, etiam de ſepulcro dici poſſet, quod tandem ſatietur, quia in die noviſſimo mors, noviſſimus ille hoſtis, deſtruetur, 1 Cor. XV. 26. Beda in comm. Proverb. 30. monet, quosdam per infernum ibidem intelligere *diabolum*, qui inſatiabilis eſt de ſeductione humana. Cant. VIII. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus aemulatio.* Zelotypia ſimilis eſt inferno, ſicut enim infernus eum, quem ſemel corripit, perpetuo torquet: ſic zelotypiæ furor, ubi alicuius animum occupaverit, nunquam exſtinguitur aut remittitur. Gloſſa in h. l. *Dura ſicut infernus aemulatio, quia Dei amor nullius hoſtium tentamentis a noſtrae ſalutis cura revocari potuit, ſicut infernus nullis miſerorum cruciatibus mitigatur, nec a ſeveritate ſuae ſententiae mutatur, quanto auſterior comparatio, eo acrior zelantis eos Domini commendatur adfectus.*

§. XVI. 5) Ex prophetis. Eſai. V. 14. *Propterea infernus dilatavit animam ſuam, & aperuit os ſuum praeter morem, & deſcendet decorus & multitudo eius, & turba eius & cætus eius ad eum.* Quidam accipiunt de *ſepulcro*, quod hiante quaſi ore prædam expetat ac devoret; ſed quia de pœna impiorum ibi agitur, ideo poteſt etiam de inferno accipi, in quem impii poſt mortem deſcendunt. Hieronymus in comm. illius loci: *Infernus animam habere dicitur, non quod animal ſit, ſed quod verbis humanae conſuetudinis rerum inſenſibilium exprimamus adfectum, quod inſatiabilis ſit, & nunquam mortuorum multitudine expleatur.* XIV. 9. *Infernus deorſum conturbatus eſt propter te in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi mortuos, omnes hircos terrae, ſurgere fecit de ſoliis ſuis omnes reges gentium.* v. 10. *Omnes iſti dabunt reſponſa & dicent ad te: Etiam tu vulneratus es ſicut nos, nobis adſimilatus es.* v. 11. *Depreſſa eſt ad infernum ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes &c.* Quidam hanc proſopopoeiam de mortuis exponunt, quos rex Babylonis aut e regno depulerat, aut vita ſpoliaverat, qui finguntur Babylonio poſt mortem adſurgere, & eum in conſortium ſui non ſine quodam ſarcaſmo recipere. Vatablus, Arias Montanus, Sanctius &c. Sed Hieronymus in comment. rectius accipit de regibus impiis gehennæ carceri mancipa- 5) Ex prophetis.

cipatis, qui introducuntur regi Babylonio adsurgere, ac cum ipsi graviter torqueantur, regi tamen Babylonis in tormentis primum locum concedere; additur enim v. 13. *Dixisti in corde tuo, cælum adscendam.* v. 15. *Veruntamen ad infernum deprimeris, in profundum laci;* hoc est, putabas super astra in cœlo tibi deberi locum, sed ad infimum usque infernum detraheris, qui æternum est damnatorum domicilium. Periret vero illa oppositio summæ gloriæ & extremæ ignominiæ, si per *scheol* intelligeretur sepulcrum. Adde quod rex Balthasar, de quo potiores interpretes hunc locum accipiunt, non fuerit sepultus, sed inter occisorum cadavera computruerit. XXIV. 22. *Visitabit Dominus etiam super reges, & congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* Videri poterant impii Reges iudicii & pœnæ expertes, cum in hac vita superiorem iudicem agnoscere nolint; Deus igitur per prophetam minatur, quod nulla habita regiæ potestatis ac splendoris ratione etiam ipsi in die iudicii sint iudicandi & puniendi, adeoque cum humili plebecula in eumdem supplicii locum detrudendi. *Peribunt*, inquit, *reges terræ & ad falcem sive cumulum aliorum, qui sunt in lacu, & æterno carcere congregabuntur.* Haymo in comm. *Congregabuntur congregatione unius fascis, ut qui pares sunt in culpis, damnentur pariter & in pœnis. Avaritiam avaris, luxuriosis luxuriosis &c.* XXV. 10. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro, & extendet manus suas in medio eius sicut natans ad natandum, & humiliabit superbiam eius cum brachiis manuum eius.* Quidam de temporali Moabitarum excidio hoc vaticinium accipiunt, quia sequitur v. 12. *Et munimenta sublimium murorum tuorum corrient;* sed quia in præcedentibus de æterna beatorum felicitate & gloria propheta egerat, ideo hæc verba non absurde ad æternum impiorum exitium, quod verbis huius seculi & a clade temporali petitis in sacris literis describi solet, referuntur. Per Moab igitur συνεκδοχικως usitato Hebraismo intelliguntur omnes ecclesiæ hostes, sicut Esavi & Babylonis nomine iidem quandoque designantur. Hic ergo Moab *sub pedibus Dei*, iusti iudicis ac vindicis, cuius manus omnes lacrimas ab oculis beatorum absterget, *conculcabitur ac comminuetur ut palea*, quæ sub ferrato carpento in orientis provinciis minutissime concidi ac conteri consueverat, ut animantium esui esset apta, hoc est, impii instar paleæ ab ira divina conterentur, ut sint materia ignis inexstinguibilis, Matth. III. 12. Hebræum מר מנרה Pagninus, Vatablus & alii reddunt *per fimetum ac sterquilinium* a radice דמה, *silentium*, quia quæ fœda & turpia sunt, non nominantur, sed silentio involvuntur, sic ergo erit sensus: sicut paleæ in sterquilinium proiectæ pedibus conculcantur, sic impii a facie Dei in infernalis fœtoris sordes abiecti omnium contemtui exponentur. Quod additur: *Extendet manus suas sicut natans ad natandum*, illud frustraneum ex pœnis infernalibus eluctandi conatum exprimere videtur. Quemadmodum enim in medio mari submersus frustra manus suas ad natandum extendit, ut ad littus appellere possit, subinde enim a fluctibus corripitur ac demergitur: sic qui in infernalem abyssum detrusi quantiscunque liberationem suam quærant conatibus, ac dolorum suorum lenimentum quærant, frustra tamen se laborare intelligent. Esai. XXX. 33. *Dispositа est ab heri topheth, etiam ipsa regi præparata est, profundam fecit eam, dilatavit, pyra eius ignis*

ignis & lingua multa erunt, *flatus Domini sicut torrens sulphuris ardentis in ea*: Sanctius in comment. exponit de ingenti illa strage, quam *rex Assyriorum* prope Ierusalem in valle Tophet accepit; interim non potest nec audet repudiare communem patrum expositionem, qua de inferno hic locus propheticus exponitur. In eum enim omnia aptissime conveniunt, quæ hoc loco a propheta recensentur: 1) *adpellatio.* Nomen *tophet* inferno tribui ostendimus superius, ubi etiam causam huius nomenclaturæ exposuimus. 2) *Causa efficiens*; fovea illa *praeparata est ab heri.* Phrasis *ab heri* duplici modo in scripturis usurpatur: a) pro *tempore proxime antegresso* Iob. VIII. 9. Psalm. XC. 4. b) pro *tempore longinquo*, quo sensu hoc loco, usurpatur. *Ab heri praeparata est fovea*, hoc est, a tempore longinquo, imo ab æterno, quia *heri* omne tempus, quod antecessit, imo ipsam æternitatem significat, cum in æternitate quodcunque seculorum spatium sit quasi dies hesterna, Heb. XIII. 8. Qua vero ratione, quove sensu infernus dicatur *praeparatus ab aeterno*, postea explicabimus. Quidam statuunt pœnarum æternitatem & continuam atrocitatem indicari, quia ad pœnarum in inferno finem non magis acceditur post multorum seculorum decursum, quam si *heri*, id est, recenter essent inchoatæ, ac pœnæ illæ semper erunt novæ ac recentes, nec minor est earum horror, nec minus excruciant post immensa multorum seculorum spatia, quam cum primum illas damnati experiri cœperunt. 3) *Obiectum*; fovea illa *etiam regi* præparata est. Loquitur propheta ῥητῶς in sensu literali specialiter de *rege Assyriorum Balthasare*, insigni ecclesiæ persecutore; sed potest etiam συνεκδοχικῶς, in *genere* adplicari ad reges impios, præsertim ecclesiæ hostes & persecutores, ἀλληγορικῶς καὶ μυστικῶς transferri potest ad *diabolum, qui est rex super universos filios superbiae*, Iob. XLI. 25. illi enim cumprimis hic *ignis paratus*, Matth. XXV. 41. 4.) *Structura. Profundam fecit, dilatavit eam*; hoc est, locus inferni capiendis omnibus impiis sufficiens est; ex profunditate etiam eius caligo significatur, quia loca terræ profunda sunt caliginosa. Potest insuper dilatatio inferni sic exponi, quod *dilatatum habeat os suum ad deglutiendos damnatos*, Esai. V. 14. 5) *Materia.* Nutrimenta eius ignis *& ligna multa.* Hoc pii veteres exponunt *de peccatis.* Cæsarius homil. XXXVIII. *Peccatores homines erunt ligna inferni.* Thomas de Kempis lib. de imitat. Christi cap. IV. *Quid enim aliud devorabit ille ignis, quam hominum peccata?* 6) *Duratio. Flatus Domini sicut torrens sulphuris ardentis in ea.* Non deest huic igni materia, quia multa ligna præsto sunt, nec deest, qui eum sufflet & accendat, quia ira Domini manens super impios flatu suo tanquam torrens sulphuris hunc ignem accendet, & in omnem æternitatem fovebit. Loquitur propheta ἀνθρωποπαθῶς de Dei ira. Quando ignem succendere cupimus, ligna adponimus, & flatu subiectas favillas excitamus; sic Deus dicitur stagnum sulphuris infernalis flatu iræ suæ accendere, ut in æternum ardeat. Quemadmodum flatus hominis sive ventus non efficit ignem, sed latentes in cineribus favillas accendit; sic materia ignis infernalis ut sic loquamur, est in ipsis diabolis & hominibus damnatis, videlicet ipsorum peccata, Deus ut iustus iudex ac vindex illum ignem flatu suo accendet. Hieronymus in comm. huius loci etiam præcedentia verba v. 32.

ad

ad impiorum damnationem adcommodat: *Erit tranſitus virgae fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum*; hoc eſt, nequaquam eum virga percutiet, & rurſus eam levabit, ac more cædentium finem faciet verberandi, ſed quaſi fundatam & alta radice defixam in pœnis eius faciet permanere.) Eſai. XXXIII. 11. *Spiritus veſter ut ignis vorabit vos.* Quidam ex veteribus adplicant ad *infernum*; ſed in ſenſu literali agitur de conatu Aſſyriorum non tantum inani & fruſtraneo, ſed etiam ipſis noxio. Ignis, quem animo concepiſtis non tam Hieroſolymam quam vos ipſos inflammabit. v. 14. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Supplicium, quod ab igne cœleſti Aſſyriorum caſtris divinitus immiſſum, fuit præludium ignis infernalis & æterni omnibus impiis parati, ideo propheta ad illius meditationem auditores ſuos revocat. Adpellat eum *ignem devorantem*, ut efficaciſſimam urendi vim in eo eſſe doceat, *ac ſempiternum*, qui nunquam exſtinguetur, quibus proprietatibus ab igne, quo Aſſyrii conſumti ſunt, longiſſime diſtinguitur. XXXIV. 8. *Dies ultionis Domini.* 9. *convertentur torrentes eius* (Edom) *in picem, & humus eius in ſulphur, & erit terra eius in picem ardentem.* v. 10. *Nocte & die non exſtinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus eius.* Quidam ex veteribus adplicant ad *ignem infernalem*, qui eodem vere modo deſcribitur Apoc. XIV. 10. & 11. ſed ut ex antecedentibus & conſequentibus intelligitur, in ſenſu literali agitur tum de *Idumaeorum ſtrage*, quam propheta comparat materiæ, quam cito flammam concipit, & eamdem diu conſervat, pici ſcilicet ac ſulphuri, tum de *terrae Idumaeae deſolatione*, quam futuram dicit, ſicut regiones illæ, quæ pice, ſulphure, aut alia materia combuſtibili abundant, & propterea perpetuis ignibus fumant. Eſai. L. 11. *Ecce vos omnes accendentes, ignem accincti flammis, ite in flammam ignis veſtri, & in flammas, quas ſuccendiſtis, de manu mea factum eſt hoc vobis, in anguſtia iacebitis.* Denunciatur hoſtibus eccleſiæ interitus & damnatio, quod ſint conflagraturi illo igne, quem ſuis peccatis accenderunt. LXIII. 3. *Calcavi populos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & adſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta.* Conſer Apoc. XIV. 19. ubi impii dicuntur *racemi in lacum ſeu torcular irae mittendi & conculcandi, ut ſanguis de lacu exeat.* Eſai. LXV. 5. *Iſti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die.* Hunc locum Hieronymus in comm. de inferno exponit: *Ira Dei* inquit, *materiam habet in noſtris vitiis, non in Domini voluntate, qui theſaurizamus nobis iram in die irae &c.* Eſai. LXVI. 24. *Egredientur & cadavera virorum, qui praevaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Hoc eſſe vaticinium de igne infernali nemo Chriſtianorum dubitare poteſt, cum Chriſtus Marc. IX. 44. 46. & 48 diſerte ad illum adcommodet. Per *vermes* plerique intelligunt conſcientiæ angorem, ac proinde ſupplicium animæ, per *ignem* ſupplicia corpori inferenda, qua de re, ſuo loco plenius dicetur. Auguſtinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 9. *Vtrumque horum, ignem ſcilicet ac vermem, qui volunt ad animae pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animae ſero atque infructuoſe pœnitentis eos, qui fuerint a regno Dei ſeparati, & ideo ignem pro iſto dolore urente non incongrue potuiſſe contendunt, unde illud apoſtoli eſt* 2. Cor.

11. *Quis scandalizatur, & ego non uror? Eundem etiam dolorem vermem putant, intelligendum esse. Nam scriptum est*: Prov. XXV. *Sicut tinea vestimentum & vermes lignum, sic mœror excruciat cor viri. Qui vero pœnas & animae & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi, quodammodo verme mœroris adfirmant &c.* Ezech. XVIII. 20. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*; morte aeterna. XXVI 20. *Cum detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.* Gregorius lib. IX. moralium cap 38. exponit, de inferno. *Claustra inferni*, inquit: *laci appellatione signantur, propheta attestante &c. Infernus ergo & terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet, & lacus dicitur, quia hos, quos semel cepit, semper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus absorbet.* XXVIII. 8. *Morieris mortibus*, temporali & æterna v. 18. *Producam enim de medio sui, ipse comedet te.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 6. adplicat ad infernum. *Omnis locus*, inquit, *reprobis pœnalis est, qui semper secum adfert cruciatum, sicut scriptum est, producam ignem &c.* XXXII. 25. *Portabunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum.* v. 27. *Qui descendunt ad infernum cum armis suis.* Gregorius d. l. *Arma peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria, quae concipiunt, exsequuntur, unde per Paulum dicitur* Rom. 6. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. *Cum armis ergo ad infernum descendere est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, aeterni iudicii tormenta tolerare, ut tunc eos unusquisque dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi undique contra iustitiam iuste iudicantis pugnant.* Sed in sensu literali propheta loquitur de illis, qui viriliter in praelio occubuerunt, ac proinde more militari cum armis suis honorifice sepeliuntur, ut ostendit antithesis. Dan. XII. 2. *Quidam ex dormientibus in pulvere terrae expergiscentur ad opprobria & contemtum sempiternum* חרפות *opprobrium*, ignominia dicitur a radice חרף *manifestavit, detexit.* Impii in hac vita honorantur & glorificantur, sed in die novissimo ipsorum ignominia publice coram angelis & hominibus manifestabitur. דראון *contemtus, abominatio*, desumtum hoc est ex Esai. LXVI. 24. Rabbinis דין *est vermis abominabilis*, inde quidam vertunt, *in vermiculationem sempiternam, quia ipse suos proprio peccator corpore gignet carnifices, & erit vermibus esca suis.* (*) Zach. IX. 11. *Emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Confer. tract. de morte §. 176. Habac. II. 5. *Dilatat quasi infernus animam suam*, cuius aviditas est insatiabilis, Esai. V. 14. Malach. IV. 1. *Ecce dies Domini venit ardens tanquam clibanus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem ut stipula, & inflammabit eos dies veniens.* Ignis, quo in die iudicii mundus conflagrabit, erit impiis indicium atque initium infernalis ignis, ita accipit hunc locum propheticum Iulius Firmicus de error. profan. relig. cap. 16.

§. XVII. Ex *libris apocryphis.* Esdræ IV. 8. *In abyssum non descendi neque in infernum adhuc neque in cœlum unquam adscendi.* Videntur tamen nomine *inferni* hoc loco generaliter accipi profundiora terræ loca. v. 41. *In inferno promtuaria animarum matrici adsimilata* b) *Ex libris apocryphis.*

(*) De horrendo supplicio vermiculationis sive scaphismi apud Persas usitato vide Plutarchum in Artaxerxe. Zonaram tom. I. annal. GERHARDVS.

lata sunt. VIII. 53. *In infernum fugit corruptio in oblivione.* v. 59. *Impios excipient filii, & cruciatus, quae praeparata sunt* IX. 10. *Qui non cognoverunt me viventes beneficia consecuti, & qui fastidierunt legem meam &c. hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.* Iudith. XVI. 20. 21. *Vae gentibus insurgentibus generi meo. Dominus omnipotens vindicabit eos in die iudicii, ut det ignem & vermes in carnes eorum, & flebunt in sensu usque in seculum.* Respicit Iudith ad Esai. LXVI. 24. in quo talis poena impiis & ecclesiae persecutoribus denunciatur, ἐξηγητεως loco addit εις σαρκας, ut non solum animabus, sed etiam corporibus impiorum supplicia parata esse ostendat. Sap. V. 14. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*; sed in Graeco hoc non habetur, ideo rectius huc refertur, quod sequitur v. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos;* post latam scilicet damnationis sententiam contra reprobos, ut colligitur ex v. 16. & 17. v. 22. *Ibunt directe emissiones sagittarum & tanquam a bene curvato arcu nubium ad scopum insilient;* iacula illa in impios torquebuntur. v. 23. Και εκ πετροβολω θυμω & a petras iaciente ira plenae mittentur grandines; adluditur ad catapultam veterum, ex qua saxa in hostes coniici solebant; *exardescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter*; tribuitur aquae per prosopopoeiam zelus, per quem intelligitur impetus & vehementia puniendi, quo aqua velut naturali quodam zelo peccata contra Deum creatorem ab impiis commissa vindicabit v. 24. *Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti dividet illos,* (εκλικμησει, eventilabit) *& desolatam faciet omnem terram iniquitas illorum.* Sensus est, quod omnes creaturae post latam in impios maledictionem communi quasi consensu & impetu contra illos sint saeviturae ac velut lictores sententiam exsecutioni daturae. Coelum, ignis & aër vibrabunt in eos flammas, fulgura, ventres, grandines; mare ex ira effervescet & exundabit, ut eos absorbeat; terra sub pedibus eorum magno hiatu diffindetur, ut eos vivos deglutiat, & in infernum transmittat. Basilius in orat. de futuro iudicio: *sedulo ea mihi considera ac perpende, quae a Deo horrenda iis accident, qui tormenta subituri sunt, quomodo scilicet astra obscurabuntur, sol lumine destituetur, & luna splendorem amittet, quomodo fulmina iacientur, & tonitrua clare disrumpentur, quando super compita aër tenebris obducetur, ita ut undequaque examen omnis consolationis expers sit iis, qui irae tradentur. Nam creatura suo creatori morem gerens atque inserviens poenas atque tormenta intentabit iniustis, eos autem, qui spem omnem atque fiduciam in ipso collocarunt, omni beneficiorum genere complectetur.* Sap. VI. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* Holcothius lect. LV. in lib. Sapient. *Postquam Spiritus sanctus declaravit, quod persecutores iusto-rum decipiuntur in praesenti per ignorantiam, hic declarat, qualiter post mortem puniuntur per poenarum tolerantiam. Tangit autem septem poenales conditiones damnandorum &c.* XI. 17. *Per quae quis peccat, per haec torquetur*; impii per corpora & in corporibus peccarunt, ideo etiam in corporibus punientur. Sirac. VII. 19. *Vindicta impii ignis & vermis.* Defunctum & hoc ex Esai. LXVI. 24. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 9. hunc locum sic legit: *Vindicta carnis impii, ignis & vermis. Cur*, inquit, *dictum est, carnis impii, nisi quia utrumque, ignis & vermis poena erit carnis? aut vindictam carnis ideo dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum*

carnem vixerit. Rabanus lib. II. in Eccleſ. cap. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis, quia caro peccatorum, quae luxuria adfluebat in mundo, ſimul cum anima pœnis arctabitur in futuro, & igne cruciabitur gehennae. Vermem autem & ignem eſſe in gehenna, ipſe Dominus in evangelio commemorat, in verme putredinem gehennae, ſicut in igne ardorem ſignificans. Sive vermem dicit ſeram ſcelerum pœnitentiam, quae nunquam in tormentis conſcientiam adflictorum mordere ceſſabit, ut ignis ſit pœna extrinſecus ſaeviens, vermis dolor intrinſecus accuſans.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 2. *Vindicta carnis impii vermis & ignis, uterque duplex, interior & exterior. Interior, qui rodit & urit cor, exterior qui rodit & urit corpus.* Cap. XXI. 10. *Stuppa collecta ſynagoga impiorum, & conſummatio illorum flamma ignis in perditionem;* deſumtum hoc videtur ex Eſai. XXX. 33. v. 11. *Via peccatorum complanata a lapidibus, & in ultimo eius fovea inferni.* Cap. XLI. 7. *non eſt in inferno redargutio vitae.* Lutherus inferni nomine intelligit *ſepulcrum* ſive mortem. Cap. LI. 8. *Vita mea erat prope infimum infernum.* Baruch. III. 19. *Qui confidunt in divitiis, ad inferos deſcenderunt.*

§. XVIII. In nov. teſt. plurima de inferno habentur teſtimonia. 1) In *evangeliſtis* præcipua hæc ſunt: Matth. III. 10. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exſcinditur & ignem mittitur;* ſicut arbori infrugiferae ignis temporalis, ſic impiis paratus ignis æternus & infernalis. v. 12. Luc. III. 17. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Ignis inferni duplici ratione dicitur ἀσβεστος, *paſſive & active*, non enim exſtinguit damnatorum corpora, ſed pœnis æternum durantibus ea ſemper reſervat. Beda in comm. Luc. III. *Ignem gehennae duplici ratione vocat inextinguibilem, quia neque ille perpetuo poſſit exſtingui, neque eos, quos cruciat, unquam exſtincturus, ſed immortali, ut ita dicam, morte ſit plexurus.* In voce κατακαυσει itidem magna emphaſis, *penitus & totam comburet.* Cæſarius dial. IV. *In reſurrectione mortuorum eos, qui ſunt inſtar paleae & inflabiles, quovis vento peccati iactitati, & leves & infrugiferi fuerunt, inſtar ventilabri divinum decretum in ignem elevat ad aeternum incendium. Qui vero velut triticum nutritores proximorum fuerunt, & recte virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conveniens.* Confer quæ in tract. de extremo iudicio §. XV. dicta. Matth. V. 22. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis.* v. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo &c. ne in carcerem mittaris.* v. 26. *Non exibis inde, donec perſolveris extremum quadrantem.* Idem repetitur Luc. XII. 58. Pontificii ad purgatorium adplicant, ſed violentam illam detorſionem refellimus in tract. de morte §. 269. Hieronymus lib. I. in threnos 1. & Auguſtinus lib. I. de ſerm. Dom. cap. 22. accipiunt de *carcere infernali*, in quem homines ἀσπονδοι & irreconciliabiles coniiciuntur. Vide plura d. l. Matth. VII. 13. Luc. XIII. 24. *Lata porta & ſpecioſa via eſt, quae ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.* Matth. VIII. 12. *Filii regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Luc. XIII. 28. Loquitur Chriſtus de Iudæis incredulis, quibus non modo abdicationem, calamitates temporales & conſcientiæ trepidationem in hac vita minatur, ac ipſorum cœcitatem, ignorantiam & impietatem prædicit, verum etiam crudeliſſima ſupplicia in infernali carcere ipſis ſuſtinenda eſſe vaticinatur.

Ex nov. teſt.
1) *Ex evangeliſtis.*

Quare

Quare autem illa nomine *tenebrarum*, *fletus & stridoris dentium* exprimantur, adparebit suo loco. Matth. X. 28. *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna;* non trucidando vel annihilando sed cruciando, quo sensu infernales pœnæ vocantur *mors secunda*. Luc. XII. 5. sic exponitur: *timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam.* Confer, quæ ex Tertulliano in explicatione huius dicti adlata in quæst. de resurrect. impiorum. Matth. XI. 23. Luc. X. 15. *Tu Capernaum, quae usque in cœlum exaltata es, in infernum deprimeris.* Quidam accipiunt nomen *inferni* eo sensu, quo vox *scheol* usurpatur 1 Sam. II. 6. pro *extremo humilitatis gradu*, ut sit sensus, urbem illam tam profunde descensuram, quam alte videbatur exaltata. Sed quia Capernaitis incredulis & ingratis Christus non solum temporales, sed etiam æternas pœnas comminatur, ideo etiam de inferno recte exponi potest. Matth. XIII. 40. *Sicut colliguntur zizania & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi.* v. 41. *Mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem.* v. 42. *Et mittet eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.* Idem repetitur v. 49. 50. Cæsarius homil. XXXVIII. *Peccatores homines erunt ligna inferni. Adligate fasciculos ad comburendum, hoc est, homicidam cum homicidis, adulterum cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hic similes fuerunt in culpa, ibi similiter adligati erunt in tormentis &c.* Gregorius lib. IX. moral. cap. 39. *Fasciculos ad comburendum ligare est hos, qui aeterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevat, quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet adflictio, & par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati.* Matth. XVIII. 8. *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.* v. 9. *Bonum tibi est unum habentem oculum in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Matth. XXII. 13. *Ligantes manus & pedes eius, tollite eum & proicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* Gregorius lib. IX. moralium cap. 38. *Omnium impiorum corpus in unius illius persona significatur.* Lib. XXV. moral. c. 11. *Tunc coacti in tenebras exteriores mittentur, qui nunc interioribus voluntarie excœcantur.* Matth. XXIII. 15. *Facitis eum filium gehennae*, dignum gehenna, mancipatum gehennæ per Hebraismum. v. 33. *Quomodo fugietis a iudicio gehennae.* XXIV. 50. *Veniet Dominus servi illius*, v. 51. *& dividet eum, & ponet partem eius cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* Luc. XII. 46. Διχοτομησει, *secabit illum medium, discindet in duas partes*, quale supplicii genus apud barbaros adhuc usitatum. Exemplum eius vide 1 Sam. XV. 33. De Esaia propheta rabbini referunt, quod *iussu Manassis serra lignea fuerit dissectus.* Intelligitur ergo gravissimum supplicium, quod tales servos manet. Cæsarius dial. III. *Dissecari servum non corporaliter intelligamus, nam imperitum hoc foret ac ridiculum, sed per spoliationem spiritualium donorum & baptismatis & erga ipsum libertatis dissecari a Domino damnandos intelligamus.* Quidam simpliciter vertunt, *distribuet servos*, in eos scilicet, quos secum retinebit & præmiis adficiet, ac eos, quos ab istis

separabit & puniet; *separabit eum*, hoc est, a regno suo & ab electorum consortio eum separabit, Deut. XXIX. 21. cui interpretationi convenit, quod sequitur: *& partem ei adsignabit inter hypocritas*. Hieronymus in comment. h. l. *Dividet eum, non quod gladio eum dissecet, sed quod a sanctorum consortio eum separet, & partem eius ponat cum hypocritis.* Casaubonus in not. *Movit me aliquando tum Homeri locus Odyss. VI. tum Tertulliani & aliorum auctoritas, ut putarem de gravissimo veteribus usitato supplicio haec esse accipienda, nunc puto purum putum esse Hebraismum ob ea, quae sequuntur, quibus sunt similia.* Ioh. XIII 8. Apoc. XXI. 8. Matth. XXV. 30. *Inutilem servum proiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* v. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* v. 46. *Ibunt hi in supplicium aeternum.* Marc. IX. 43. *Melius est tibi mancum introire in vitam, quam duas manus habentem abire in gehennam in ignem inextinguibilem.* v. 44. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem emphaseos causa iisdem verbis repetitur v. 46. & 48. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 9. *Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere; quem non terreat ista repetitio & illius poenae comminatio tam vehemens ore divino?* Luc. XII. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem domini, & non praeparavit se, nec fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis,* δαρησεται πολλας, scilicet πληγας. Luc. XVI. 23. *Cum esset dives in inferno, elevans oculos suos &c.* Graphicam suppliciorum infernalium descriptionem, quae in hac Christi concione nobis proponitur, per partes expendemus suo loco, summa eius capita notavimus in tractatu de morte §. 177. Ioh. VI. 50. *Qui manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum.* VIII. 51. *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum*, liber erit ab aeterna morte. XI. 26. *Qui vivit & credit in me, non morietur in aeternum.* XV. 6. *Qui non manserit in me, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittunt & ardet.* Sicut aridis sarmentis, sic impiis & infrugiferis hominibus nil nisi ignis competit. Unum ex his duobus palmiti competit, aut vitis aut ignis.

§. XIX. 2) Ex *epistolis apostolorum.* Rom. II. 5. *Thesaurizas tibi iram in die irae*; paulatim eam coacervas, ut tandem universa instar thesauri depromatur: intelligitur autem per iram μετωνυμικως *poena*, quam Deus in ira sua impiis irrogabit, quando iram suam in ipsos plene effundet. v. 8. *Iis, qui non credunt veritati, ira & indignatio.* v. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum;* στενοχωρια est *angustia spiritus*, qualis in morbis & subitis terroribus solet contingere. Rom. VI. 23. *Stipendium peccati mors*, non solum temporalis, sed etiam ac vel maxime aeterna, ut intelligitur ex antithesi. Galat. VI. 8. *Qui in carne sua seminat, de carne metet corruptionem* (aeternam, ut intelligitur ex antithesi;) *qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* 1 Thess. I. 10. *Christus eripuit nos ab ira ventura.* 2 Thess. I. 9. *Impii dabunt poenas, interitum aeternum a facie Domini & a gloria virtutis eius.* Quidam subintelligunt verbum απωσαμενοι, *reiecti.* Potest etiam hoc modo exponi: impii sustinebunt aeternum exitium, cui adiudicabuntur a Christo Iesu, qui in propria persona adparebit cum gloriosa sua potentia. Hebr. VI. 2. mentio fit *iudicii aeterni*, hoc

2) *Ex epistolis apostolicis.*

hoc est, damnationis æternæ. v. 8. *Terra proferens spinas ac tribulos reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio est in combustionem;* sic incredulі & apostatæ in Spiritum sanctum peccantes, apud quos semen verbi non fructificat, divinæ maledictioni & igni erunt obnoxii. X. 27. *Voluntarie peccantibus relinquitur terribilis quaedam exspectatio iudicii & ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios.* Per quamdam prosopopoeiam introducitur ignis inferni, ac si esset animatus, & quasi bellua quædam irritata & exacerbata, furens ad sui vindictam. Tribuit enim apostolus huic igni *zelum vindicandi peccata* contra Deum commissa & adferendi gloriam Dei ab impiis hominibus violatam. Chrysostomus in comment. h. l. Potest etiam per figuram ενδιαδυς exponi, *zelus ignis*, hoc est, igneus zelus, quia ira divina est ignis consumens impios. Iacob. III. 6. lingua impiorum dicitur φλογιζομενη υπο της γεεννης; ab igne infernali succenditur, quando *ratam nativitatis*, hoc est, totius vitæ curriculum per noxios ac vitiosos sermones inflammat, & totum corpus contaminat. Quidam nomine γεεννης μεταφορικως intelligi putant *diabolum*, sicut Hebræis usitatum est per *cælum* intelligere Deum in cœlo habitantem. 2 Petr. II. 1. *Pseudoprophetae superinducent sibi celerem perditionem*, corporis & animæ exitium sempiternum. v. 3. *Quibus iudicium iam olim non otiatur, & perditio eorum non dormitat*, quamvis Deus ad tempus otiari & connivere videatur, tamen exitium ipsorum certissime & citissime sequetur. v. 4. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit in iudicium reservandos;* catenis ipsos constrictos in tenebricosum inferni carcerem detrusit, nomen σειρας non regitur a participio ταρταρωσας, sed a verbo παρεδωκεν. v. 9. *Novit Dominus pios e tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos.* Quidam κολαζομενους exponunt *punitos*, hoc est, per horribile quoddam mortis genus e medio sublatos; sed ex antecedentibus adparet de futuris inferni pœnis apostolum loqui, vertendum igitur in *praesenti* vel *futuro*, *pœnas dantes* sive daturos, scilicet apud inferos cum diabolis in infernum proiectis. v. 12. Εν τη φθορα αυτων καταφθαρησονται, *peribunt in sua corruptione* vel propter peccatorum corruptionem. Iud. v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum &c. in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caliginem reservavit;* detinentur sub caligine, hoc est, in tetro & caliginoso inferno. v. 7. *Sodoma & Gomorrha factae sunt exemplum ignis aeterni pœnam sustinentes*, προκεινται δειγμα, *propositae sunt omnibus impiis in exemplum*, quia ab uno igne transierunt ad alium, scilicet infernalem. v. 12. Pseudodoctores sunt δενδρα ακαρπα, δις αποθανοντα, notatur duplex mortis genus, videlicet *temporalis*, cui per naturam non minus quam reliqui omnes sunt obnoxii, & *aeternae*, quam impietate sua sibi attraxerunt. v. 13. *Quibus caligo tenebrarum in aeternum est reservata.* v. 23. *Illos in timore servate ex igne rapientes*, velut ex incendio imminente liberantes, innuitur enim æterni ignis periculum, cui sunt obnoxii.

§. XX. 3) Ex *apocalypsi.* Apoc. I. 18. *Habeo claves mortis & inferni.* II. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* VI. 17. *Dicent montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum.* 3) *Ex apocalypsi.*

IX.

IX. 1. infernus vocatur *puteus abyſſi.* v. 6. *Quaerent homines mortem, & non invenient eam; deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis:* ex deſperatione & impatientia optabunt ανυπαρξιαν, norunt enim ſupplicia ſibi parata eſſe æterna. XIV. 9. 10. *Qui adoraverit beſtiam, bibet de vino irae Dei, quod mixtum eſt mero in calice irae eius, & cruciabitur igne ac ſulphure in conſpectum angelorum ſanctorum & ante conſpectum agni.* Vinum illud iræ divinæ, quo potabuntur damnati, eſt ακρατον, qui non eſt miſericordia temperatum, ſicut calix tribulationis, qui in hac vita piis proponitur, Pſal. LXXV. 9. 11. *& fumus tormentorum eorum adſcendet in ſecula, nec habent requiem die ac nocte.* Andreas Cæſarienſis in comm. huius loci: *Futuri ſeculi ſtatum, in quo impios nullam requiem habituros praedicit, diem ac noctem vocat, non quaſi ibi exſtet ſpatium, quod divino ſolis motu menſuretur, ſed quia ad praeſentis temporis conſuetudinem, quod per noctes & dies conficitur, numeratur. Aut per diem vitae ratio, quam ſancti tenent, denotatur; per noctem autem impiorum hominum cruciatus quos apud inferos luent.* Apoc. XIX. 20. *Beſtia & pſeudopropheta vivi miſſi ſunt in ſtagnum ignis ardens ſulphure.* XX. 3. *Miſit angelus diabolum in abyſſum* v. 6. *Qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* v. 7. *Poſt mille annos ſolvetur ſatanas ex carcere ſuo.* v. 10. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum* v. 14. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* v. 15. *Et qui non inventus eſt in libro vitae ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Rupertus Tuitienſis in comment. h. l. *Impiorum duplex eſt damnatio, nam antequam reſurgant cum corporibus ſuis in reſurrectione, iudicatae apud inferos cruciantur animae impiorum, & poſtquam reſurrexerint, tunc iudicatae pariter animae cum corporibus ſuis cruciabuntur in ſecula ſeculorum. Tunc infernus & mors, id eſt, homines impii, qui a ſiniſtris trunt cum diabolo & angelis eius, mittentur in ſtagnum ignis.* XXI. 8. *Timidis & incredulis &c. pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Huc referri poſſunt omnia ſcripturæ dicta, quæ de ſtatu & conditione animarum impiarum agunt, quæ enumeravimus in tract. de mort. §. 303. ſtatim enim ut a corporibus ſolutæ ſunt, in infernum deſcendunt.

§. XXI. II) Ab *exemplis*: 1) *Diabolorum.* Illi enim poſt ſuam apoſtaſiam cœlo eiecti & inferno divinitus adiudicati ſunt, Matth. XXV. 41. 2 Petr. II. 4. Iud. v. 6. Apoc. XII. 8. Quomodo autem hæc invicem conciliandа ſint, quod diabolus in infernum dicitur detruſus, ac nihilo tamen minus in die extremi iudicii demum in eum præcipitandus, expoſuimus in tract. de extremo iudicio §. 46. 2) *Hominum. Sodomitae* in epiſtola Iudæ v. 7. dicuntur *pœnam ignis aeterni ſuſtinere.* Photiniani exponunt de *igne temporali*, quo Sodoma & vicinæ urbes conflagrarunt, quo ſenſu vox αιωνιος Philem. v. 15. uſurpatur; ſed rectius accipitur de *igne infernali & aeterno*, quia peccatoribus in impœnitentia divino iudicio abreptis non tantum temporales, ſed etiam æternæ pœnæ infliguntur, qua de re poſtea plenius. Num. XVI. 33. *Core, Dathan & Abiran viventes deſcendunt in infernum.* Quidam, ut Abulenſis & aliqui ex Calvinianis, exponunt de *ſepulcro*, ſed Epiphanius in ancorato Hieronymus

II) *ab exemplis.*

nymus in comm. Ephes. IV. Beda in comm. Num. 16. rectius accipiunt de *inferno*, quia in flagranti crimine sine ulla conversione ab ira divina subito absorbentur. Adde quod Apoc. XX. 13. non solum *mare & mors* sive sepulcrum, sed etiam *infernus* dicuntur reddere mortuos suos; utique ergo etiam in inferno quidam detinentur, qui una cum corporibus suis in eum descenderunt. Esai. XIV. 9. & seqq. de Rege Babylonico dicitur. *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui &c. detracta est ad inferos superbia tua &c. quomodo cecidisti de cœlo lucifer, dicebas in corde tuo: adscendam in cœlum, veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Plerique veterum, ut Origenes lib. I. de princip. c. 5. Tertullianus V. adv. Marcion. c. 11. Athanasius serm. de pass. & cruc. Domini. Ambrosius serm. III. in Psalm CXVIII. & alii complures de *diabolo* hoc exponunt, quem de cœlo præcipitem superbia in tartarum deiecit, in quam opinionem eos adpellatio *lucifer* deduxisse videtur. Sed manifestum est ex serie contextus, quod in sensu literali de rege Babylonico, quem alii volunt esse *Nabuchodonosora*, alii vero *Balthasarem*, ultimum Chaldæorum regem, ibi proprie sermonem esse, ad quem etiam Cyrillus & Hieronymus in comment. propheticum textum rectius adplicant. Is namque confertur lucifero sive stellæ matutinæ ob regium splendorem, dignitatem & potentiam, dicitur de ipso, quod *voluerit cœlum adscendere*, propter superbiam & arrogantiam. Nec tamen absurdum fuerit, si quis statuat, regis Babylonii interitum & ad inferos descensum comparari cum lapsu diaboli, qui cum ex superbia honores divinos adpeteret, in infernum præcipitatus æterno opprobrio factus est obnoxius, ut hac ratione rex superbissimus ei dicatur coniungi in pœna, cui conformis esse voluit in culpa. De rege Ægypti, *Pharaone* dicit Ezech. XXXI. 2. *Cui adsimilatus es o inclyte atque sublimis?* v. 18. *Ecce deductus es ad terram ultimam* (ad inferos) *in medio incircumcisorum* (impœnitentium & damnatorum) XXXII. 22. *Ibi Assur, ibi Elam & omnis multitudo eius, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam, qui posuerunt terrorem suum in terra viventium & portaverunt ignominiam suam cum his, qui descenderunt in lacum, ibi Mosah & Thubal, ibi Idumaea &c.* Luc. XVI. 23. *Dives epulo in infernum sive locum tormentorum ablegatur;* ubi non potest per ἅδην intelligi sepulcrum, quia corpora in sepulcro nulla sentiunt tormenta, sed animæ impiorum cruciantur in inferno. Possunt etiam huc referri *præludia infernalium cruciatuum*, quæ proponuntur nobis a) in *obsessis*, quos scriptura vocat δαιμονιζομένους, quorum tristissimus status describitur Matth. VIII. 28. XV. 22. Marc. I. 26. V 3. IX. 18. b) in *tentatis*, qui cum Iobo quandoque exclamant: *suspendium elegit anima mea.* c) in *horroribus conscientiae*, quos in hac vita impii sentiunt. Considerentur exempla *Neronis*, *Theodorici Veronensis*, *Francisci Spirae &c.* d) in *supplicüs facinorosorum &c.*

§. XXII. III) Ex *rationibus & argumentis*: *III) Ex rationibus.*

1) a *divinae iustitiae conditione.* 2 Thess. I. 6. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem illis, qui pios in hac vita adfligunt.* Iustitia divina requirit, ut impii debitas scelerum suorum persolvant pœnas, id cum non semper fiat in hac vita, certissime futurum est in vita altera. De Dionysio Siracusano Valerius Maximus lib. I.

memorab. cap. 2. memorat, quod *debita improbitatis suae supplicia non persolverit*, utique ergo in futuro seculo eadem adhuc persolvenda restant. Confer ea quæ diximus in tract. de extremo iudicio §. 20. 2) A *legis divinae maledictione*. Maledictio illa, quam lex transgressoribus minatur, Deut. XXVII. 26. non tantum temporales, sed etiam æternas pœnas complectitur. Vt enim perfectam obedientiam præstantibus non modo temporalia, sed etiam *aeterna praemia* promittit Matth. XIX. 16. ita ex adverso inobedientibus *aeterna supplicia* internominatur. Rom. IV. 15. *Lex iram operatur*, non solum in præsenti seculo, sed etiam *venturam*, 1 Thess. I. 10. 3) *A peccati turpitudine & confusione*. Peccatum est infinitum malum, quia offendit Deum, qui est *infinitum bonum*, separat a Deo, qui est unicum & summum bonum, ergo etiam *infinitam*, hoc est, æternam pœnam promeretur. Rom. VI. 23. *Stipendium peccati mors*, non temporalis solum, sed etiam æterna, ut ostendit antithesis. 4) *a propriae conscientiae testificatione*. Impii quamvis prospero rerum successu in hac vita fruantur, tamen gravissimis conscientiæ angoribus ac metu futuri iudicii & pœnarum post mortem secuturarum torquentur. Confer tract. de extremo iudicio d. §. 20. 5) Ab *infernalium dolorum degustatione*. Non impii tantum, sed etiam pii in hac vita quandoque προποτισμον ac προγευσιν quamdam dolorum infernalium sentiunt, sed magno cum discrimine. Pii enim fide dolores illos vincunt, & ex iis tandem eluctantur; sed impii illis succumbunt atque ab iisdem absorbentur. Piis probationis ac tentationis causa immittuntur; sed in impiis sunt initia & indicia æternorum cruciatuum, adeo iræ illius, qui in æternum super ipsos manet. 2 Sam. XXII. 6. Psal. XVIII. 6. XXX. 4. XLIX. 16. LXXXVI. 13. LXXXVIII. 4. CXVI. 3. &c. 6) Ex *articulo de Christi ad inferos descensione*. Christus non solum in sanctissima sua anima tempore passionis dolores vere infernales sensit, Psal. XXII. 2. LXIX. 17. Esai. LIII. 11. qui fuit *metaphoricus* ipsius ad infernum *descensus*, de quo egimus in Harmon. de pass. cap. 2. sed etiam immediate ante suam ex mortuis resurrectionem ad infernum descendit, eumque tanquam gloriosus victor & triumphator destruxit, Psal. LXVIII. 19. Oseæ XIII. 14. 1. Cor. XV. 55. Ephes. IV. 8. Coloss. II. 15. 1 Petr. III. 19. qui fuit *realis*, & proprius ad damnatorum sedem *descensus*. Ex utroque autem descensu evincitur esse infernum; Christus descendit ad inferos, ut nos adscenderemus in cœlos, sicut mortuus est, ut nos viveremus. 7) Ab *impiorum resurrectione*. Ostendimus suo loco non solum pios, sed etiam impios esse resurrecturos. Quo vero fine illi resuscitabuntur: nullo certo alio, quam ut in corporibus suis debitas flagitiorum suorum per corpora gestorum percipiant pœnas. Dan. XII. 2. *Resurgent ad opprobrium aeternum*. Ioh. V. 29. *Prodibunt ad resurrectionem iudicii*, sive damnationis. Apoc. XX. 13. *Mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erunt.* v. 14. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* 8) Ab *extremi iudicii administratione*. Iudicium extremum ideo instituetur, ut Ipiis æterna præmia, impiis vero æterna adiudicentur supplicia, inde descriptioni processus iudicialis additur hæc clausula: *Ibunt hi in supplicium aeternum, illi vero in vitam aeternam*, Matth. XXV. 46. *Reportabit unusquisque in corpore suo secundum ea,*

ea, quae gessit, sive bona sive mala 2 Cor. V. 10. 9) *A saniorum gentilium confessione.* Iustin. s in orat. I. ad gentiles p. g. 19. adducit testimonium Platonis & Homeri. *Plato*, inquit, *lectis Mosis & prophetarum vaticiniis, & doctrina de iudicio ex eis percepta, in primo de republica libro ad hunc modum scribit: Cum iam eo quispiam adpropinquat, ut se moriturum esse putet, invadit eum de vita sua timor & solicitudo, quae antea non subiit. Quae namque de inferis feruntur fabulae, quod de flagitiis hic patratis pœnas pendere oporteat, in risum prius versae tum anxie eius, ne ad rem conferantur & verae sint, versant animum &c. In decimo autem liquido & aperte, quae de iudicio a prophetis dicerat, ea, non tanquam ab illis accepta ob Graecorum metum, sed a quodam, sicut ei fingere placitum fuit, qui in bello caesus cum duodecimo humari deberet die, in rogum positus revixit, resque apud inferos visas exposuit, audita commemorat. Ibi*, ait Plato, *viri feroces, adspectu truces & ignei adparentes Aridaeum tyrannum πατροκτονον & alios manibus pedibusque & item capite obligatos humique abiectos, atque excoriatos iuxta viam foras protraxerunt super aspalathis & sentibus torquentes & dilaniantes, atque eis, qui aderant, quorum facinorum causa haec illi paterentur, promulgantes &c. Nec Plato solum, sed etiam Homerus eodem & ipse in Aegypto edoctus modo, Tityum itidem excruciari dicit. Ita enim in Necromantia apud Alcinoum Ulysses commemorat:*

Et Tityum vidi magna tellure creatum,

Iugera qui per tota novem protenditur unus,

Et geminis crudum milvis depascitur epar.

Eodem modo & Sisyphum & Tantalum corpore supplicium sufferre scripsit &c. Minutius Felix in Octavio: *Admonentur* (gentiles) *non tantum hominum doctissimorum libris & carminibus poetarum illius ignei fluminis, & de Stygia palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata & daemonum indiciis & de prophetarum oraculis cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Iupiter per torrentes ripas & atram voraginem iurat religiose, destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam praescius perhorrescit &c.* Eusebius lib. XI. de præparat. evangel. cap. 20. *Pyriphlegethonta vero ignem aeternum esse quis dubitavit. Plato in tartarum deiectos impios non exituros inde adseruit &c. Quod autem dixit non simpliciter, sed cum in vehicula conscenderint sua in Acheronta amnem depelli, quaenam alia vehicula denotare potest, quam corpora quibus adsumtis una secundum Hebraeorum scripturas vitae retributio fiet?* Lib. XIII. adducit dictum Diphili: κλεπτ' αποσερει, κυκα, μηδεν πλανηθης, εσται και εν αδη κρισις. *Furare, defrauda, misce, ne erres, erit in inferno iudicium.* Lactantius lib. VII. institut. cap. 7. *Esse inferos, Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse secretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebrosis locis atque in cœni voraginibus horrendis* Idem lib. de ira cap. 22. adducit hosce ex Sibyllis versiculos:

Φευγε δε λατρειας ανομους, θεω οτι λατρευε
Μοιχειας τε, φυλασσε και αρσενων ακριτον ευνην.
Ιδιαν γενεαν παιδων τρεφε, μηδε φονευε.
Και γαρ ο αθανατων κεχολευσεται, οσκις αμαρτη

Αφθαρτ☉, κτισης, αιωνως, αιθερα ναιων.

Τοις τ ακκοις ακακον προφερων πολυ μειζονα μισθον.

Τοις τε κακοις αδικοισττε χολον και θυμον αγειρων.

Auguſtinus lib. XII. de Geneſ. ad lit. cap. 33. *Poſſumus oſtendere, illorum quoque* (gentilium) *ſapientes de inferorum ſubſtantia minime dubitaſſe, quae poſt hanc vitam excipit animas mortuorum.* Huc referri poſſunt omnia, quæ de *Plutone* inferorum rege *Radamantho* apud inferos iudice, *Charonte* infernali nauclero, *Siſypho* ſaxum perpetuo volvente, *Tantalo* in mediis undis ſitiente, de *Styge*, *Cocyto*, *Phlegetonte*, *Acheronte*, & aliis infernalibus fluviis ac paludibus apud Virgilium lib. VI. Æneid. lib. XIII. Ovidium metamorph. & alios poetas exſtant; cum enim verbi lumine deſtituti eſſent, ea quæ vel ex interno conſcientiæ teſtimonio, vel ex doctrina eccleſiæ de inferno obſcura auditione perceperant, in fabulas commutarunt.

§. XXIII. IV) *Typi* infernalium pœnarum complures in ſacris literis nobis proponuntur: 1) *Protoplaſti* poſt peccatum admiſſum fugiunt Dei conſpectum, *abſcondunt ſe ſub arboribus*, Gen. III. 8. ſentiunt graviſſimos conſcientiæ angores, quibus etiam fuiſſent oppreſſi, & in imum uſque tartarum præcipites dati, niſi benigniſſimus Deus paterna manu per promiſſionem benedicti ſeminis eos iterum erexiſſet. 2) *Cainus* poſt αδελφοκτονιαν audit divinam maledictionem Gen. IV. 11. ex deſperatione prorumpit in hæc verba: *Maior eſt iniquitas mea, quam ut remittatur*, v. 13. conqueritur *ſe a facie Dei abiici*, v. 14. ac *ponit Deus in ipſo ſignum*, v. 15. quod plerique interpretes de ſubita conſternatione & tremore coram aliis hominibus ex magnis conſcientiæ terroribus orta accipiunt. Eiusmodi adfectus in gradu longe eminentiori erit in omnibus damnatis. 3) In *diluvio* perierunt omnes impii fluctibus iræ divinæ abſorpti, Geneſ. VII. 23. *ſic horribile illud aeterni ignis diluvium*, ut Iuſtinus martyr infernum adpellat, in die extremi iudicii omnes impios æterno exitio involvit. 3) *Sodomitae* igne & ſulphure cœlitus delapſo conſumebantur, Geneſ. XIX. 24. illud Iudas in ſua epiſtola v. 7. ad ignem infernalem adcommodat, προκεινται, inquit, δειγμα πυρος αιωνιε δικην υπεχοντα. Auguſtinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 8. *Terra Sodomorum non fuit utique ut nunc eſt, ſed iacebat ſimili caeteris facie, eademque vel etiam uberiore fœcunditate pollebat. Nam Dei paradiſo in divinis eloquiis comparata eſt. Haec poſteaquam de cœlo tacta eſt, ſicut illorum quoque atteſtatur hiſtoria, & nunc ab eis, qui veniunt ad loca illa, conſpicitur, prodigioſa fuligine horrori eſt, & poma eius interiorem favillam mendaci ſuperficie maturitatis includunt &c.* Brocardus in deſcript. terrae ſanctæ: *Mare mortuum ſemper eſt fumans & tenebroſum, ut videatur eſſe os inferni, adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina quaeque ſterilia reddat.* 5) *Omnes plagae Ægyptiacae*, cumprimis vero horribiles *illae tenebrae*, Exod X. 22. quas graphice depingit auctor libri Sapientiæ XVII. 2. fuerunt typi infernalium tenebrarum v. 21. *gravi ſuperpoſita illis erat nox εικων τη μελλοντ☉ αυτους διαδεχεσθαι σκοτους* quas tenebras infernales Salvator noſter vocat *exteriores*, Matth. VIII. 12. & XXII. 13. in quas omnes damnati proiici-

IV) *Ex typis.*

iicientur. Confer Rupertum lib. II. in Matth. 6) *Pharao* in mari rubro cum toto suo exercitu submersus specimen exhibet æterni illius exitii, quo omnes ecclesiæ persecutores & hostes aliquanto opprimentur. Chrysostomus homil. XLIV. in Matth. pag. 405. *Qui in Pharaonis impietate vivunt, non in rubro mari demergentur, sed in ignis fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum in quo ignei fluctus montium instar eriguntur, ignei dico, non huius ignis, sed certe multo, quam hic, horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum &c.* 7) 2 Reg. I. 10. & 12. *ignis* cœlo descendens absumit ducem ac milites, qui Eliam captivum abducere tentabant; sic ignis infernalis omnes piorum hostes & persecutores devorabit. 8) Per *ollam succensam*, quam videt Ieremias I. 13. primario & *principaliter* temporales populi Israëlitici calamitates, *consequenter* autem impiorum æternas pœnas præfigurari statuunt pii veteres. 9) *Fornax ignis ardentis*, in quam Sadrach, Mesach & Abednego proiecti, Dan. III. 20. typum exhibet infernalis incendii. Ut enim Sadrach cum suis sociis divinitus in eo conservatus: sic pii in infernalibus doloribus, quorum gustum aliquem in hac vita quandoque sentiunt, divino beneficio sustentantur; sed ut viros, qui eos in fornacem proiecerant, *interfecit flamma ignis*, sic omnes impios, cumprimis ecclesiæ persecutores infernalis flamma corripiet. Chrysostomus d. l. *Ignis inferni immanissimae ferae similis transcurrere videtur. Quod si enim sensibilis iste ac materialis ignis, eos qui extra fornacem erant, veluti fera exsiliens absorpsit, quid ille ignis faciet iis, qui in ipsum incideret?* Isidorus lib. I. de summ. bono cap. 3. *Sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda colligamina vinculorum; ita ignis gehennae, & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, ut videant, unde doleant, & non lucebit ad consolationem, ne videant unde gaudeant.* 10) Vallis Hierosolymæ vicina *gehenna*, quod inferni exhibeat typum expositum fuit in συνωνυμια 11) *Antiochus* 2 Macc. IX. 9. & *Herodes*, Act. XII. 23. facti σκωληκοβρωτοι præludium sensere infernalium vermium, qui nunquam exstinguuntur, Esai. LXVI. 24, Marc. IX. 44. 12.) *Quando angelus* (Christus Malach. 3. 1.) *proiecerit in peccatores lapidem molarem*, (duram sententiam & pondus æternæ damnationis, quæ ipsos in inferno conteret) *tunc Babylon* (impiorum congregatio) *impetuose ac cito mittetur in infernum, ubi non erit vox cytharae*, (lætitia alicuius canoris) *& vox molae*, (panis delicatus ac delectamentum alicuius saporis) *nec vox sponsi*, (coniunctio alicuius amoris) *nec lux lucernae*, (limpiditas alicuius splendoris) Apoc. XVIII. 21. & seqq. Berthorius in allegor. illius loci.

§. XXIV. *Antithesis.* Infernum esse negant: *Antithesis.*
1) *Epicuraei & empaectae* tam *intra* quam *extra* ecclesiam visibilem, quorum voces μιμητικως describuntur Esai. XXVIII. 15. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quemadmodum ab illis, cum quibus fœdus inivimus, nihil mali nihilve periculi timemus; sic illusores illi statuebant, se cum morte & inferno pactum *de non offendendo* iniisse, vel quod infernum pro fabula habuerint, vel quia ex supina securitate se innoxios, & proinde a peccatorum pœna prorsus immunes esse sibi persuaserint, statim enim additur: *Flagellum inundans*

cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Vide dialogum Eraſmi, quem inſcripſit *Epicurum.* Sap. II. 1 *Exigua & cum taedio eſt vita noſtra, & non eſt remedium in fine hominis, & non eſt agnitus reverſus ex inferno &c.* 2) *Multorum ex gentilibus* hæc fuit vox: *Fabula ſunt manes.* Tertullianus in apolog. cap. 45. *Epicurus omnem cruciatum doloremque depreciat, modicum quidem contemtibilem pronunciando, magnum vero non diuturnum. Nos vero, qui aeternam a Deo providemus pœnam, merito pro magnitudine cruciatus non diuturni verum ſempiterni eum timemus &c.*

Eſſe aliquos manes & ſubterranea regna,
Vix pueri credunt;

canit poeta ethnicus. 3) In targum Hieroſolymitano Geneſ. IV. 8. Cain ad Abelem dixiſſe memoratur: *non eſt ſeculum aliud nec merces bona pro iuſtis, nec pœna pro impiis.* Cain ergo eſt primus parens omnium apoſtatarum, Epicuræorum & impiorum in eccleſia. Confer tract. de extremo iudicio. §. 10. 4) *Eunomius* æterna ſupplicia ad comminationem ſolo figmento conſcripta eſſe delirabat. Zonaras in odis de ſanct. virg. 5) *Armenii* dicunt, quod non ſit infernus, cum Chriſtus eum deſtruxerit, quando ad illum poſt paſſionem deſcendit, infideles tamen & perfecte malos in oceano ſulphuris cruciari dicunt. Guido in ſumma cap. de Armeniis, Prateolus, Alphonſus de Caſtro &c. 6) *Almaricus* quidam Gallus recitante Cæſario in dialog. & Alphonſo de Caſtro negavit infernum. Eumdem errorem ſuſcepit Hermanus Riſvvich, Hollandinus, teſte Bernhardo de Lucemburg. 7) *Albanenſes* circa annum 796. docuerunt, iam factum eſſe iudicium, nec alias fore pœnas, quam illas, quas in hoc mundo perpetimur. Eorumdem errorem amplexi ſunt *Albingenſes* circa annum Chriſti 1216. ut memoriæ proditum a Cæſario Ciſtercienſi. 8) *Nicolaus de Calabria* dixit, quod in die iudicii Gondeſalvus hæreticus pro omnibus damnatis orabit, & eos ſuis precibus ſalvabit. Nicolaus Eymericus part. II. q. 11. 9) Quotquot animæ immortalitatem, reſurrectionem impiorum & extremum iudicium negant, illi omnes etiam infernum negant. 10) *Oblique* infernum negant *Origeniani*, *Anabaptiſtae*, *Libertini &c.* qui tandem aliquando omnes impios ex inferno liberandos & ſalvandos eſſe adſerunt, de quibus infra ſuo loco. 11) *Photiniani* infernum per ἀνυπαρξίαν & redactionem in nihilum definientes reipſa infernum prorſus tollunt, formale enim inferni conſiſtit in cruciatibus ac pœnis, quas damnati in corpore & anima ſentient. Urgent ſcripturæ dicta, quæ diabolos & impios dicunt eſſe perdendos, delendos, æternum morituros &c. ſed ad ea iamdum reſponſum fuit in tract. de reſurr. in quæſt. de reſ. imp. §. 101. atque infra plenius explicabimus, quo ſenſu ac reſpectu damnatio mors æterna adpelletur. 12) Multi *pontifices Romani*, ut Paulus III. Iulius II. Leo X. infernum eſſe vel negarunt vel dubitarunt. Eraſmus in dialog. quem inſcribit Epicurum. Vide Lutherum in Pſalm XC. tom. IV. pag. 529.

CAPVT

CAPVT III.

QVID SIT INFERNVS?

Quid sit infernus.

§. XXV. Expoſito τῳ ὁτι, conſequens eſt, ut explicemus etiam τὸ τι, & a quæſtione εἰ ἐστι deſcendamus ad quæſtionem τι ἐστι, *quid ſit infernus?* Nomen *inferni* dupliciter poteſt accipi: 1) pro *morte aeterna*, hoc eſt, pro ineffabili illa miſeria, horribili pœna ac ſtatu infeliciſſimo, in quem impii ſtatim poſt mortem temporalem ſecundum animas incidunt, quemque in reſuſcitatis ſuis corporibus poſt extremum iudicium non minus quam in animabus ſuis in æternum perſentient. 2) Pro *illo* πῦ, in quo miſerrimam illam conditionem ac ineffabiles iſtos cruciatus patiuntur, & in æternum ſuſtinebunt. Scholaſtici dicunt eſſe infernum *pœnalem* & *localem*. Bonaventura lib. III. ſent. diſt. 22. q. 4. Infernum uno modo nominat *cruciatum aeternum vel pœnam*; alio modo *locum illius pœnae vel cruciatus*. Ratione *prioris* ſignificationis diaboli ſuum ſecum infernum dicuntur circumferre, ubicunque tandem vagentur. Ratione *poſterioris* in infernum in die iudicii dicuntur detrudendi, inque eo concludendi. In priori ſignificatione nomen inferni accipitur *interne* & *formaliter*, in poſteriori *externe*, *ſubiective* ac *localiter*, termino loci iuxta phraſin ſcripturæ Luc. XVI. 28. generaliter accepto. Prioris ſignificationis exempla exſtant Pſalm XVIII. 6. CXVI. 3. poſterioris Pſalm XLIX. 15. Eſai. V. 14. Luc. XVI. 22. Richardus de S. Victore in comm. Apoc. I. *Talem differentiam inter mortem & infernum poſſumus accipere, ut per mortem intelligamus tormentum reprobis praeparatum, per infernum autem locum tormento deſtinatum.* Quid ſit infernus in ſignificatione *priore*, non poteſt rectius intelligi, quam ſi deſcriptiones illæ, quibus extrema damnatorum miſeria in ſacris literis præfiguratur, colligantur, & in certas claſſes diſtribuantur, id quod inferius in capite de *forma* expeditum dabitur. Quid vero ſit infernus in ſignificatione *poſteriore*, quæſtionis eſt perquam difficilis & obſcuræ. Quidam poſteriorem ſignificationem plane repudiant, ac infernum non niſi per *ſenſum irae divinae & maledictionis aeternae*, *ac horrorem conſcientiae* definiendum eſſe arbitrantur. Sed non videtur negandum eſſe certum aliquod πῦ, in quo damnati ſupplicia ſua perſolvent, illud enim probari poteſt: 1) ex *adpellatione*. Scriptura vocabulis certum πῦ ſignificantibus infernum deſcribit: Num. XVI. 33. *Deſcenderunt vivi in infernum.* Eſai. XXX. 33. *Fovea parata eſt ab heri.* Luc. XVI. 26. *Magnum chaſma firmatum eſt.* v. 28. *Ne veniant in locum tormentorum.* 1 Petr. III. 19. *Praedicavit his, qui in carcere ſpiritibus &c.* 2) Ex *diſtinctione*. Scriptura illud πῦ, in quod colliguntur animæ fidelium poſt mortem, diſtinguit ab eo, in quod impiorum animæ transferuntur, ut in tract. de morte §. 160. oſtendimus. Eadem ſcriptura ſedem æternæ beatitudinis, gloriæ ac felicitatis diſtinguit a ſede damnatorum, nec in unum, ut ita loquar, conclave collocat eos, qui beatifica Dei viſione fruuntur, cum iis, qui

quia facie Dei dicuntur abiecti in tenebras exteriores. Matth. VIII. 11. 12. Pii cum patriarchis *recumbent in regno cælorum*, *filii regni eiicientur in tenebras*. XXIV. 51. *Dividet eum*, *& ponet partem eius cum hypocritis*. XXV. 32. *Separabit oves ab hædis*, nunquam iterum cum eis commiscendas. Luc. XVI. 26. Μεγα χασμα, *hiatus ac vasta vorago* παρα το χαινειν *hiare*, *dehiscere* sic dicta est inter beatos & damnatos posita. Apoc. XXII. 15. ἐξω, *foris*, *extra cælestem Hierosolymam sunt canes*, *venefici &c.* 3) Ex *oppositione*. Scriptura sibi invicem directe opponit *cælum*, tanquam summum & altissimum palatium, & *infernum* tanquam infimum & humillimum carcerem; καθ' ημας *respectu nostri* Enoch & Elias *sursum* recipiuntur in cœlum, 2 Reg. II. 9. Sirac. XLVIII. 9. XLIX. 16. sed Core, Datan & Abiran descendunt *deorsum* in infernum, Num. XVI. 33. Ira Dei instar ignis dicitur ardere *usque ad infernum inferiorem*, Deut. XXXII. 22. Sic Esai. XIV. 9. *Infernus deorsum conturbatus est*. v. 13. *Dixisti in corde tuo*, *adscendam in cælum*. v. 15. *Verumtamen ad infernum deprimeris*. Matth. XI. 23. *Tu Capernaum*, *quae usque in cælum exaltata*, *ad infernum deprimeris*. Luc. XVI. 23. *Dives apud inferos sublatis oculis suis*, *videt Abrahamum* απο μακροθεν *e longinquo*. Diaboli solicite deprecantur, ne mittantur in abyssum, neque torqueantur ante tempus, Matth. VIII. 29. Luc. VIII. 31. utique ergo est certum aliquod πϖ infernale, in quo atrociores persolvunt pœnas, quam si in libero aere adhuc vagentur, Eph. II. 2. VI. 12. ac suo loco ostendimus, diabolorum supplicia fore graviora, quando in die iudicii in ignem infernalem fuerint abiecti. Si quis obvertat, *haec omnia per quamdam* συγκαταβασιν *esse accipienda*, cum in scripturis usitatum sit, per verba huius seculi res futuri seculi, per voces e rebus terrenis acceptas res cœlestes, per visibilia invisibilia, per corporalia describi spiritualia; ac proinde descriptiones illas non de loco vel πϖ invicem separato, sed de conditione ac statu damnatorum a beatorum statu longissime distincto esse intelligendas, illi considerandam proponimus usitatam regulam, quod in fidei articulis a literali verborum sensu absque urgente necessitate non sit discedendum, & subiungimus argumentum 4) ex *necessaria consecutione*. Corpora damnatorum animabus redunita, adeoque ipsi damnati aut erunt *ubique* aut *nullibi* aut *in certo* πϖ. *Primum* dici nequit, quia ubique præsentia vel ab essentiæ vel hypostaseos infinitate originem trahit, quarum neutra hic statui potest. Adde quod damnati dicantur futuri non in cœlo, sed in inferno. Ergo non erunt ubique. Denique felicitatis & gloriæ pars est, non teneri certo constrictum loco, sed damnati in summa miseria erunt constituti, in tetro scilicet & tenebricoso carcere captivati. *Alterum* itidem dici nequit, quia ut Scaliger exerc. CCCLIX. sect. 5. adserit & probat, *omnia entia finita necesse est esse in aliquo ubi; ubi est circumstantia necessaria omnibus entibus praeter Deum*, *ubietas est adfectus entis cuiusque necessarius praeter Deum*. Manet ergo *tertium*, videlicet quod damnati in certo πϖ sint futuri. 5) Ex *articulo de Christi ad inferos descensione*. Si infernus non est certum aliquod πϖ, in quo diaboli & homines impii cruciantur, non poterit literalis sensus in articulo de descensu Christi ad inferos retineri, sed transformandus erit in meras allegorias, ac metaphorico sensu explicandus. Sed posterius non permittit canon theologicus,

cus, quod in fidei articulis το ειναι arcte sit tenendum, unde etiam de hoc Christi ad inferos descensu sic canit ecclesia:

Excursus eius ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.

Lipsienses theol. disp. ult. de vita & morte æterna part. II. th. 29. *Infernus est locus a cœlo terraque revera separatus.* Si porro quæras, an illud τοδε sit *creatum vel increatum, corporeum vel spirituale, in hoc mundo, vel extra hunc mundum &c.* breviter respondemus. Scriptura tacente, quis hic loquetur? præstat de inferno per pœnitentiam & sincerum pietatis studium evitando in vero Dei timore solicitum esse, quam scrupulose & curiose eius essentiam extra verbi limites indagare. Sed hac de re in quæstione de loco inferni infra uberius dicetur.

CAPVT IV.

DE CAVSA EFFICIENTE INFERNI.

Causa efficiens inferni.

§. XXVI. Succedit ergo *causa inferni efficiens.* At quam inferno causam efficientem dabimus? ubique difficultates occurrunt, e quibus tamen eluctari utcunque conabimur. Si infernus accipiatur in sensu priore pro *morte aeterna*, dicendum est, promerentem, adeoque propriam, immediatam & adæquatam inferni causam esse *creaturae rationalis a Deo creatore apostasiam. Deus lux est, & tenebrae non sunt in ipso ullae*, 1 Ioh. I. 5. Quando ergo creaturæ a Deo & ipsius verbo, unico ac summo lumine sese avertunt, in tenebras incidunt, ergo etiam in infernum, quia infernus *per tenebras* describitur Matth. VIII. 12. XXII. 13. 2 Petr. II. 17. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 76. p. 312. *Quemadmodum in hoc temporali lumine qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant, quod destituuntur a lumine, & inhabitant tenebras, & non lumen est causa huiusmodi conversationis: sic aeternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se bona omnia, ipsi sibi causa sunt, ut aeternas inhabitent tenebras destituti omnibus bonis sibimetipsi causa habitationes facti.* Deus est *summum bonum* & unicum bonum, extra quem non est verum bonum Matth. XIX. 17. Marc. X. 18. Quando ergo creatura rationalis per liberi arbitrii abusum a Deo creatore sese avertit, tum ex bono in malum incidit, ac proinde etiam in infernum, quia in inferno est *absentia omnis boni & praesentia omnis mali.* Irenæus d. l. *Cum apud Deum omnia sint bona, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semetipsos omnibus fraudant bonis. Fraudati autem omnibus erga Deum bonis, consequenter in Dei iustum iudicium incidunt, qui enim fugiunt requiem, iuste in pugna conversabuntur, & qui fugerunt lumen, iuste inhabitabunt tenebras.* Deus est ipsa *vita*, & extra eum non est vita, Genes. XVI. 14. Deut. XXXII. 40. Ioh. I. 4. V. 26. &c. Quando ergo creatura a Deo creatore, a quo & in quo unice habet vitam, per spontaneam defectionem se avertit, incidit in mortem, ac proinde etiam in infernum, quia infernus describitur per *mortem secundam & aeternam* Ioh. VIII 51. Apoc. II. 11. XX. 6. XXI. 8. &c.

&c. Voluntas Dei est unica illa norma ac regula, iuxta quam creaturæ rationales intelligendi & volendi facultate prædituæ suam voluntatem suasque actiones conformare debent. Quando ergo ad propriam voluntatem convertuntur, hoc est, quando divinæ Voluntati suam submittere & conformare negligunt, in infernum incidunt, quia infernus nihil nisi propriam voluntatem punit. Bernhardus serm. III. de resurr. *Quid odit aut punit Deus praeter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desaeviet, nisi in propriam voluntatem? Propria vero voluntas est, quae non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum;* similia occurrunt in theologia Germanica cap. 42. & 47. Infernus in sacris literis describitur per ignem consumentem. Vt ergo ignis corporeus requirit materiam combustibilem, qua alatur; sic infernalis etiam ignis habet nutrimenti loco *ligna multa* Esai. XXX. 33. quæ vero illa? respondet Origenes: *Peccator flammam proprii ignis sibi accendit ipse, cuius materia sunt & esca peccata nostra*; & Hieronymus in comment. Esai. 65. *Ira, quae est ultionis libido, non ita definitur in Deo, ut in hominibus, quae materiam habet in nostris vitiis, non in Domini voluntate, qui thesaurizamus nobis iram, ut tribulos nostros & spinas & Zizania, quae pro semine Deo attulimus, ligna quoque fœnum & stipulam, quae super fundamentum Pauli aedificavimus, sapiens flamma consumat. Ignis ille terram, hoc est, carnem nostram & genimina eius, hoc est, carnis desideria comburet*, Deut. XXXII. 22.

§. XXVII. Quia vero infernus non est *ipsa apostasia*, sed eius consequens, iustissima scilicet pœna propter apostasiam creaturis rationalibus iusto Dei iudicio inflicta, ideo etiam Deus certo modo ac respectu statui potest inferni causa, *remota* scilicet ac *mediata*. Quemadmodum enim mortis temporalis causam esse diximus in tract. de morte §. 27. & seqq. non tantum *diaboli seducentis malitiam* & *hominis delinquentis culpam*, sed etiam *iustam vindicis Dei iram*, ita quoque ad mortem æternam idipsum ἀναλογικῶς adcommodari potest. Concurrit enim in hominum damnatione: 1) *Diaboli seducentis malitia.* Diaboli seducentis malitia. Diabolus, qui & ipse morti æternæ est obnoxius, & cui ignis infernalis non minus quam impiis hominibus paratus, Matth. XXV. 41. nullius seductione sed propria voluntate, vel ut rectius voluntatis abusu a Deo se averit, & hac ratione damnationi æternæ sese obnoxium reddidit; ideo in ipso ac circa ipsum non habet locum alterius cuiusdam seductoris malitia. Sed si in specie ac definite de hominum damnatione loquamur, non potest ab eius causa diaboli invidia ac malitia excludi, id quod probari potest iisdem fundamentis, quibus suo loco ostendimus, mortis temporalis causam diabolo esse tribuendam, utpote 1) ex *lapsus Adamici descriptione*. Primus homo non solum ad hanc, sed etiam ad futuram cœlestem vitam a Deo erat conditus, quia ad Dei imaginem erat conditus, cuius pars fuit beata immortalitas. Quod si ergo in concreata integritate perstitisset, non solum beatam in his terris vitam egisset, sed etiam finito animalis vitæ curriculo ad æternam in cœlis vitam fuisset translocatus. Verum hanc felicitatem diabolus per suam apo-

sta-

ſtaſiam iamdum in infernum prolapſus homini invidit, ideoque nefariis fraudibus & artibus ipſum permovit, ut per præcepti divini transgreſſionem itidem a creatore ſuo ſeſe averteret. Noverat enim præcepto divino hanc comminationem fuiſſe additam: *Quacunque die de vetita arbore comederis, morte morieris*, Gen. II. 17. ubi *mortis* nomine non ſolum temporalem, ſed etiam æternam mortem intelligi, ſuo loco in tract. de morte oſtendimus. Quare cum ſatanas voti ſui compos factus permoverit hominem, ut per peccatum a Deo creatore ſuo ſeſe averteret: inde etiam in æternam mortem eundem præcipitem dedit adeoque exitii cauſa homini exſtitit, ſic ergo colligimus: Quicunque mendacibus ſuis promiſſis hominem permovit, ut per transgreſſionem præcepti a Deo creatore ſeſe averteret, is etiam in mortem æternam eumdem præcipitavit. *Ratio* eſt, quia transgreſſioni propter divinam comminationem & iuſtiſſimam & veraciſſimam immediate coniuncta fuit mors æterna. Atqui ſatanas mendacibus ſuis promiſſis hominem permovit, ut per transgreſſionem præcepti a Deo creatore ſeſe averteret, ut conſtat ex hiſtoria lapſus Geneſ. 3. Ergo etiam hominem in mortem æternam præcipitavit, & per conſequens a cauſa damnationis ſive mortis æternæ excludi nequit. 2) *Ex Salvatoris aſſertione.* Ioh. VIII. 44. *Diabolus eſt ανθρωποκτονος ab initio*, nimirum quia in mortem non ſolum temporalem, ſed etiam æternam per peccatum hominem præcipitavit. 3) Ex *libri Sapientiae conſenſione.* Sap. II. 23. *Deus creavit hominem επ αφθαρσια.* v. 24. *invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Illa ſcilicet mors, quam homini præceptum divinum transgredienti Deus fuerat comminatus. Ea vero non eſt duntaxat mors *temporalis* ſed etiam *aeterna*, quia peccatum contra Deum infinitum bonum commiſſum eſt infinitum malum; ac proinde non ſolum temporales, ſed etiam ac vel maxime æternas pœnas promeretur. 4) Ex *diaboli denominatione.* Heb. II. 14. de diabolo dicitur, quod habeat το κρατος του θανατου, imperium ac robur mortis non temporalis tantum, ſed etiam æternæ. Confer ea, quæ dicta ſunt in tract. de morte §. 27. illa enim omnia per quamdam analogiam & conſequentiam huc adcommodari poſſunt.

§. XXVIII. Hiſce quatuor fundamentis addi poſſunt inſuper alia, utpote 1) *Apocalyptica viſio* Apoc. VI. 8. *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Mortem dicitur ſequi *infernus*, quia impiis temporalis mors eſt initium mortis æternæ, ſic ergo colligimus: Qui eſt cauſa mortis temporalis, is etiam eſt cauſa mortis æternæ, quia mortem ſequitur infernus. Atqui diabolus eſt cauſa mortis temporalis. Ergo etiam eſt cauſa mortis æternæ. Poteſt etiam viſio illa explicari hoc modo: Mortem, hoc eſt, diabolum, *qui habet imperium mortis*, & eſt pater mortis, ſicut peccatum eſt mortis mater, ſequitur *infernus*, quia infernus eſt horribilis ille ac teterrimus carcer, in quem diabolus truculentus ille tyrannus detrudit, quos prædæ loco ex humano genere ſibi mancipavit, inque captivitatem ſuam redegit. Gregorius lib. IV. moral. cap. 17. *Antiquus hoſtis, quia mortem intulit, mors vocatur, Iohanne atteſtante, qui ait, nomen illi mors*; quo ſenſu quidam accipiunt dictum Eſai. XXVIII. 15. *percuſſimus fœdus cum morte*,

te, hoc est cum dæmone. Confer Primasium & Ansbertum in Apoc. I. super verba: *Habeo claves mortis & inferni.* 2.) *Diaboli seductio.* Christus sanctissima sua passione pro peccatis totius humani generis satisfaciens liberavit nos *a potestate tenebrarum & ex inferni captivitate*, Oseæ XIII. 14. Zach. IX. 11. Coloss. I. 13. &c. sed hoc beneficium pauci grato animo agnoscunt, ut fide sibi illud adplicent, diabolus *ο κοσμοκρατωρ mentes infidelium huius seculi excæcat, quo minus illis fulgeat illuminatio evangelii* 2 Cor. IV. 4. ac fide huius beneficii participes reddantur; multi etiam ex illis, qui fide hoc beneficium sibi applicarunt, patiuntur a diabolo seductore sibi iterum illud eripi, Luc. XI. 26. 2 Petr. II. 20. Vtique ergo causa damnationis & æternæ mortis si non ex toto, tamen ex parte recte tribuitur diabolo, qui modis quibus potest omnibus prohibet, ne ex infernali captivitate exeant, quibus liberationem Christus promeruit, sed peccatorum vinculis constricti & innexi toto vitæ tempore maneant, vel si ex illis divino adiutorio eluctati fuere, summis viribus conatur eosdem in pristinam captivitatem reducere, & damnationis suæ consortes facere. 1 Petr. V. 8. *Diabolus tanquam leo rugiens, quærens quem deglutiat*, hoc est, quem in Barathrum inferni secum absorbeat.

§. XXIX. *II*) *Hominis delinquentis culpa.* Neque enim cogitandum est, Deum ex absoluto quodam odio vel primos homines vel quosdam ex ipsorum posteris ad damnationem creasse, sed causa damnationis immediata, proxima & adæquata in homine quærenda est; Ose. XIII. 9. *Perditio tua ex te.* Sive enim primos homines, sive posteros ipsorum respiciamus, utrobique inveniemus eos sibiipsis mortem æternam peccatis suis attrahere. Primi homines mandatum a Deo acceperant de non comedendo vetitæ arboris fructu addita comminatione, quod, *quacunque die ex ea comederint, morte fint morituri*, hoc est, temporali & æternæ morti obnoxii futuri, Gen. II. 17. Quia ergo diaboli seducentis impulsu a Deo creatore & sancto ipsius mandato sese averterunt, inde propriæ culpa iram Dei, maledictionem ac mortem temporalem & æternam sibi attraxerunt, quo sub pondere æternum ipsis & omnibus eorum posteris fuisset pereundum, nisi Deus ex immensa misericordia Filium suum liberatorem ac redemtorem ipsis misisset. Huc referenda sunt omnia scripturæ dicta, in quibus mors peccati effectus ac stipendium statuitur, quia in illis non solum temporalis, sed etiam ac maxime æterna mors intelligitur, ut ex vera & genuina divinæ comminationis explicatione constat, Rom. V. 12. 15. 17. & 21. VI. 23. 1 Cor. XV. 21. Quamvis enim in primis parentibus & quibusdam ex ipsorum posteris ad Deum scilicet conversis, & in Christum Redemtorem vere credentibus illud peccati effectum æterna scilicet mors, locum non amplius habeat, illud tamen nihil quicquam impedit, quo minus peccati in se ac per se absque remissione considerati effectus ac consequens statuatur æterna mors sive damnatio; quia ex *accidenti*, videlicet ex gratuita peccati propter Christum facta remissione ille effectus peccati proprius incredentibus tollitur, absque qua si esset, & primis parentibus & omnibus ipsorum posteris, instar gravissimi ponderis ira Dei & mors æterna perpetuo incubuisset. Quod ad po-

II) *Hominis delinquentis culpa.*

posteros Adæ attinet, illos omnes non minus quam primos generis humani parentes Christus Iesus, constitutus noster Mediator ac Redemtor, sanctissima sua passione & morte ex æterna morte liberavit, ac bona per lapsum amissa ex immensa gratia perfectissime reparavit, illis etiam omnibus beneficia merito suo parta in verbo evangelii offerri curat, ut fide per Spiritus sancti operationem accensa bona illa sibi oblata amplectantur, & ex statu iræ, sub qua omnes nascuntur, in statum gratiæ transferantur, ex morte æterna liberati vitam in Christo sibi oblatam adprehendant, adeoque ex inferno in cœlum evehantur. Quia vero complures ipsorum in incredulitate, per quam Christi beneficia repudiantur, perseverant, quidam prius ad Deum conversi & fide Christo insiti per peccata contra conscientiam admissa iterum gratia Dei & vita excidunt, inde atque ideo in foveam æternæ damnationis, ex qua per Christum liberati erant, iterum relabuntur. Huc referenda sunt illa scripturæ dicta, 1) in quibus causa damnationis tribuitur *hominum incredulitati*, quam esse formalem, propriam, immediatam & adæquatam damnationis causam in tract. de bon. oper. §. 34. ostendimus, & ex dictis hactenus haud obscure colligitur. Marc. XVI. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioh III. 18. *Qui non credit, iam iudicatus est.* v. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum*, ubi in verbo μένει magna est emphasis suo loco exposita. 1 Ioh. V. 12. *Qui non habet Filium Dei, non habet vitam.* 2) In quibus etiam aliis peccatis causa damnationis tribuitur. Quamvis enim sola incredulitas sit causa damnationis *formalis* & *adaequata* tamen propterea a damnationis causa non debent excludi peccata reliqua, tum quia damnant *meritorie*, tum quia sunt fructus & effectus incredulitatis, de qua etiam luculentum ferunt testimonium. Matth. III. 10. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur, & in ignem mittitur.* VII. 23. *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* XIII. 41. *Angeli colligunt de regno Christi omnia scandala, & omnes qui facient iniquitatem.* v. 42. *Et mittent eos in caminum ignis.* XVIII. 8. *Qui scandala praebuerunt, mittentur in ignem aeternum.* XXV. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum &c.* v. 42. *Esurivi enim, & non dediſtis mihi cibum.* Rom. VIII. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 2 Petr. II. 13. *Peribunt in sua corruptione recipientes mercedem iniustitiae.* Apoc. XXI. 8. *Timidis & incredulis &c. pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure &c.* Huiusmodi dicta plura adducentur inferius, quando de obiecto inferni disseremus.

§. XXX. III.) *Vindicis Dei ira.* Quia enim primus homo per mandati divini transgressionem & sibi & omnibus posteris iram Dei super induxit, ut omnes simus *natura filii irae* Eph. II. 3. inde etiam & sibi & omnibus posteris æternam damnationem iusto Dei iudicio transgressoribus decretam attraxit. Deus cum sit iustissimus, imo ipsa iustitia, non potest creaturæ rationalis apostasiæ & peccato non irasci, ex qua Dei ira porro sequitur iustissima & gravissima peccantium pœna non modo temporalis, sed etiam æterna. Quamvis ergo ratione *voluntatis antecedentis Deus non delectetur morte morientis*, Ezech. XVIII. 23. atque hac ratione

III) Vindicis Dei ira.

mortem non fecerit, nec laetetur in perditione vivorum; Sap. I. 13 tamen quia homini ad imaginem suam condito in prohibitione arboris vetitae γυμνασιον obedientiae proposuerat, ac prohibitioni illi comminationem mortis & damnationis adiecerat, & vero in tanta non peccandi facilitate homo ab obedientia erga creatorem sese nihilominus averterat, ideo homini in peccatum prolapso non potuit non irasci, ac proinde ratione *voluntatis consequentis ac iudiciaria* non potuit non hominem propter peccatum a se abiicere & morti adiudicare, cum non solum immota iustitiae regula, sed etiam antegressae comminationis veritas illud requireret. Nisi ergo Filii Mediatoris divino consilio constituti intercessio & λυτρωσις in plenitudine temporis persolvendi promissio interveniisset, ira Dei, quae est, *ignis consumens*, Deut. IV. 24 Heb. XII. 29. primos homines post lapsum statim in infernum praecipitasset, & nunquam finiendis peccatorum suppliciis subiecisset. Idem iudicium esto de Adae posteris, quod scilicet omnium eorum, qui non sunt in Christo, qui non per Christum & propter Christum peccatorum suorum remissionem impetrant, ac Deo reconciliantur, quod inquam omnium illorum peccata non possint non a Deo iusto iudice peccatis severe irascente temporalibus & aeternis poenis adfici, inde inferni fovea sic describitur Esai. XXX. 33. quod *flatus Domini sicut torrens sulphuris ignem & lingua inferni succendat*, hoc est, quemadmodum homo flatu suo ignem accendit & fovet, sic ira Dei, quae est instar ignis, inferni flammas accendet & in aeternum fovebit; ac Psalm. XXI. 9. dicit propheta regius: *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextra tua inveniet omnes, qui oderunt te.* v. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui sive irae tuae, Dominus in ira absorbebit eos, & devorabit eos ignis.* Matth. XXIII. 33. damnatio impiorum vocatur *iudicium gehennae*, quia iusto Dei iudicio impiis haec poena infligitur. Unde etiam per Mosen ait Dominus Deut. XXXII. 22. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*, hoc est, ultio irae & indignationis meae adversus transgressores exardescet instar ignis ad novissima inferni usque pertingens. Huc pertinent dicta scripturae 1.) in quibus aeternum impiorum supplicium vocatur *ira ventura*, quia scilicet ex iusta Dei ira ipsis infligetur, Rom. II. 5. & 8. V. 9. 1. Thess. I. 10. 2.) In quibus impii dicuntur *poenas daturi a facie Domini*, 2. Thess. I. 9. quia per *faciem Domini* quandoque ipsius ira intelligitur. 3.) In quibus infernus describitur per *ignem urentem*, quia praeter causas alias suo loco enumerandas ira Dei hunc ignem accendet. 4.) In quibus damnati dicuntur à Deo abiiciendi, ac separandi, quia per illam abjectionem ac separationem nihil aliud intelligitur, quam quod irae Dei in omnem aeternitatem futuri sint obnoxii. 5.) In quibus Deus dicitur *unicuique in die iudicii retributurus secundum opera*, Rom. II. 6. *ac tribulationem redditurus impiis* ecclesiam adfligentibus, 2. Thess. I. 6. illa enim retributio irrogationem aeterni supplicii complectitur. Lutherus in enarr. Gen. XLV. tom IV. f. 155. *Ira Dei est infernus diaboli & omnium damnatorum.* Notandum tamen, quod ira Dei non sit talis quaedam passio, qualis in nobis, sed efficax & omnipotens voluntas poenas aeternas damnatis infligendi, ex qua cum talia proficiscantur, quae ab homine irato ac prae excandescentia furente proficisci solent, ideo etiam ira ac furor adpellatur. Augustinus

lib.

lib. XV. de civit. Dei cap. XXV. *Ira Dei non est perturbatio animi eius, sed iudicium, quo irrogantur pœnae peccatis.* In enchirid. cap. XXXIII. *Cum Deus dicitur irasci, non significatur eius perturbatio qualis est in animo irascentis, sed ex humanis motibus translato vocabulo vindicta illius, quae non nisi iusta est irae nomen accepit.* Anshelmus lib. I. Cur Deus homo cap. VI. *Ira Dei non est aliud quam voluntas puniendi.* Quemadmodum ergo Dei misericordia est quiddam longe ardentius in Deo quam noſtra miſericordia: ita quoque Dei ira eſt quiddam longe majus & ardentius quam noſtra ira.

Quo reſpectu pœna damnatorum Deo tribuatur?

§. XXXI. Ut autem evidentius conſpiciatur, quare & qua ratione Deus cauſis inferni adnumeretur, notandum eſt, poenam illam damnatis irrogatam tribui Deo 1.) ratione *praeparationis.* Eſaj. XXX. 33. de fovea infernali dicitur, quod ſit טֹפֶת ערוך מאת *parata ab heri*, quod ſit הוכן *praeparata etiam regi.* Matth. XXV. 41. *Ignes aeternus* dicitur *paratus diabolo & angelis ejus.* Quæritur ergo ulterius, a quo & per quem paratus ſit ille ignis? Reſponder Juvencus lib. VI. hiſtor. evangel. *a Deo illum eſſe paratum*, ſic enim canit:

At vos injuſti juſtis ſuccedite flammis,
Et pœnis ſemper mentem torrete malignam,
Quas pater horrendis barathri per ſtagna profundi
Daemonis horrendi ſociis, ipſique paravit.

Pagninus in verſione Eſaj. XXX. 33. textui illud inferere non dubitavit, *praeparata eſt fovea, profundam fecit eam Deus, dilatavit eam.* Quam reſponſionem probamus hoc modo: Quemadmodum Deus regnum cœleſte ac vitam æternam vere piis & in Chriſtum credentibus dicitur ab æterno *praeparaſſe*, quia elegit eos ad ſalutem: ita quoque infernum impiis & incredulis ab æterno præparaſſe dicendus eſt, quia reprobavit eos ad damnationem. Electio eſt præparatio ſalutis, reprobatio eſt præparatio damnationis. Ut decretum electionis eſt æternum, ita quoque decretum, reprobationis eſt æternum; unde *infernus* dicitur *paratus ab heri*, hoc eſt, ab æterno, quia heri omne tempus antecedens complectitur, & ad ipſam æternitatem tandem nos deducit Hebr. XIII. 8. Ut decretum electionis non eſt abſolutum, ſed reſpectum habet ad fidem in Chriſtum, ita quoque decretum reprobationis, ac proinde etiam inferni præparatio non eſt abſoluta, ſed reſpectum habet ad incredulitatem & impœnitentiam finalem, ut ſuo loco plenius probatur. Irenæus, Origenes, Chryſoſtomus & Euthymius obſervant, ignem illum dici paratum *non hominibus, ſed diabolo & angelis eius*, Matth. XXV. 41. quia diaboli propter ſuam apoſtaſiam absque ullo remedio illi ſunt deſtinati; ſed hominibus paratum fuerat peccatorum remedium in Chriſto Mediatore, per quem vera fide adprehenſum potuiſſent ac debuiſſent pœnam illam effugere, ſed quia diabolo ſponte ſeſe conjunxerunt in culpa, ideo etiam juſto Dei judicio conjungentur cum ipſo in pœna. Confer, quæ in tract. de extremo judicio §. 60. hac de re latius ſunt dicta. Ad hanc *inferni praeparationem* adcommodari poteſt, quod 2. Pet. II. 4. de diabolis dicitur: *Deus peccantibus angelis non pepercit, ſed in tartarum eos praecipitans catenis caliginis tradidit in iudicium ſer-*

servatos. & Jud. v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* 2.) Ratione *comminationis.* Deus non solum ab æterno paravit transgressoribus, incredulis & impœnitentibus infernum, hoc est, fecit æternum reprobationis decretum, sed etiam in tempore hoc suum decretum hominibus manifestavit, ut pœnam transgressoribus constitutam caverent. Sic primis hominibus præceptum de abstinendo a vetitæ arboris fructu proponens, disertam ei adjicit comminationem: *Quacunque die ex ea comederis, morte morieris,* Gen. II. 17. Post lapsum Adæ protevangelium de *semine mulieris, caput serpentis conteritur,* ac regnum infernale destructuro revelavit; sed interim per doctrinam legis omnibus inobedientibus maledictionem denunciavit, sicque inferni pœnas ilis comminatus est, nisi in tempore gratiæ ad Deum se convertant, & fide in Christum peccatorum remissionem consecuti ab æterna morte liberentur. Ut autem *praeparatio inferni*, de qua diximus, sive decretum reprobationis non procedit ab absoluto quodam erga homines odio: ita quoque ipsa illa comminatio evidens documentum est, *Deum non delectari hominum perditione, neque velle mortem peccatorum,* Ezech. XVIII. 23. XXXIII. 11. *non esse ipsius voluntatem aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti,* 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. Inde enim atque ideo poenam prius minatur, antequam infligat, ut per veram ac seriam conversionem durante adhuc tempore gratiæ homines eamdem effugiant, sicut de arcu Dei *prius minante quam feriente* in principio hujus tractatus diximus. 3.) Ratione *irrogationis.* Quando Deus peccatoribus inferni poenas comminatur, tunc comminationes illæ non sunt habendæ eo loco, ac si essent inania terriculamenta & fulgura ex pelvi, sed in die judicii in conspectu omnium angelorum & hominum verbis suis robur & pondus inesse demonstrabit, quando ad impios sinistrorsum collocatos dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum,* Matth. XXV. 41. quam denunciationem statim sequetur exsecutio: v. 26. *Ibunt hi in supplicium aeternum.* In hac exsecutione utetur ministerio angelorum, Matth. XIII. 41. *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *& mittent eos in caminum ignis.* Quidam hoc accipiunt de *angelis bonis*, quia dicuntur *angeli Christi*, cum contra mali dicantur *angeli diaboli*, Matth. XXV. 41. Apoc. XII. 7. & quia *congregatio electorum a quatuor ventis* ipsorum ministerio tribuitur, Matth. XXV. 31. denique quia etiam *diaboli detrudentur in infernum*, utique non a sociis suis, sed a bonis angelis, Apoc. XX. 3. Quidam vero de *malis*, qui absolute sine addito προσδιορισμω in scripturis quandoque dicuntur *angeli*, Actor. XXIII. 8. Rom. VIII. 38. 1. Cor. IV. 3. neutra interpretatio fidei analogiæ repugnat. Augustinus lib. I. quæst. evang. cap. 10. *Officia vindictae possunt implere boni angeli bono animo, quomodo lex, quomodo iudex, officia vero misericordiae mali implere non possunt.* De hac pœnarum infernalium irrogatione die judicii futura exstant luculenta scripturæ dicta: Psalm. VII. 13. *Dominus sagittas suas efficiet in ardentes.* XI. 6. *Pluet Dominus super impios laqueos sulphur & ignem.* Ezech. XXVI. 20. *Cum detravero te cum his, qui descendunt in lacum.* Matth. VII. 23. *Nunquam novi vos, discedite a me.* X. 28. *Timete eum, qui potest*

test animam & corpus perdere in gehenna. XXII. 13. *Tollite eum, & projicite intenebras exteriores &* c. Apoc. I. 18. Christus dicitur *habere claves inferni*, quod Richardus de S. Victore exponit, *per potestatem suam portas inferni in fine aperiet, ibique diabolum & sectatores eius fine fine cruciandos includet.* Potest huc referri, quod quidam justo Dei judicio etiam in hac vita infernalium cruciatuum initia ac prægustum sentiunt. 4.) Ratione *conservationis.* Inferni pœnæ non definiuntur in scripturis per ἀνυπαξίαν & redactionem creaturæ rationalis in nihilum sed per irrogationem æternorum & atrocissimorum cruciatuum, ergo damnati in vivis conservabuntur, ut æternis poenis sustinendis in perpetuum supersint. Hæc conservatio dependet ab omnipotente Dei virtute, quæ omne, quidquid est & subsistit, conservat; inde 2. Thess. I. 9. impii dicuntur *pœnas daturi æternum interitum a facie Domini & a gloria virtutis eius*, hoc est, a gloriosa virtute seu robore ejus, quia virtus Dei in mediis inferorum flammis illos conservabit, ne ab igne infernali in nihilum redigantur, sicut ignis judicii coelum & terram in nihilum rediget. Thomas quod lib. VII. art 11. *Corpora damnatorum erunt incorruptibilia, quamvis sint passibilia, incorruptibilitatis autem prima causa & principalis est iustitia divina, quae conservabit corpora damnatorum in pœnis perpetuis;* inde est, quod *flatus Domini sicut torrens sulphuris infernum succensurus* dicitur Esai. XXX. 33. Ut enim sulphur torrentis perpetuum suppeditat igni nutrimentum, ne exstinguatur: ita quoque vindicis Dei ira cum sit æterna & nunquam desitura, perpetuum igni infernali exhibebit fomentum & nutrimentum, ne ullo unquam tempore in omnem æternitatem exstinguatur; ut *fons vitæ* a sede Dei in cœlestem Hierosolymam profluit ad lætificandam civitatem Dei & conservandam beatorum gloriam in perpetua viriditate, Apoc. XXII. 1. sic *torrens sulphuris* a Dei flatu erumpet, qui perpetuo igne damnatos in æternum cruciabit. Psal. LXXV. 9. dicuntur impii *feces iræ divinae sorbituri*, quia vero ira illa est æterna, ideo eas nunquam exsorbere & poculum illud sibi exhauriendum evacuare poterunt, qua de re in quæstione de pœnarum infernalium æternitate uberius dicetur.

§. XXXII. Hisce quatuor modis iuxta fidei analogiam expositis *Dei vindicis ira* causis inferni enumeratur. Qui infernum statuunt esse πῦ aliquod creatum & corporeum, illi adderent etiam quintum modum, quod scilicet Deo tribuatur ratione *creationis.* Gregorius in Iobi X. super verba: *Devorabit eum ignis, qui non accenditur; Omnipotentis iustitia futurorum praescia ab ipsa mundi origine gehennae ignem creavit.* Innocentius libr. III. de contemtu mundi c. 6. *Ignis gehennae nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi.* Quemadmodum enim regnum cœleste dicitur piis *paratum a constitutione mundi*, Matth. XXV. 34. quia cœlum sive πῦ illud in quo summam illam beatitudinem pii percipiunt, in prima mundi constitutione iuxta quorumdam hypothesin est creatum; sic ignis infernalis dicitur *paratus diabolo & angelis eius* v. 41. quia infernus sive πῦ illud, in quo diaboli & homines damnati pœnas suas persolvent, itidem in creatione est productum. Ad hanc inferni creationem sive structuram adcommodari posset per quamdam ἀναλογίαν dictum propheticum Esai. XLV. 7. *Ego Dominus, & non est alter, formans*

lucem, id est, cœlum lucidum, *ac tenebras*, id est, tenebricosum & caliginosum infernum. Quemadmodum enim rex aliquis terrenus in regia sua non solum exstruit amplissima & lucidissima palatia, in quæ hospites & filios suos introducit, sed etiam tetrum & horridum carcerem in cryptis terræ exstruit, in quem servos & subditos inobedientes concludat, sic cœlestis rex non solum lucidissimum ac splendidissimum cœli palatium exædificavit, in quod dilectos suos filios aliquando recipiet, sed etiam caliginosum exstruxit infernum, in quem fugitivos & inobedientes servos præcipites dabit. Quin & quidam eo usque progrediuntur, ut diem, quo infernus creatus est, determinare ausint. *Rabbini* ex verbis Esai. XXX. 33. *Præparata est ab heri*; colligunt, *carcerem damnatorum*, de quo propheta ibi loquitur, *creatum fuisse die secundo, quia dies illa tantum habuit heri, id est unum diem priorem*; sed scire debeant, *heri* in scripturis sacris indefinite pro tempore antecedente etiam longissime distante, adeoque pro ipsa æternitate accipi, sicut *cras* pro toto futuro tempore, quantumvis adhuc longe distante, usurpatur. Quidam tamen ex rabbinis *die septimo infernum creatum esse*, fabulantur; existimant enim terram proprie habere os absconditum, quia Num. XVI. 30. dicitur: *terra aperuit os*, illudque *creatum esse septima die mundi*, puta sabbato ad solis occasum. *Pontificii* de tempore, quo infernus creatus, itidem sententiis variant. Ludovicus Molina statuit, *tertio die creatum esse infernum*, quia tertio die terra fuit ornata, infernus autem est in centro terræ. Cornelius a Lapide in comm. Genes. I. *primo die* infernum creatum esse arbitratur. Cum enim angeli sint, & instantaneos habeant actus, omnino verisimile est, eos primo die non diu post creationem suam peccasse, ideoque statim e cœlo in infernum detrusos esse, quem Deus statim post peccatum eorum quasi carcerem & aculeum cum suo igne & sulphure eis adparavit in centro terræ. Sed quia hypothesis illa, quod *infernus sit in centro terræ*, adhuc dubia est, & quia in scripturis nobis non est revelatum, an πῦ illud inferni, in quo damnati cum diabolis sustinebunt pœnas, sit creatum vel increatum, corporeum vel incorporeum, intra vel extra hunc visibilem mundum, ideo præstat de evasione potius quam de creatione inferni esse solicitum.

Argumenta contra adæquatam inferni causam

§. XXXIII. Causæ igitur inferni hoc ordine enumerari possunt. *Causa promerens* est creaturæ rationalis apostasia, ad quam diabolus propria sponte a Deo deficiens hominem persuasionibus suis induxit. *Causa puniens ac vindicans* Dei ira, cujus ignem homo peccatis suis accendit, ut postmodum ignis iræ divinæ succenderet ignem inferni. *Causa interior ac προγεγμένη* hujus gravissimæ pœnæ est immota Dei justitia, cui oportet satisfieri, & infallibilis ejusdem veritas, egressum enim ex ore ejus erat verbum: *quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris. Causa exterior ac προκαταρκτικὴ* itidem, est creaturæ rationalis ad obedientiam Deo Creatori obstrictæ apostasia; si enim absque ea esset, nec infernus esset, ac proinde apostasiam illam *propriam, adæquatam & immediatam* inferni causam diximus. Sed contra hanc adsertionem tria obverti possunt: 1.) *Si* Deus *ab æterno infernum præparavit, causa eius propria, adæquata & immediata non potest esse creaturae rationalis apostasia, ea enim in tempore contigit.* Resp.

Deo

Deo utpote omniscio jam inde ab ultima æternitate constitit, diabolum & hominem in peccata prolapsuros, ideo etiam pro transgressoribus infernum præparavit, id est, decretum reprobationis de damnandis angelis malis & hominibus in impœnitentia & incredulitate ad finem usque perseverantibus ab æterno fecit. Si & angeli & homines in concreata sua integritate perstitissent, idipsum etiam Deo non fuisset ignotum, proinde etiam infernum non præparasset. 2.) *Posita creaturae rationalis apostasia non ponitur statim infernus, quia primi parentes post commissum peccatum non statim detrusi fuerunt in infernum*, Resp. posita causa propria, adæquata & immediata ponitur effectus, scilicet *si non impediatur*. Primi parentes post lapsum æque ac mali angeli statim in infernum fuissent prolapsi, & nunquam ex eo liberati, nisi Deus ex ineffabili misericordia hanc causæ propriæ & adæquatæ efficaciam cohibuisset, ac primos parentes propter interceſſionem Filii & promissam λύτρω persolutionem in gratiam iterum recepisset. Diaboli quamvis in carcerem infernalem nondum sint eo modo conclusi, ut nullus ex eo pateat regressus, (quo modo in die judicii demum huic carceri mancipabuntur) tamen suum secum semper circumferunt infernum, & a facie Dei se in æternum abiectos esse noverunt. 3.) *Incredulitas est formalis, propria & adaequata damnationis causa, illa ergo potius fuisset adsignanda, quam creaturae rationalis a Deo apostasia.* Resp. si in *specie* de hominum damnatione post editum de semine mulieris contriturо caput serpentis decretum quæratur, eius causa recte statuitur *finalis incredulitas*; sed quia in *genere* de causa inferni, quæ etiam in angelis malis & primis hominibus in peccatum prolapsis locum habeat, agendum fuit, ideo apostasiam creaturae rationalis pro adæquata & immediata mortis æternæ causa adduximus. Huius apostasiæ species, imo ut sic loquar, ipsum *formale* est incredulitas nisi enim a Dei verbo per incredulitatem creatura rationalis sese averteret, etiam a creatore summo & unico bono non discederet. Ex quibus omnibus porismatis loco colligimus, horribilem & blasphemam esse Calvinianorum doctrinam, qua fingunt, *Deum creasse primos homines, ut laberentur, hoc est, ut lapsu illo sibi & omnibus posteris aeternam mortem attraherent, Deum absoluto quodam odio maximam humani generis partem ad damnationem & causas damnationis reprobasse*, & quæ sunt huius generis portenta alia suo loco relata & refutata.

CAPVT V.

DE MATERIA INFERNI.

Materia inferni.

§. XXXIV. *Materiam* inferni veteres ἀναλογικῶς videntur statuere *peccata*, quando dicunt *ignem infernalem nihil aliud absumturum quam peccata.* Ut ergo materia ignis diaconici sunt ligna, stipulæ & alia combustibilia, quibus pascitur, sic infernalis ignis materia & nutrimentum sunt hominum peccata. Sed ostendimus iam ante, ea rectius ad *causam promerentem atque efficientem* referri, ac si materiæ vicem sustinere debent, rectius vocantur *materia circa quam* sive *obiectum*, ut

inferius videbimus. Quam ergo materiam inferno κατ αναλογιαν adsignabimus ? Si infernus accipiatur in significatione priore pro *morte aeterna*, ac horribili illa pœna, quam damnati in æternum sustinebunt, tum frustra quæritur eius materia *ex qua*, quia accidentia non habent materiam *ex qua*, sed *in qua* sive subiectum, & *circa quam*, sive obiectum. Sicut mors temporalis utpote privatio non habet materiam ex qua, ita quoque mors æterna materiam aliquam proprie sic dictam non habet. Si vero infernus accipiatur in significatione posteriore de *illo* πϖ, in quo damnati velut in caliginoso quodam carcere cum diabolis concluſi tenebuntur ; iam ante diximus, non exstare in scripturis manifeste revelatum, quale sit illud πϖ corporeum vel incorporeum, intra vel extra hunc mundum. Qui infernum collocant in *centro terrae*, eumque statuunt *esse locum aliquem corporeum tenebricosum igne materiali plenum*, ille distinguerent inter *materiam praeexistentem* & *coëxistentem*, sive *materiam constitutionis* & *compositionis*. Materiam *praeexistentem* inferni dicerent non posse dari, nisi forte ex rudi & informi massa primo die creata eum die tertio una cum terra dicerent formatum. Materiam *coëxistentem* dicerent esse caliginosam & obscuram illam terræ partem, quæ infernalem cavernam ambit & concludit. Sanctius in Esai. XXX. p. 334. *Tophet dicitur praeparata ab heri, id est, constitutione mundi, tunc enim sinus ille in visceribus terrae, id est, in centro terrae relictus qui damnatorum futurus esse carcer.* Sed quid de hac opinione, quæ infernum in centro terræ collocat, statuendum sit, in quæstione de inferni loco dispicietur.

CAPVT. VI.

DE FORMA INFERNI.

Forma inferni.

§. XXXV. *Formam inferni* docendi causa constituimus duplicem, *internam* & *externam*. *I) Internam* formam constituunt

1) *interna.*

graviſſimæ illæ pœnæ ac horribiliſſima supplicia, quæ damnati in æternum cogentur sustinere. Per ea namque infernus est id, quod est & ab aliis omnibus distinguitur, cum primis si in priori significatione eum considéremus, utique ergo in illis forma inferni interna recte constituitur. Gravitas pœnarum infernalium a nobis hominibus nec mente comprehendi nec verbis plene explicari potest. Quemadmodum enim felicitatem piorum in cœlis ipsis præparatam nemo hominum in terris degentium animo perfecte concipere nedum lingua eloqui potest, Esai. LXIV 4. 1 Cor. II. 9. *Non adscendit in cor hominis, quid praeparaverit Deus se diligentibus ;* ita quoque extremam miseriam atque infelicitatem damnatorum in inferno nullus mortalium satis digne æstimare & expendere potest. Faustus Regiensis in epist. I. ad Paulin. *Sicut illud, quod promisit Dominus diligentibus se, etiam testimonio apostoli pro rei magnitudine in cor hominis non adscendit ; ita futurorum immensitas cruciatuum angustias humanae mentis excedit.* Sicut præmium piis promissum est *bonum universale* omnium bonorum genera & species complectens ;

sic

sic supplicium peccatoribus præparatum est *malum universale*, in quo omnia malorum & suppliciorum genera in unum coacervata deprehenduntur. Pœna infernalis est *infinita*, quia æterna, & quia separat a Deo, qui est infinitum bonum, iam vero finitus intellectus non potest infinitumperfecte cognoscere. Ergo etiam pœnam inferni perfecte nequit. Augustinus serm. CLXXXI. de temp. *Huius pœnae & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus sive bonis sive malis. Non est dubium, quin id, quod nulla temporis mensura circumscribitur, nulla etiam creata mente comprehendatur.* Ludovicus Granatensis Dom. XI. post Pentec. conc. I. Gravitas illa infernalium pœnarum quodam modo conspici potest, si distincte consideremus 1.) *intensivam earum atrocitatem*, 2) *extensivam earum aeternitatem.* Vtrumque membrum emphaticis verbis pii veteres describunt ac per συναθροισμον pœnarum istarum atrocitatem ob oculos nobis proponere satagunt, quorum dicta insigniora primo loco recitabimus, postea etiam nostram de illis sententiam certo ordine explicabimus. Basilius in comm. Psal. 34. tres gradus æternarum pœnarum describit: πυρ αλαμπες την μεν καυστικην δυναμιν εχον, το δε φεγγος αφηρημενον, ειτα σκωληκων γενος ιοβολον και σαρκοφαγον, απλησως εθιον και μηδεποτε κορεννυμενον, αφορητος οδυνας εμποιουν τη καταφρωσει, ενται την πασων χαλεπωτατην κολασιν τον ονειδισμον εκεινον και την αισχυνην την αιωνιον. *Ignem obscurum & lucis expertem & tamen urentem, deinde vermium genus venena iaculans & carnem absumens, quod nunquam saturatur & intolerabiles dolores arrodendo excitat, postremo omnium gravissimam pœnam, videlicet aeternum probrum.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum Lapsum: *Frendemus dentibus propter labores & cruciatus illos indicibiles, nemo suppetias feret. Plorabimus omnes tristissime, flamma nobis vehementius incumbente. Neminem videbimus praeter condemnatos nobiscum & immanem solitudinem. Quis potest verbis consequi, quam formidabiles pavores a tenebris exorientur, qui in animis nostris exstabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim resolvendi, sic nec lucere potest alioquin non essent tenebrae; huiusmodi igitur pavorem a tenebris, tremorem, solutionem membrorum, attonitum stuporem adducere sufficit una illius temporis ratio. Multa illic variaque tormenta, grumuli pœnarum ceu nivis inundant.* Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animæ: *Heu heu qualis illius loci facies, ubi fletus & stridor dentium, quem tartarum adpellant, quem ipse diabolus expavet! Vae vae, qualis est gehenna ignis exstincti, ardentis quidem sed non lucentis, sed & luce carentis! Heu qualis est insomnis & virulentus vermis! Vae vae, quam graves illae exteriores tenebrae & assiduae! Heu heu quales sunt angeli insligendis pœnis destinati, truculenti & immites! &c. O temporis illius tribulationem, o necessitatem, o tempestatem! A sanctis grave dirimi, gravius a Deo dissociari; ignominiosum tum manibus, tum pedibus colligari; durum in exteriores tenebras amandari; horridum fremere, dentibus stridere, contabescere; acerbum iugibus pœnis atteri; laboriosum linguae flammas sustinere; miserrimum est aquae postcere guttulam, & repulsam accipere; peramarum in ignibus esse & vociferari, nec tamen sublevari. Inaccessae fauces & immensum chaos neque fuga se subtrahere, quoniam occluditur; abitum parare non potest, quia coercetur; custodiae murus inseparabilis, inhumani ergastuli tenebricosus carcer, insolubilia vincula, vi nulla refrin-*

gendae catenae, feri & intractabiles flammae illius ministri, graves illae, quae ad supplicium adhibentur scuticae, firmi ungues & infracti, praedura flagella, pix nebulosa & strepitans, sulphur graveolens, atra cubilia, pyra semper ardens, fœdus & olens vermis, tetricum praetorium. Augustinus epist. CCXI. ad Iulian. *Vae iis quibus praeparatur dolor vermium, ardor flammae sitis sine exstinctu, fletus ac stridor dentium, oculorum lacrimae, tenebrae exteriores sine luce, pœna inexterminabilis; ubi non est ullus honor sive agnitio proximi, sed continuus dolor ac gemitus, ubi mors optatur, sed non dabitur.* Idem, vel quicunque alius auctor in libr. de triplici habitaculo cap. 2. *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile & calor ignis inexstinguibilis &c. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiae, pœna tenebrarum, severitas tortoris, praesentia daemonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiae, ignitae lacrimae, suspiria miseriae, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors aeterna, poena sine fine, absentia Christi quoad visionem eius, quae sola omnia supradicta superat, & omnibus pœnis intolerabilior.* Ibidem cap. 7. *Tunc horribilia patebunt loca, pœnarum chaos & caligo tenebrarum, horrorum, miseriae & tribulationis tremor, timor angustiae & confusionis, dolor horrendae visionis, tremor tremendae mansionis, locus flentium, ubi stridor dentium, ubi morsus vermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi est vox clamantium peccatorum & dicentium: Vae nobis filiis Evae. Cumque his & similia, imo millesies plus quam dici possunt peiora de corpore egressura misera anima imo miserrima audierit, viderit & senserit, qualis quantusque & quam magnus terror & tremor ac timor erit in ea, quae lingua potest dicere, quis liber potest exponere? Habebunt fletum in oculis, stridorem in dentibus, fœtorem in naribus, vincula in manibus & pedibus, & ignem in toto corpore.* Cassianus de confess. theolog. part III. *Quis dicere valeat, quae impiis & male viventibus tormenta sint praeparata? in ipso enim continuae mortis loco, qui infernus adpellatur, quid aliud nisi ignis flamma, perseverans tribulatio & perpetua pœna atque infinita totius mali calamitas esse potest? Igneus autem fluvius & fœta palus complet ista omnia. Ibi sane atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent & stimulant ad tormentum ut caudae scorpionum, quorum adspectus tremorem inducit & dolorem atque mortem. Atque utinam mors posset in his subvenire angustiis, sed quod est horribilius, ad hoc vivit in tormentis positus, ut cruciatibus gubernetur; ad hoc redintegratur, ut rosus serpentibus & iteratis subinde iterumque repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant, & regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat, atque horribiles diversi generis belluae incredulorum animas multipliciter sine cessatione cruciant. Illic ululatus & planctus, gemitus & mugitus continue sonant, simulque clamor ubique confusus attollitur, quem dira vis tormentorum exagitat, & incendii arsura extorquet. Ibi vermis, qui non moritur, & ignis, qui nunquam exstinguitur, atque stridor semper dentium sentitur, gehennae lethale frigus & glacies indeficiens, fames pessima & sitis immensa, dolor perpetuus & continuus languor, saeva pestis & indicibilis lues, tenebrae densissimae & nox obscuritatis horrendae, nulla requis datur miseriae, omnia ibi mala & cun-*

cuncta tormentorum genera, mors immortalis, defectus indeficiens, finis infinitus. Prosper lib. III. de vita contempl. c. 12. *Fletus & stridor dentium accerimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio aeternae mortis addicti non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus aeternus, dolor summus, poenalis sensus, torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, non finiunt &c. Quod dicit propheta, vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur, ad totam refertur damnati hominis poenam quam inefficacis poenitentiae ignis exurit, & consumentis consientiae vermis immortaliter rodit &c. Cogita quale malum illud sit, ab illo gaudio divinae contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, fieri patriae coelestis extorrem, mori vitae beatae, morti vivere sempiternae, in aeternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, ubi sit mors secunda damnatis exsilium, vita supplicium, non sentire in illo igne, quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcaecari, profundo gehennae fluctuantis immergi, edacissimis in aeternum dilaniari vermibus, nec finiri.* Cassiodorus lib. de anima cap. 19. *Miserrimi omnium sunt damnati, & perdendo, quod diligunt, & iugiter patiendo, quod nolunt. Ævum sine dulci vita, mors sine remediabili fine, civitas sine laetitia, patria exosa, amara domicilia, coetus tristitium, turba lugentium.* Smaragdus in prolog. regulae: *Duplex in gehenna est damnatorum poena, illorum enim & mentem urit tristitia & corpus flamma.* Anshelmus lib. de similitudin. cap. 49. *Erit ibi turpitudo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. Septem priores huius miseriae partes corporis, septemque ultimae miseriam perficiunt mentis.* Hugo Victorinus lib. IV. de anim. cap. 13. *Ibi miseria, ibi tenebrae, ibi ordo nullus, ibi horror aeternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Omnis, qui est in eo, odit se & omnes alios. Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimus est maius omnibus his tormentis, quaecunque in hoc seculo fieri possunt. Ibi est fletus & stridor dentium, ibi transibitur a frigore nivium ad calorem igneum & utrumque intolerabile. Ibi omnes comburuntur & vermibus corroduntur, nec consumuntur. Vermis quorum non moritur, & ignis non exstinguitur. Nulla ibi vox, nisi vae vae. Vae habent, vae sonant. Tortores illic diaboli torquent pariter, & torquentur, & eorum nunquam finis erit, aut remedium. Talis est infernus & millies peior.* Bernhardus in lib. medit. cap. 3. *Nihil aliud ibi auditur nisi fletus & planctus, gemitus & ululatus, maerores atque stridores dentium, nihilque ibi videbitur nisi vermes & larvales facies tortorum atque teterrima monstra daemonum.*

Vermes crudeles mordebunt intima cordis,
Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor & timor horrens.

Ardebunt miseri in igne aeterno & in aeternum & ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per consciențiae vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, foetor incomparabilis, mors animae & corporis sine spe veniae & misericordiae. Sic tamen morientur, ut semper vivant: & sic vivent, ut semper moriantur. Ser. VIII. in Psalm. Qui habitat in adiutorio &c. *Fletus ibi erit ob ignem, qui non exstinguitur; stridor vero dentium ob vermem, qui non moritur. Plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore.*

Fle-

Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiae & obstinata malignitas extorquebit. Innocentius serm. II. in die cinerum: *Pœna infernalis est reatus ex tribus contexta funiculis, ex obscuritate tenebrarum, acerbitate pœnarum & diuturnitate miseriarum.* Lib. III. de cont. mund. c. 4. *Pœnae infernales secundum diversa peccata sunt diversae. Prima pœna est ignis. Secunda frigoris, de his dixit Dominus.* Ibi erit fletus & stridor dentium. *Matth. 13. ibi erit fletus & stridor dentium. Fletus propter fumum ignis, stridor dentium propter frigus. Tertia erit fœtor. De his tribus dicitur Ps. 10.* Ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. *Quarta vermes indeficientes, unde Esai. 66.* Vermis eorum non morietur. *Quinta mallei percutientes, unde dicit Salomon. Prov. 19.* Parata sunt damnationis iudicia blasphematoribus, & percutientes mallei stultorum corporibus. *Sexta tenebrae palpabiles interiores & exteriores, unde Iob. cap. 10.* terra miseriæ & tenenebrarum *Ps. 43.* in æternum non videbunt lumen. *1 Reg. 2.* impii in tenebris conticescent. *Septima confusio peccatorum, tunc enim* erunt liberi aperti, *Dan. 7. id est, conscientiae hominum erunt omnibus manifestae. Octava horribilis visio Daemonum, qui videbuntur in excussione scintillarum de igne adscendentium. Nona igneae catenae, quibus impii singulis membris constringentur.* Lib. eiusdem cap. 6. *Est apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum aeternitas.* In vitis patrum lib. VII. c. 44. de quodam abbate refertur, quod ignem inferni iugiter sibi proponens dixerit: *Video ibi pares gemitus & incessabiles lacrimas. Adspicio stridentes dentibus & salientes toto corpore & trementes a capite usque ad pedes. Video & mare ignis bullientis immensurabile & circumfluentes & mugientes, ut putent aliqui, usque ad cœlos attingere fluctus ignis & in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos & una voce omnes clamantes & ululantes simul, quales nemo super terram ululatus & voces unquam audierat, & sicut arentia omnis virgulti cremare misericordia autem Dei se avertente ab illis.* Bonaventura in diæt. salut. tit. X. c. 1. *Pœnae reproborum erunt primo acerbissimae & intolerabiles. Gravissima enim pœna, quae in hoc mundo potest tolerari, minor est pœna inferni. Secundo erunt diversae, unde nota, quod in sacra scriptura inveniuntur novem pœnae. Prima est pœna ignis, secunda pœna est vermis. Ignis ardebit carnem, vermis ardebit mentem. Tertia pœna est fœtor. Quarta frigus. Quinta fames maxima; ibi namque est tanta inopia, quod neque guttam aquae poterunt habere. Sexta pœna est tortor vel potius tortores. Septima horror. Octava tenebrae, in quibus reprobi incarcerabuntur & ligabuntur. Nona pœna & quasi principalis dolor, quia in illis pœnis non solum erit acerbitas, sed contrarietas. Sunt autem doloris causas quatuor. Prima est, quia amiserunt bona temporalia huius vitae. Secunda causa est, quia tempus perdiderunt. Damnati namque darent libenter totum mundum pro uno momento temporis, si possent habere ad pœnitendum. Tertia causa est, quia visionem & gloriam Dei perdiderunt, quæ carentia visionis Dei omnes gehennae cruciatus superat. Quarta causa est, quia inferni vilitatem, & miseriam adquisiverunt. Est enim locus infernalis tenebrosus & penuriosus, quod erit maxima pœna divitibus & voluptiosis & magnatibus, quia in vita habuerunt domos sine fumo, ibi vero erit fumus continuus. Tertio est ibidem pœnarum diuturnitas, erunt enim pœnae in-*

infernales diuturnae, immo sempiternae. Quarto est in inferno pœnarum universitas. In inferno universae partes hominis, tam corporis quam animae, post diem iudicii erunt in igne, nunc autem videmus, quod homo non posset sine maximo tormento ignem in parte unius digiti sustinere per unam horam, quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne. Quinto & ultimo istae pœnae infernales erunt inutiles & infructuosae. Pœna enim praesentis vitae brevis, levis & fructuosa; sed futura est longissima & gravissima & infructuosa, quia si damnatus flendo tantum de lacrimis emitteret, quantum est de aqua in mari, non sufficeret ad lavandam maculam unius peccati mortalis. Idem part. VII. breviloqui. c. 6. *Ignis infernalis adstiget & concremabit spiritus & corpora, nec tamen corpora illa consumet, sed semper adstiget. Huiusmodi autem adflictioni ignis coniuncta erit adflictio secundum omnes sensus, coniuncta erit pœna vermis & carentia visionis Dei, ita quod in his pœnis erit varietas, & cum varietate acerbitas, & cum acerbitate interminabilitas.* Idem in soliloquio cap. 3. t. 7. p. 126. *Erit istic ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, umbrae palpabiles, confusio peccatorum, inundatio vinculorum, horribilis facies daemonum, mors optabitur, non dabitur, ibi torquens & puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur, nunquam morietur; sic enim ignis ille consumet, ut vitam tamen semper servet; sic vetera tormenta patientur, ut semper innoventur; sic sine spe veniae & misericordiae semper vivent, ut tamen moriantur; sic morientur, ut tamen nunquam consumantur.* Ludolphus Carthusianus de vit. Christi part. II. cap. 88. *Propter aversionem a creatore erit ibi carentia visionis Dei; propter conversionem ad creaturam, scilicet ad bonum commutabile spreto bono incommutabile scilicet Deo, erit pœna materialis ignis vel incendii; propter decordinationem voluntatis contra instinctum rationis erit pœna universi, quae consistit in adflictione varia, acerba & aeterna. Ibi enim erit calor ignis, rigor frigoris, tenebrae, fumus, lacrimae interiores, adspectus daemonum, clamor in perpetuum, mallei percutientium, serpentes ac dracones, ariditas sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiae, vincula, carcer, timor, dolor, pudor & confusio peccatorum omnibus patentium, invidia, rancor, tristitia, carentia divinae visionis, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura adpetit, pœna iis est, quia quaerent mortem naturalem, & non invenient.* Rupertus Holcoth lect. LV. in lib. Sapientiæ, septem pœnales damnatorum conditiones recenset. *Deiicientur,* inquit, *cum confusione, adfligentur cum adspectione, repellentur sine responsione, destituentur authenticatione, punientur sine consolatione, conterentur sine condonatione, & supprimentur sine recordatione.* Laurentius Iustinianus de connub. verbi & animæ cap. 16. *Erit ibi ignis exstinguibilis, frigus incomparabile & dentium stridor; ibi quoque est fumus teterrimus, tenebrae palpabiles, lacrimae interiores, horrida daemonum visio, improperii clamor, ariditas sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiae, spiritualia vincula, carcer squalidus, timor crucians, palpitans tremor, anhelitus dolor, pudor confundens, invidia urens, discerpens rancor, tristitia adfligens, carentia divinae visionis, omnisque spei abolitio & salutis.* Dionysius Carthusianus in comm. Apoc. p. 301. *Gravis est damnatorum pœna propter tormenti acerbitatem, gravior propter suppliciorum diversitatem, gravissima propter suppliciorum aeternitatem.* Idem lib. de quatuor novissi. art. 37. *Circa pœnas inferni considerandum est primo earum aeternitas, quae super omnia*

gravat, premit, contristat & torquet damnatos, imo infernale incendium non adfligit tam graviter infelicissimos illos, quantum adfligit eos consideratio, qua attendunt ac cogitant, se in tot ac tantis tormentis perpetuo permansuros, ex qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. Secundo consideranda est circa pœnas inferni earum acerbitas. Pœna enim ignis acerbissima est, ignis quoque infernalis omni igne apud nos existente ineffabiliter calidior pœnaliorque existit. Et sicut ignis ille est calidissimus, ita frigus infernale est vehementissimum. Idem dicendum de caeteris inferni tormentis. Tertio consideranda est infernalium tormentorum diversitas, quia iuxta magnitudinem multitudinemque culparum unusquisque reprobus variis pœnis torquebitur. Quarto circa pœnas inferni pensanda est earum universalitas, quia in toto corpore & in singulis membris corporis iniqui adfligentur similiter in tota anima atque in singulis eius viribus. Quinto attendenda est circa pœnas inferni desolata & pœnosa societas. Sexto pensanda est dispositio loci. Septimo irrecuperabilitas negligentiae & amissionis temporis huius vitae ac damni inde secuti. Octavo puritas mala illarum pœnarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nono consideranda est pœna damni damnatorum. Decimo consideranda est gravitas infernalium tormentorum ex parte patientium. Carthenius lib. III. de quatuor novissi. cap. 4. *Erunt in inferno pœnae interiores & exteriores. Quantum ad corpus spectat, punientur damnati a quatuor elementis, terra, aqua, igne & aëre. A terra quidem, quia undique ea vallabuntur, qui hic ordine inverso terrena praetulerunt terrae creatori. Ab aëre similiter punientur, quia ibi caliginosus erit & fœtidus. Ab igne ob calorem nimium, ab aqua ob stridens frigus &c. Fiet in ultima mundi purgatione quaedam segregatio elementorum, & quidquid purum est ac nobile, superius remanebit ad gaudium & felicitatem iustorum, quidquid ignobile & feculentum, in infernum proiicietur ad pœnam iniquorum, ut quomodo omnis creatura Dei erit beatis gaudii materia, sic & damnatis ex omnibus creaturis tormentum accedat. Altera pœna exterior erit in quinque sensibus corporeis, visu, auditu, gustu, olfactu, tactu. Nam visus solis, lunae stellarumque lumine ac splendore privabitur nec non Christi & sanctorum omnium visione. Contra punietur fletu, fumo ac turpissimorum Daemonum omniumque damnatorum adspectu. Aures, quae nunc vocanti Christo claudunter, diabolo suadenti aperiuntur, clamore horribili assiduisque blasphemiis, quas audient, torquebuntur. Gustus siti & fame adfligetur, omni ciborum & potuum voluptate privabitur. Odoratus sulphureo fœtore torquebitur. Cum damnatis enim omnes huius seculi feces, sterquilinia, fœtores, in infernum seu in cloacam quamdam descendent. Denique tactus intus & extra medullas acerbissimo igne cremante torquebitur. Accedit & alia pœna exterior, siquidem corpora damnatorum erunt deformia, passibilia, tarda, ponderosa, obscura, pallida, opaca. Caeterum eiusmodi pœnae corporeae sensuumque exteriorum in animam ipsiusque sensus refluent ac redundabunt, in imaginativam videlicet, aestimativam, memoriam, sensitivam phantasiam, sensumque communem. Aestimativa, cum viderit coram se alios torqueri, indicibili horrore perculietur, ne pari modo crucietur. Phantasiae visiones terrificae adparebunt. Imaginativa de omnibus etiam bonis perperam cogitabit. Memoria sensitiva torquebitur recordatione peccatorum suorum, seraque & infrugifera pœnitentia. In sensu communi refluent omnes pœnae sensuum exteriorum, tantusque ibi erit dolor & cruciatus, ut mens ad aliud dirigi non possit, nisi ad quodvis doloris impellit. Delectabi-*

lia

lia quaeque a sensibus ac mente subtrahentur, & cuncta tristitia exhibebuntur. Praeterea ibi erit perpetuus perversae voluntatis status, neque tam dolebunt se peccasse, quam voluptates suas perdidisse. Ibi erunt & tenebrae interiores, privatio scilicet gratiae, privatio item scientiae humanae coelestis ac divinae. Odio prosequentur omnes Dei creaturas, daemones & sanctos angelos, homines quoque bonos & malos, imo Deum ipsum, non quidem in se & sua natura, sed in effectibus iustitiae suae. Cap. 5. *Non solum in praesentia omnis mali, verum etiam in absentia omnis boni erunt poenae & cruciatus damnatorum, quia carebunt Dei gratia, sine qua qui vivit, misere vivit: carebunt omni voluptate, nedum coelesti ac divina, sed etiam temporali.*

Gravitas poenarum infernalium colligitur 1) ex quantitate earum discreta sive multiplici varietate.

§. XXXVI. Sed enim ut *gravitatem* poenarum infernalium cognoscamus exactius, meditemur studiosius, & consequenter peccata, quibus illae velut a Caecia nubes attrahuntur, fugiamus, cautius progrediemur in illis explicandis hoc ordine. In poenis inferni consideranda est earum tum *quantitas* tum *qualitas*. Quantitas est vel *discreta* vel *continua*. Ad discretam quantitatem *numerus*, ad continuam refertur *tempus*. Numerus infernalium poenarum ex multiplici earumdem varietate colligitur. Ecquis vero istam varietatem animo complecti, nedum verbis explicare potest? Quidquid in hac vita occurit mali & adversi, illud omne ad poenas inferni utcunque explicandas in scripturis adhibetur. Ecquis certo ordine & numero complecti potest poenas illas, quae ratione aeternitatis sunt *infinitae & interminabiles*, ratione multiplicis varietatis *innumerabiles*, ratione acerbitatis & intensionis *inaestimabiles*? Conabimur tamen eo usque progredi, quo in huius vitae caligine & infirmitate possumus; quae enim & quot sint inferni poenae, solus Deus novit θεωρητικως, diaboli & damnati sciunt πρακτικως, vel potius παθητικως, nullus autem hominum in his terris vivens definire & explicare potest αποδικτικως. Potuissemus autem in principio hac uti distinctione, quod scriptura inferni poenas describat 1.) *verbis propriis*, in sensu literali accipiendis, 2.) *figuratis ac metaphoricis*, ex sensu & usu huius seculi traductis. Sed quia nullus hominum exacte scire ac definire potest, quae descriptionis poenarum infernalium sint *propriae*, quae vero *figuratae*, ideo iuxta hanc distinctionem varietas illorum malorum vix potest in certas classes redigi. Alia igitur utemur via. Mala inferni describuntur nobis 1.) γενικως adpellationibus *generalibus* universam istorum malorum congeriem complectentibus, 2.) ειδικως, vocabulis *specialibus*, certas illarum poenarum species exprimentibus. Quemadmodum enim in pictura primo intuemur tabellam totam variis imaginibus insignitam postea singulas imaginis seorsim contemplamur; ita quoque picturam inferni in scriptura nobis propositam, primum quidem *generaliter & universim*, postea vero *specialiter & separatim* pia mentis meditatione intueri convenit.

Quae describitur generaliter.

Vocantur enim 1.) perditio. 2.) mors. 3.) interitus.

§. XXXVII. *Generales* descriptiones hae sunt, quando status damnatorum ac poenae inferni vocantur 1) אבדון, απωλεια, *perditio*, Iob. XXVI. 6. Prov. XV. 12. XXVII. 20. Matth. VII. 13. Marc. I. 24.

Ioh. XVII. 11. Act. VIII. 20. Rom. IX. 22. Philip. I. 28. III. 19. 1 Tim. VI. 9. 2 Pet. II. 1. &c. 2) מות, θανατος, *mors*, Pſal. XXXIV. 22. XLIX. 15. Ezech. XVIII. 20. XXVII. 8. Ioh. VI. 50. Rom. I. 32. VI. 23. Iacob. V. 20. Apocal. II. 11. XX. 14. &c. 3) ολεθρος, *interitus*, Matth. X. 28. 1 Theſſ. V. 3. 2. Theſſ. I. 9. 1. Tim. VI. 9. ac differentiæ cauſa quandoque additur, *perditio aeterna*, *interitus aeternus*, *mors aeterna*, *mors ſecunda*, φθορα *corruptio*, Iudæ 12. quo pertinet, quod corpora damnatorum vocantur פגרים, *cadavera*, Eſai. LXVI. 23. nimirum quia ipſi ſunt æterna morte mortui. In parabola decem minarum Luc. XIX. 27. inimici regis iubentur, *interfici*, ut ſignificetur, hoſtes Chriſti æterna morte perdendos. Vocatur autem miſerrimus damnatorum ſtatus *perditio*, *mors* ac *interitus*, non quod ſit abſoluta quædam ανυπαρξια ac redactio vel totius compoſiti vel partis alterutrius in nihilum, quia animæ & corpora damnatorum in æternis ſupplíciis vivent, ſed quia de omnibus malæ mortis ſpeciebus aliquid participat. Scholaſtici ſic diſtinguunt. Vita animæ duplex eſt: *eſſentialis & habitualis ſeu relativa ad aliud*. Illa in eſſe, hæc in bene eſſe conſiſtit. Anima impii quoad eſſe, nunquam perit; quoad bene eſſe in perditionem ruit. Dico *malae mortis*, quia de ſalutari, bona ac ſpirituali illa fidelium morte, qua in hac vita mortui dicuntur peccato, legi, mundo & carni, nihil quidquam participat. Diximus autem ſuo loco, mortis nomine intelligi a) *omnis generis calamitates & adverſitates* homini in hac vita propter peccatum tolerandas, Exod X. 17. 1 Corinth. XV. 31. 2 Corinth. I. 10. &c. iam vero in inferno eſt συναθροισμος congeries, colluvies atque confluvies omnium omnino miſeriarum, calamitatum & adverſitatum, quæ in hac vita homini unquam obtigerunt vel obtingere potuerunt, utique ergo ſtatus damnatorum rectiſſime interitus ac mors vocatur. b) *Mortem corporalem atque naturalem*, quæ eſt animæ a corpore diſſolutio, Matth. X. 21. XVI. 28. Rom. V. 14. 1 Corinth. III. 22. & alibi paſſim. Quamvis vero in morte æterna animæ damnatorum reſuſcitatis corporibus unitæ non ſeparentur a ſuis corporibus, qua in parte diſcrimen eſt inter mortem temporalem & æternam; tamen convenit mors ſecunda ſive æterna cum morte prima, ratione tum *originis*, quia utraque eſt conſequens & pœna peccati, tum *horroris*. Ut enim mors corporalis in ſe ac per ſe conſiderata eſt omnium terribilium terribiliſſimum; ſic mors æternalis longe adhuc horribilior ac terribilior. Tum ratione *doloris & angoris*; quia ut anima non ſine graviſſimo dolore a corpore divellitur; ſic damnatorum mors perpetuo angore & continua anxietate definitur. Tum ratione *effectus & conſequentis*; per mortem corporalem cadaver anima deſtitutum redditur ponderoſum, fœtidum, abominabile, vermibus & putredine ſcatens, ſic damnatorum corpora non erunt quidem anima caſſa, interim erunt nihilominus ponderoſa, fœtida, abominabilia, ac a rodentibus vermibus in æternum lancinabuntur. c) *Mortem ſpiritualem infidelium*, qua in peccatis ſuis mortui a vera animæ vita, quæ in Deo eſt, ſeparati dicuntur, Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60. XV. 24. Ioh. V. 25. 1 Tim. V. 6. Eph. II. 5. Coloſſ. II. 13. cum hac ſpirituali infidelium morte arctiſſima cognatio morti impiorum æternæ intercedit, quia impii inferno adiudicati a vera vita, quæ in Deo eſt, a gratioſa Dei inhabitatione, ab

ab omnis gaudii participatione in æternum sunt exclusi; quinimo damnatorum respectu huius æternæ ac secundæ mortis longe peior est conditio quam infidelium in hoc mundo respectu mortis spiritualis, quia infidelibus durante adhuc tempore gratiæ patet aditus ad pœnitentiam & reconciliationem cum Deo, quo fine etiam ipsis conversionis media verbum & sacramenta offeruntur, sed damnati irremediabiliter morti sunt obnoxii & a facie Dei in æternum ac plenarie abiecti. Inde *vitam extra vitam in morte non moriente in aeternum traducunt.*

§. XXXVIII. De hac æterna damnatorum morte sic differunt pii veteres. Ambrosius in comm. Rom. 5. *Mors duplex: dissolutio corporis cum anima a corpore separatur; & mors, quae secunda dicitur in gehenna.* Lactantius lib. II. instit. cap. 13. *Duplex est mors; primam sic definimus: Mors est naturae animantium dissolutio, vel ita: Mors est corporis animaeque seductio. Secundam vero sic: Mors est aeterni doloris perpessio; vel ita: Mors est animarum pro meritis ad aeterna supplicia damnatio.* Augustinus lib. VI. de civit. Dei cap. 12. *Eam vitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas. Nam si anima in pœnis vivit aeternis, quibus & ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius aeterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe maior aut peior est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animae natura per id, quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest, summa mors eius est, alienatio a vita Dei in aeternitate supplicii.* Lib. XIII. de civit. Dei cap. 2. *Mors animae fit, cum eam deserit Deus, sicut mors corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est, totius hominis mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus. Huiusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem divinorum eloquiorum appellat auctoritas. Hanc Salvator significavit, ubi ait:* Eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam perdere in gehenna; *quod cum non antea fiat, quam cum anima corpori sic fuerit copulata, ut nulla diremtione separentur, mirum videri potest, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam illa pœna ultima ac sempiterna recte mors animae dicitur, quia non vivit ex Deo; mors autem corporis quonam modo cum vivat ex anima? non enim aliter possunt ipsa corporalia, quae post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta. An quia vita qualiscunque aliquod bonum est, dolor autem malum, ideo nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi causa est, sed dolendi?* Et postea: *In damnatione noviſſima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immerito mors est potius appellata quam vita.* Lib. eiusdem cap. 11. circa finem: *Secunda mors est omnium pessima, quae non fit separatione animae & corporis, sed in aeternam pœnam potius utriusque complexu. Ibi non erunt homines ante mortem atque post mortem, sed semper in morte, ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Nunquam enim erit homini peius in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* Lib. XIX. de civ. Dei cap. 28. *Miseria damnatorum sempiterna, ideo secunda mors dicitur quia nec anima ibi vivere dicenda est quae a vita Dei alienata erit, nec corpus, quod aeternis cruciatibus subiacebit, ac per hoc ideo durior ista secunda mors est, quia finiri morte non poterit &c. Quod bellum gravius & amarius cogitari potest, quam ubi volun-*

sic adversa est passioni, & passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiae finiantur, & ubi sic confligit cum ipsa natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat? hic enim quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit, & sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit, & dolorem sanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet, ut adfligat, & natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne poena deficiat. Lib. XXI. de civ. Dei cap. 2. *Non enim nulla sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur.* Est & hoc Augustini: *Miseria damnatorum nec vita nec mors est, quia in utraque boni aliquid invenitur; in vita requies est, in morte terminus, sed miseria illa non habet requiem, nec terminum. Quid ergo est? malum vitae & malum mortis a morte. Cruciatus habet sine fine, a vita durationem accipit sine requie.* Paulinus de obitu Celsi:

Vita erit his sine fine mori & mors vivere poenis,
Et durante suas pascere carne cruces.
Ipse suos proprio peccator corpore gignet
Carnifices, & erit vermibus esca suis.

Anshelmus lib. de similitud. cap. 58. *Si male quis nunc vixerit, non nisi moriendo tunc vivere poterit. Nihil ergo brevius illa vita, cui mors semper fuerit iuncta.* Fulgentius lib. I. ad Monium cap. 6. *Huic uni morti, quam peccator sibi per contemtum divinae iussionis iniuste concupiscendo arcessivit, duplam Deus mortem iuste iudicando retribuit, hoc est, primam in separatione animae & corporis, secundam in aeterna cruciatione animae & corporis, ac per hoc primam, qua discedente anima caro sola moritur; secundam vero, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadem, in qua peccavit, carne torquetur, ut cum qua communicavit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicii, quod paravit divina iustitia peccatori.* Gregorius lib. VI. mor. cap. 39. *Fit miseris mors sine morte, quia mors perimit & non exstinguit.* Smaragdus ad cap. 4. reg. ex Prosp. lib. III. de vit. contempl. cap. 12. *Omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non hoc cum illis agitur, ut consumti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis poenaliter vivant.* Algerus lib. II. de euch cap. 5. *Mali etiam in corpore vitam aeternam habebunt, quam tamen magis mortem dixerim, quia Deo, qui vere vita est, non placebunt, & ideo sine divina gratia misera erit aeternitas, quia aeterna miseria* Bernhardus in med. de vot. cap. 3. col. 1193. *Erit ibi mors animae & corporis. Sic tamen morientur, ut semper vivant sic vivent, ut semper moriantur.* Idem: *Vita erit mortifera & mors immortalis. Si vita es, cur occidis? si mors, quomodo semper duras?* Idem ad Eugenium papam: *Cogita, quantum malum sit mori vitae aeternae, vivere mortis sempiternae.* Manuel. Palaeologus orat. VI. *At ubi tristissimam illam mortem adpetierit animus etiam corpus ipsum post resurrectionem quasi mortuum & miserum modis omnibus erit. Nam quo pacto res aliter se habere possit? cum id quod ipsum corpus vivificat, veram vitam, qui Deus est, amiserit.* Ex quibus facile intelligi potest, quid respondendum sit ad quaestionem, quomodo status damnatorum dicatur mors, cum mortem dicantur optare & quaerere? Apoc. IX. 6. Communiter respondent, per mortem hic intelligi ἀνυπαρξίαν, ut sit

sit sensus, optabunt in nihilum redigi, ut a cruciatibus illis liberentur. Sed quia vocabulum *mortis* nusquam in scriptura pro ανυπαρξια omnimoda usurpatur, nam nec corporalis, nec spiritualis, nec temporalis, nec æterna, nec proprie nec metaphorice dicta mors est ανυπαρξια, ideo rectius dicitur, Iohannem loqui de morte corporali in sensu comparato. Natura omnes fugiunt & exhorrent mortem, sed tanti erunt damnatorum cruciatus, ut mortem ac interitum, quem alias omnia viventia fugiunt, præ magnitudine dolorum exoptent, per mortem enim temporalem corpus a doloribus liberari norunt.

§. XXXIX. 4) Indigitatur etiam miserrimus damnatorum status nomine κριματος και κρισεως, *iudicii*, Matth. XXIII. 14. Marc. XII. 40. Luc. XX. 47. Ioh. V. 29. Hebr. X. 27. κριματος αιωνιε, Hebr. VI. 2. item κατακριματος και κατακρισεως, *condemnationis* Matth. XII. 41. Marc. XVI. 16. Rom. 8. 1. 1 Cor. XI. 32. Iacob. V. 9. &c. primo quidem μετωνυμικως, quia in iudicio extremo, quod Christus adversus eos instituet, denunciabitur ipsis æterna damnatio, quo sensu ipsi soli dicuntur *venire in iudicium*, Ioh. V. 24. *& ad iudicium resurgere* v. 29. Deinde etiam μεταφορικως. Quemadmodum enim in hac vita facinorosus ad supplicium a iudice damnatus, quia nihil aliud quam præsentissimam mortem ob oculos sibi propositam videt, propterea animo valde angitur, horrore concutitur, ac tremore totus percellitur; sic impii audita damnatoria sententia horribili & ineffabili angore adficientur. Quemadmodum facinorosus morti condemnatus publicæ ignominiæ & communi omnium spectaculo exponitur; sic damnati æternis opprobriis in conspectu omnium angelorum & hominum adficientur. Dan. XII. 2. Quemadmodum adiudicatus morti & ultimo supplicio ob flagitia sua destinatus gravissima tormenta sustinet, & maximis cum doloribus vitam finit; sic damnati perpetuos cruciatus & mortem æternam sustinebunt. Quemadmodum supplicio adfectus non revertitur in hanc vitam, sed abscinditur a viventium regione; sic damnatia vera vita, quæ in Deo est, æternum erunt abalienati, nec unquam lucem iterum videbunt.

4) *Iudicium.*

§. XL. 5) Denique etiam tota congeries malorum, quæ damnatos premet, *irae divinae* nomine επιτομικως exprimitur. Ioh. III. 36. Rom. II. 8. Eph. V. 6. Coloss. III. 6. 1 Thess. I. 10. V. 9. Apoc. XIV. 9. &c. in quo itidem species quædam *metonymiae* occurrit, quia ira Dei adversus damnatorum peccata est causa efficiens & conservans illorum cruciatuum. Rom. II. 5. *cumulas tibi iram*, hoc est, pœnas ex ira infligendas *in die irae*. Hæc iustissima vindicis Dei ira breviter exprimit omnia supplicium genera; quæcunque de damnatis cogitari vel prædicari possunt, quia Deus totam suam iram in æternum super eos effundet. Quando in hac vita Deus ex iusta ira pœnas immittit, tum non effundit totam suam iram, sed *in ira recordatur suae misericordiae*; sed de damnatis dicitur, quod *feces irae divinae* sint sorbituri, Psal. LXXV. 9. hoc est, quod totum poculum ira divina plenum usque ad fundum cogentur evacuare, quodque bibituri sint εκ του οινου του θυμου του θεου, του κεκερασμενου του ακρατου εν τω ποτηριω της οργης αυτου, Apoc. XIV. 10. non erit mixtum sive *temperatum poculum* misericordia, ideo vocatur ακρατον, interim tamen turbidis variarum ac diverarum pœnarum fecibus erit plenum, inde

5) *Ira Dei.*

vo-

vocatur κεκερασμενον. Ut autem Deus in hac vita non effundit totam suam iram, ita quoque *non irascitur in aeternum*, Psal. LXXVII. 8. CIII. 9. sed super damnatos instar gravissimi ponderis *manebit ira Dei* in æternum, Ioh. III. 36. a qua nullis mediis ac remediis poterunt liberari. Damascenus lib. II. orth. fid. cap. 29. (aliis 31.) duas constituit divinæ defertionis species. Unam vocat οικονομικην και παιδευτικην, *dispensativam & correctoriam*, alteram τελειαν και απογνωσικην, *perfectam & prorsus separatoriam*, quæ posterior species damnatis a facie Dei penitus abiectis proprie competit.

ex speciali earum consideratione.

Mala damnatorum sunt.

1) φερητικα.

§. XLI. Ειδικως, in specie mala damnatorum sunt vel φερητικα vel θετικα. Quemadmodum *gratiae divinae* distinguuntur in *privativas* ac *positivas*, illæ dicuntur, quibus bona in nos confert, unde vulgatum illud dicterium: *Plures sunt gratiae Dei privativae quam positivae*; ita quoque mala damnatorum dispescere possumus in *privativa* ac *positiva*, erit enim in inferno *absentia omnis boni* ac *praesentia omnis mali*, ecquid namque boni illi adesse, & contra quid mali illi deesse potest, cui Deus τελειως και απογνωσικως in æternum irascitur, qui a Deo summo, unico & infinito bono separatur? Quemadmodum visio Dei beatifica, in qua vita æterna consistit, complectitur φερησιν παντων κακων και θεσιν παντων καλων, ita e contrario alienatio a conspectu Dei, in qua inferni pœna consistit, complectitur φερησιν παντων καλων και θεσιν παντων κακων. Quemadmodum in impœnitentia, incredulitate & aliis peccatis, propter quæ impii in infernum præcipitabuntur, est non solum φερησις sed etiam θεσις, averterunt enim se a Deo creatore, bono incommutabili, & motu inordinato converterunt se ad creaturam, bonum commutabile, peccarunt tum *omittendo* divinitus præcepta, tum *committendo* divinitus prohibita; ita quoque in pœnis inferni ex peccato ortis erit φερησις, *privatio omnis boni*, ac θεσις, *positio omnis mali*; erit ibi carentia visionis Dei, erit etiam pœna æterni & gravissimi incendii. Scholastici dicunt in damnatione esse duo, *poenae* scilicet *infligtionem & aeternam a Deo separationem*. Bonaventura lib. IV. θετικα vocat *pœnas sensus* φερητικα *pœnas damni* Compend. theol. lib. VII. cap. 3. *Pœna damni est privatio praemii beatifici. Pœna sensus est adfictio infernalis tormenti.* Cameracensis in princ. I. sentent.

Principale est separatio a Deo & Christo

§. XLII. Mala φερητικα varia sunt ac multiplicia. Principale est *separatio a Deo & Filio eius Christo Iesu*, *aversio divinae faciei*, *carentia divinae visionis*, *elongatio a beatifico Dei conspectu*. Quidam vocant αποπομπην, *relegationem* in perpetuum exsilium, Psalm. V. 5. *Non habitabit iuxta te malignus.* Matth. XXV. 41. *Discedite a me in ignem.* 1 Thess. I. 9. *Dabunt pœnas a facie Dei*, abiecti ac separati, quo sensu particula απο respondens Hebr. מ sæpius usurpatur. *Peccata dividunt inter Deum & homines & abscondunt faciem Dei ab hominibus*, Esai. LIX. 2. Iam vero impii in peccatis suis mortui reatu eorum in æternum tenentur obstricti, utique ergo propter peccata illa non remissa, nec unquam remittenda faciem suam Deus in æternum ab illis abscondit. *Deus lux est, & te-*

ne-

nebrae non sunt in eo ullae; 1. Iohan. I. 5. iam vero damnati *proiicientur in tenebras exteriores*, Matth. VIII. 12. XXII. 13. ergo etiam faciem ac lucem divinam non videbunt. Hieronymus in comm. Matth. 8. *Tenebrae semper interiores sunt non exteriores. Sed quoniam qui a Domino foras expellitur, lumen relinquit, idcirco exteriores tenebrae nominatae sunt.* Prosper lib. III. de vit. contempl. cap. 12. *In exteriores tenebras mitti nihil aliud erit, nisi a Domino, qui est mentium lumen, expelli.* Quemadmodum electorum beatitudo essentialiter ac principaliter in visione Dei consistet; 1 Cor. XIII. 12. *Videmus eum a facie ad faciem.* 2 Cor. V. 7. *διὰ εἴδος* 1. Iohan. III. 2. *Videbimus eum sicut est.* Apoc. XII. 4. *Videbunt faciem Dei & agni*; sic vice versa damnatorum infelicitas essentialiter ac principaliter in carentia visionis divinae & in aversione divinae faciei consistet. Angelorum beatitudo sic describitur, quod *semper videant faciem Dei, qui in cœlis est*, Matth. XVIII. 10. ergo etiam diabolorum & omnium impiorum damnatio recte sic describitur, quod non videant faciem Dei. Notandum vero faciem Dei in scripturis accipi potissimum dupliciter, primo quidem pro *Dei favore, gratia & benevolentia*, deinde vero pro *ipsius ira & indignatione*, quemadmodum etiam homo favorem & iram suam in facie alteri demonstrat. Quando igitur ab impiis dicitur Deus *faciem suam aversurus*, ac ipsi a visione faciei divinae dicuntur excludendi, tunc facies in priore significatione usurpatur; sed respectu posterioris significationis *ponet & obfirmabit faciem suam* contra damnatos, Lev. XVII. 10. XX. 5. XXVI. 17. *Exardescet a facie eius ignis ardens usque ad novissima inferni*, Psalm. XVIII. 9. nec *poterunt a facie Dei damnati effugere*, CXXXIX. 7. &c. quo sensu quidam exponunt dictum apostolicum 2 Thess. I. 9. *pœnas dabunt a facie Dei*, id est, ab ira & furore eius, ac damnati petunt se *abscondi a facie Dei*, Apoc. VI. 17. ubi *ἐξηγησις* statim additur v. 18. quia *venit dies magnus irae.* Quando in hac vita pii non percipiunt sensum divinae gratiae ac gustum dulcedinis divinae, videntur sibi proiecti a facie Dei Psalm. XXXI. 23. unde tam anxie & solicite orant, *usque quo Domine avertis faciem tuam?* Psal. XIII. 2. *Ne avertas faciem tuam a me*, XXVII. 9. *Quare faciem tuam avertis?* XLIV. 25. *Ne proicias me a facie tua*, LI. 13. &c. Sed haec aversio non est *ἀπογνωσικη* sed *παιδευτικη*, at quando Deus a damnatis dicitur avertere & abscondere faciem, eosque a facie sua abiicere, tunc talis faciei aversio intelligitur, quae in perpetuum durabit, ita ut nulla amplius spes supersit, fore aliquando, ut Deus reconciliatus amicam suam faciem illis ostendat. Huc pertinent dicta scripturae, in quibus damnatio describitur per Dei iram, quae paulo ante sunt enumerata, quia finalis illa Dei ira manens super damnatos in aeternum nihil aliud est quam aversio & absconsio divinae faciei ab illis in perpetuum. Haec alienatio a gratia & vita Dei complectitur finalem, perfectam & totalem *ἀποκοπην καὶ ἀποτομην*, *avulsionem a Christo capite. Discedite a me*, Matth. VII. 23. XXV. 41. *Alter relinquetur*, Luc. XVII. 34. ita ut nulla amplius superst spes fore, ut aliquando mystico illi corpori, cuius caput est Christus, inserantur. Itemque *iacturam irreparabilem sapientiae, iustitiae, vitae, gloriae, laetitiae, felicitatis ac beatitudinis sempiternae*, in qua Deus erit *omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. ac se a facie ad faciem contuendum electis

præbebit. Quomodo enim avulsi a Deo, qui est summum bonum, summa lætitia ac ipsa vita possent frui ullo bono spirituali ac cœlesti? Absalon urgebat Ioabum, *ut sese aut in conspectum regis iterum produceret, aut occideret*, 2 Sam. XIV. 32. sic ergo morti æquiparat, quod a facie regis cogatur exsulare. Quanto maius malum erit a facie cœlestis regis exsulare?

§. XLIII. De hoc damnatorum statu sic loquuntur veteres. Irenæus lib. V. adversus hæres. cap. 22. p. 351. *Quicunque erga Deum custodiunt dilectionem suam his praestat communionem. Communio autem Dei vita & lumen & fruitio eorum, quae sunt apud eum, bonorum. Quicunque autem absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam, quae electa est ab ipsis, separationem inducit. Separatio autem Dei mors, & separatio lucis tenebrae, & separatio Dei amissio omnium, quae sunt apud Deum, bonorum &c. aeterna autem & fine fine sunt a Deo bona propter hoc & amissio eorum aeterna, & fine fine est.* Chrysostomus homil. XXIV. in Matth. 7. *Mille gehennas ponas, & nihil tale est, quale est, excludi a gloria, & odio haberi a Deo.* Ibidem: *Duae erunt poenae in inferno comburi, & a regno Dei excludi, haec poena difficilior est.* Basilius in orat. de extremo iudicio, quæ exstat in operibus Ephremi: *Dei alienatio atque aversio etiam inter omnes poenas, quae in gehenna exspectantur, intolerabilior graviorque est ei, qui patitur, quam oculo lucis privatio, etiamsi dolore careant.* Θεκ αλλοτριωσις και αποστροφη και των εν γεεννη προσδοκωμενων κολασεων αφορητοτερον εστι και βαρυτερον τω παθοντι, ως οφθαλμωφωτος στερησις, καν μη οδυνη προση. Augustinus lib. I. hypognostic. *Mors seu damnatio est privatio vitae, seu alienatio a Dei vita.* In lib. de triplic. habitac. *Absentia Christi quoad visionem omnia alia tormenta superat, & omnibus poenis intolerabilior est.* Fulgentius dicit: *Si in carcere inferni conclusi Dei faciem viderent, nullam poenam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent.* Damascenus in vita Barlaam. cap. 8. *Onium inferni tormentorum nullum aeque grave & acerbum est, atque a Deo abalienari, & a dulcissima ipsius facie abiici, gloriaque illa, quae nullis verbis exponi potest, orbari &c.* Bernhardus de interiori domo cap. 38. p. 226. *Deum non videre superat omnia gehennae supplicia.* Idem in medit. devotiss. cap. 3. *Quis putas tunc moeror erit, quis luctus, quae tristitia, cum separabuntur impii a consortio sanctorum & a visione Dei.*

§. LXIV. Ex hac separatione a Deo porro consequitur separatio 1) Ab *angelis beatis & sanctis illis spiritibus.* Angeli adstant *coram Dei throno*, Dan. VII. 10. & ut *dilecti Dei filii*, Iob. I. 6. XXXIII. 23. *paternam illius faciem semper intuentur*, Matth. XVIII. 18. iam vero damnati a conspecto & throno Dei erunt separati, ergo etiam ab angelis. *Ubi non habet locum Dei gratia, ibi nec obtinet gratiosa angelorum praesentia*, ut Lutherus ex collatione Psalm. VIII. 6. & Hebr. II. 7. recte colligit. Iam vero damnati a gratia Dei penitus erunt αφορισμενοι ac segregati, ergo etiam angelorum non fruentur conspectu ac præsentia. *Sicut fumus apes & fœtor columbas abigit, sic angelos πολυδακρυς και δυσωδης αμαρτια* teste Basilio in Psal. 33. iam vero peccata damnatorum manent & in æternum manebunt, Matth. XII. 31. Ioh. IX. 41. *Iniquitates ipsorum supergredientur caput eorum, & sicut onus*

Ex quo sequitur separatio 1) a beatis angelis.

onus grave gravatae eorum super eos, Psalm. XXXVIII 5. Ergo etiam pestilens peccatorum & infernalis ignis fœtor procul ablegabit a damnatis angelos. 2) Ab *omnibus sanctis & beatis hominibus in cælo.* Matth. VIII. 12. Pii *cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo recumbent in regnum cælorum*, sed impii *proiicientur in tenebras exteriores;* XXII. 13. non habens vestem nuptialem a convivis separatus *in tenebras exteriores proiicitur;* XXIV. 40. *dividet eum*, id est, a consortio fidelium servorum separabit; Luc XVI. 23. videt damnatus epulo Lazarum *in sinu Abrahae*, sed audire cogitur v. 26. *firmatum esse chasma magnum*, quod prohibeat, quo minus damnati ad beatorum societatem transire possint. Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animæ: *Iusti in aestimatione habentur, & peccatores probris impetuntur. Iusti in sanctificatione, peccatores in incendio. Iusti laudibus evehuntur, miseria deprimuntur. Iusti in sanctorum statione, peccatores in perpetuo exsilio. Iusti audient: Venite benedicti, possidete regnum. Peccatores autem illud: Discedite a me maledicti. Iusti in paradiso, peccatores in igne vivacissimo & inexstincto. Iusti deliciis adfluunt, peccatores labore conficiuntur. Iusti choros agitant, peccatores sunt in vinculis. Iusti concinunt, peccatores lugent. Iusti ter felices, peccatores ter miseri. Iusti in cantu, peccatores in specu. Iusti in sinu Abrahae, peccatores in sinu Belial. Iusti in quiete, peccatores in pœnis. Iusti in fulgure, peccatores in caligine procellarum. Iusti cum angelis plaudunt, peccatores cum daemonibus lugent. Iusti in medio lucis, peccatores in medio tenebrarum. Iustos paracletus consolatur, peccatores cum daemonibus pœnas luunt. Iusti adsistunt solio Domini, peccatores adstant ultricibus tenebris. Iusti sine ulla temporis intermissione faciem Domini intuentur, peccatoribus vultus diaboli semper adversus. Iusti cum angelis vivunt, peccatores adsociantur daemoniis. Iusti preces effundunt, peccatores iuge lamentum. Iusti sursum, peccatores deorsum. Iusti in cælo, peccatores in abysso. Iusti in perenni vita, peccatores in morte perditionis. Iusti in manu Dei sunt, peccatores in loco diaboli. Iusti cum Deo, peccatores cum Satana.* Quare cum tam dispar ac diversa sit iustorum & peccatorum conditio, utique etiam inter iustos & peccatores, id est, inter beatos ac damnatos erit longe maxima separatio. Augustinus lib. XX. de civ. Dei cap. 22. *Qui erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient, qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in tenebris exterioribus scient.* Bernhardus ad Eugenium papam: *Cogita, quantum malum sit a facie Christi separari, ab illo gaudio divinae contemplationis excludi, & beatissima omnium societate privari.* 3) *A paradiso cælesti.* Sive enim cœli nomine intelligamus felicissimum & beatissimum piorum in vita æterna statum, sive illud πᾶ, in quo beatifica Dei visione & gaudiis vitæ æternæ perfruuntur, ab utroque damnati sunt quam maxime remoti. Prius probant omnia scripturæ dicta, quæ de statu beatorum in *cælo* ac damnatorum in *inferno*, ἐναντιως sibi invicem & quidem diametraliter opposito loquuntur, quorum summam breviter collegit Cyrillus Alexandrinus loco proxime citato. Posterius patet ex dictis illis scripturæ, quæ cœlum beatorum sedem respectu nostri *in summo*, infernum damnatorum carcerem *in imo* respectu nostri collocant. Matth. XI. 22. *Capernaum usque ad cœlum exaltata ad infernum usque deprimetur.* Luc. XVI. 23.

2) *a beatis hominibus.*

3) *a paradiso.*

23. *Dives videt Lazarum sinu Abrahae* απο μακροθεν, & v. 26. audit ab Abrahamo, *magnum chasma esse inter beatorum & damnatorum domicilium firmatum*, per chasma μεταφορικως innuitur extrema illa & maxima distantia, qua altitudo cœli a profunditate inferni separatur. Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in cœlestem Hierosolymam aliquid coinquinatum.* XXII. 15. εξω, *foris extra civitatem cœlestem sunt canes & venefici.* Ephremus in lib. de vera pœnit. cap. 8. *Tunc iam impelluntur miseri* (damnati) *ab angelis terribilibus acti, caesi atque flagellati, perguntque ad mugientes & stridentes dentibus crebriusque post tergum adspicientes, si quo pacto iustos & illud gaudium, unde ipsi separati sunt, intueri queant, vident autem lucem illam ineffabilem, adspiciunt amœnitates paradisi, vident magna illa & praeclara munera, quae percipiunt a rege gloriae, qui legitime certarunt, intuentur notos dudum & familiares suos aeternis gaudiis fruentes, quae ipsi percipere non meruerunt, & lamentantur, ingemiscuntque graviter &c.* Quemadmodum primi parentes post admissum peccatum e paradiso expulsi a Cherubim ab eius ingressu arcebantur, Genes. III. sic damnati post extremum iudicium & promulgatam damnationis sententiam a paradiso cœlesti æternum exsulare cogentur. 4) *A luce, gaudio, quiete & felicitate.* Paradisus cœlestis est regio lucis, theatrum gaudii, conclave quietis & ταμειον omnis felicitatis. Quare cum damnatis a paradiso futuri sint exsules atque extorres, ideo etiam omni luce, gaudio, quiete & felicitate privabuntur; inde dicuntur versari *in terra tenebrarum & umbra mortis* seu mortifera, Iob. X. 21. *In terra obscuritatis, quae est caligo umbrae mortis*, v. 22. tribuuntur ipsis *tenebrae horribiles & absconditae*, XV. 26. *tenebrae exteriores*, Matth. VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. *caligo tenebrarum*, 2 Petr. II. 17. *procella tenebrarum*, Iudae v. 13. quarum typus fuere *tenebrae Aegytiacae*, quas horribiles & *palpabiles* Spiritus sanctus vocat Exod. X. 22. Sap. XVII. 18. & seqq. dicuntur *in aeternum non visuri lumen*, Psalm. XLIX. 20. Et sane, si diligenter attendamus, deprehendemus, quidquid tenebrarum nomine in scripturis significatur, illud omne inferno ac damnatorum statui convenire. Tenebrarum nomine intelligitur primo *privatio lucis naturalis*, Genes. I. 3. Deut. XXVIII. 29. Ios. XXIV. 7. &c. atqui infernus est *locus tenebrarum*, Iob. XXXVIII. 19. destitus omni luce. Vt *claritas Dei* illuminat cœlestem Hierosolymam, ob quam divinam lucem non indiget luce naturali solis & lunæ; Apoc. XXI. 23. XXII. 5. sic diabolus, *princeps tenebrarum* Eph. VI. 12. infernum, qui est *regnum tenebrarum*, tanta obfuscat caligine, ut luci naturali ad eum non pateat aditus. Damnatis, ut vulgaris habet Leoninus:

Nec sol, nec luna, nec stella videbitur una.

4) *a luce, gaudio, quiete & felicitate.*

Hoc sensu quidam exponunt σκοτος το εξωτερον, in quod damnati dicuntur proiiciendi, ut exteriores tenebræ sint idem quod *externae*, ad distinctionem *interiorum ac spiritualium* tenebrarum sic dictæ. Quidam το εξωτερον exponunt per το εξω της βασιλειας των ουρανων, *tenebrae, quae sunt extra regnum cœlorum*, in quo solo lux est & gaudium. Gregorius lib. XXV. moral. cap. 11. *Tunc coacti in tenebras exteriores mittentur, qui nunc interioribus voluntarie delectantur.*

tur. Camerarius in not. εις σκοτος το εξωτερον, τουτ εστι εις τον σκοτεινον τοπον τον εξο. Secundo *cæcitas mentis*, *ignorantia Dei*, *caligo spiritualis*, Esai. IX. 2 XLII. 2. Luc. I. 79. Ioh. I. 5. Atqui damnati in extrema salutaris θεογνωσιας inopia versantur, destituuntur luce divinæ cognitionis, habent cor excœcatum, adeoque sunt meræ tenebræ, Eph. V. 8. proinde tenebræ *exteriores*, id est, in summo gradu ipsis competunt, sic enim Augustinus in expositione Psalmi 6. tenebras *exteras ab exterioribus* distinguit, ut illas accipiat de *sensu reprobo & cæcitate mentis in hac vita*, exteriores vero de *summa cæcitate*, *quae futura est in damnatis*. Sicut ergo de Sodomitis, in quibus δειγμα πυρος αιωνιου propositum, Iudæ v. 7. refertur Gen. XIX. 11. quod percussi fuerint בסנורים, *cæcitatibus* in plurali, quia interna & externa cordis & oculorum caligine fuere suffusi; ita quoqne de damnatis recte pronunciare possumus, quod interioribus & exterioribus tenebris sint occœcati. Dionysius Carthusianus in comm. Apoc. 18. f. 300. *Damnati non erunt suae artis ac scientiae memores in inferno. Si enim gravis infirmitas inducit scientiae oblivionem, quanto magis vehementia illa infernalis tormenti.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 4. *Tenebrae inferni sunt palpabiles interiores & exteriores*, *unde Iob*: Terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis. *Et in Psalmo*: In æternum non videbunt lumen. *Et 1 Reg.* 2. Impii in tenebris conticescent. Cap. 7. *Reprobi non solum exterioribus*, *sed etiam interioribus tenebris involventur*, *quia spirituali pariter & corporali luce carebunt. Scriptum est enim*, *tollatur impius*, *ne videat gloriam Dei*, *qui solus tunc erit in lucem sempiternam.* Tertio *perversitas voluntatis*, *proiecta impietas*, unde peccata dicuntur *opera tenebrarum*, Eph. V. 11. Confer Ioh. III. 19. XII. 35. Rom. XIII. 12. 1 Thess. V. 4. &c. atqui in damnatis non est sanata perversitas voluntatis, in qua & cum qua mortui olim fuere, nec mundati sunt ab iniquitate, cuius macula illis perpetuo adhæret. Quarto *omnis generis calamitates*, *adflictiones & miseriae*, 2. Sam. XXII. 26. Psalm. XVIII. 29. Esai. V. 30. Mich. VII. 8. &c. iam vero infernus est sentina omnium miseriarum & adflictionum. Quinto *regnum diaboli*, quod in hoc mundo per peccatum in incredulos obtinet, Luc. XXII. 43. *Haec est potestas tenebrarum.* Eph. VI. 12. Κοσμοκρατορες του σκοτους αιωνος τουτου. Col. I. 13. *Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Iam vero in damnatos plenum & absolutum diabolus habebit dominium, quale in hac vita nondum habuit. Ex quibus omnibus constat, extremam caliginem & ab omni prorsus luce alienationem damnatis meritissime tribui. Sexto *contemtus & ignominia*, Psalm. CVII. 10. Apoc. XVI. 10. iam vero damnatorum opprobria erunt sempiterna 5) A *praeconio laudis divinae.* Beatorum hominum & sanctorum angelorum *adsidua occupatio erit Dei laudatio*; Psalm LXXXIV. 5. *Beati qui habitant in domo tua*, *Domine*, *in secula seculorum laudabunt te.* Sed ab his iubilantium Deoque psallentium choris separatissimi erunt damnati. Cum enim divinæ bonitatis dulcedinem cor eorum non gustet, ideo lingua eorum non erumpet in laudes Dei, quin potius *blasphemabunt Deum cæli prae doloribus & vulneribus suis*, Apoc. XVI. 11. non quidem in se, sed in suis effectis, divinis scilicet iudiciis & plagis, quas sustinent. Hoc sensu quidam accipiunt dicta scripturæ: Psalm. CXV. 17. *Non mor-*

5) *a praeconio laudis divinae.*

mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Esai. XXXVIII. 18. *Non confitebitur tibi infernus, neque mors laudabit te, non exspectabunt, qui descendunt in puteum, veritatem tuam.* 6) *A consortio commiserationis humanae.* Nec creator nec creaturæ ulla erga damnatos adficientur συμπαθεια. Deus *in interitu ipsorum ridebit*, Prov. I. 26. Beati & cœlites divinæ voluntati suam exactissime conformant, Psalm LII. 8. *Videbunt iusti, & videbunt super eum dicentes: Ecce vir, qui non posuit Deum adiutorem suum.* LVIII. 11. *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Gregorius lib. XXXIV. moral. cap. 16. *Si nunc quoque viventes iusti mortuis & damnatis iniustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi iam iustitiae vicinius atque arctius adhaerebunt &c.* Spiritus infernales erunt damnatorum tortores ac mastiges, tantum abest, ut ulla eos persequantur commiseratione. Ipsimet damnati sese invicem odio prosequentur, ac miseriis suis mutuo insultabunt. Esai. LXVI. 24. *Erunt ad satietatem visionis omni carni*, id est, omnes beati sine commiseratione imo cum voluptate damnatorum pœnas videbunt, quia *quamdiu volunt*, videbunt, cum pœnarum nullus futurus sit finis, & *quantum volent*, videbunt, cum maxima varietas & summa acerbitas earum sit futura. Chaldæus sic reddidit: *Et erunt impii iudicati in gehennam, donec dicant super eos iusti: satis vidimus.* Hebræa proprie sic sonant: *Et erunt nausea seu fastidium omni carni*, id est, damnatorum corpora tam fœda, putrida, vermiculantia ac tabida erunt, tamque gravia & horrida erunt damnatorum supplicia, ut omnibus spectantibus fastidium creent, quae interpretatio cum priore minime pugnat. Sensus enim est, tam non movendos esse damnatorum ac suppliciorum, quæ ipsi patiuntur, intuitu beatos cœlites ad ullam commiserationem ut potius fastidium ac nauseam ex illis sint concepturi. Vulgata Hebræum דראון legit, ac si esset ראה די *satietas, sufficientia visionis.* Dives epulo Luc. XVI. 24. exiguum & vilissimum quid petit, videlicet aquam, nec vas aqua plenum, nec ut manum, multo minus integrum corpus, sed ut *extremum digiti* Lazarus intingeret, ac *linguam duntaxat irroraret*, sed nec Abrahamus nec Lazarus commiseratione erga ipsum moventur; sed simpliciter ab illis repellitur. Apoc. XIV. 10. *Cruciabuntur in conspectu sanctorum angelorum & in conspectu agni*, id est, Christus & angeli videbunt illos damnatorum cruciatus, sed nulla erga ipsos adficientur misericordia. Erunt βδελυγματα, ἀναθεματα, περικαθαρματα, περιψηματα, exstabunt in ipsis manifesta & publica signa horrendæ iræ ac iudicii divini, nauseam & abominationem omnibus intuentibus creabunt &c. Hoc vero non mediocre pondus damnatorum suppliciis addet quod videbunt se in gravissimis pœnis constitutos, neque tamen quemquam ipsorum malis adficiendum. Miserrima hæc est miseria, extreme miserum esse, & tamen nemini esse miserabilem, gravissime dolere, & tamen neminem ad condolendum commovere posse, unde etiam gravissimis malis hoc adnumerari consuevit. Iob. XXX. 10. Psalm. XXXV. 15. LXIX. 21. &c.

6) *a consortio commiserationis humanae.*

§. XLV.

§. XLV. III. Mala damnatorum θετικα itidem varia sunt ac multiplicia, possunt tamen in duas classes commode dispesci, quædam sunt *interna*, quæ in semetipsis sentiunt, quædam *externa*, quæ in aliis, quibus cohabitant, intuentur, & quorum conspectu mala interna augentur. *Interna* generali adpellatione vocantur *dolores & cruciatus*, quos ut Spiritus sanctus nobis eo clarius explicet & animo nostro intimius infigat, declarat eos 1) *comparative*, 2) *effective*. 1) *Comparative* quidem dum damnatis tribuit a) ωδινας tales cruciatus quales fœminæ parturientes experiri coguntur. Luc. XVI. 24. οδυνωμαι εν τη φλογι ταυτη. 25. συ δε οδυνασαι. Huc referri potest primo, quod de initiis ac προγευσει infernalium dolorum psaltes dicit Psalm XVIII, 6. חבלי שאול *funes seu dolores inferni circumdederunt me*; quia verbum Hebræum proprie significat acutissimos illos dolores, quos puerperæ in ipso partu sentiunt, a radice חבל, *parturivit*. Secundo quod Christus de anxietate novissimum iudicium antegressura dicit, αρχαι ταυτα ωδινων, Matth. XXIV. 8. Marc. XIII. 8. Quemadmodum enim dolores quidam antegrediuntur partum, sed qui longe mitiores sunt iis, quos in ipso partu fœminæ sustinent; sic impii in novissimis temporibus iudicium proxime antecessuris sentient quosdam dolores ex publicis malis ortos, sed illis incomparabiliter maiores erunt isti cruciatus, quos in die iudicii & in igne infernali experientur. Denique quod 1 Thess. V. 3. dicit apostolus: *Repentinus impiis superveniet interitus, sicut η ωδιν τη εν γαστρι εχουση, & non effugient.* Quemadmodum dolores partus ex improviso puerperam adprehendunt; sic cruciatus & interitus æternus ex inopinato damnatos in die iudicii opprimet. Ex his igitur constat, damnatorum cruciatus conferri cum acutissimis doloribus parturientium, quales vero & quanti sint, patere potest primo ex *divino oraculo* Genes. III. 16. *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptum tuum*, quæ verbi repetitio phrasi Hebraica significat quandoque certitudinem & evidentiam, Gen. II. 17. XXXVII. 33. quandoque continuationem & frequentiam Ios. XXIV. 10. Ierem. XXIII. 17. semper autem exaggerationem & emphasin continet. Secundo ex *scripturae stilo*, quo insignem cruciatum & angustiam dolori parturientium conferre solet, 2 Reg. XIX. 3. Psalm. XLVIII. 7. Esai. XIII. 8. XXVI. 17. XXXVII. 3. Ierem. VI. 24. XXII. 23. XXX. 6. XLVIII. 41. Ezech. XXX. 16. Mich. IV. 9. Tertio ex *quotidianae experientiae testimonio*. Sæpius enim parturientes fœminæ doloribus illis succumbunt, & maxima cum cordis angustia moriuntur, Gen. XXXV. 18. Quarto ex *novissima illa querela* Hecubæ apud Euripidem, *malle se decies in acie stare quam semel parere*. Quæ omnia evidenter arguunt acerbitatem & vehementiam infernalium dolorum hac adpellatione exprimi. Bernhardus dicit, *unam gehennae scintillam magis cruciare damnatos, quam si fœmina in labore & partu prolis mille annos continue perduraret.* b) Βασανους, *tormenta*, quibus facinorosi subiiciuntur. Luc. XVI. 23. cum esset εν βασανοις, v. 28. infernus emphatice describitur, quod sit τοπος των βασανων. Matth. VIII. 29. dicunt diaboli: *Venisti huc ante tempus nos βασανισαι*, Marc. V. 7. Luc. VIII. 28. *ne me βασανισης, ante tempus.* Metuunt scilicet dæmones, ne ante iudicii diem in infernum tormen-

II) Mala θετικα, interna, quae describuntur 1) comparative.

mentorum locum detrudantur. Apoc. XIV 10. *Qui adoraverit beſtiam* βασανισθησεται εν πυρι και θειω, XX. 10. *Diabolus, beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die & nocte.* Inſtrumentum illius cruciatus erit *ignis*; unde Apocal. XIV. 11. dicitur, *fumus* τε βασανισμε, *ignis illius, a quo torquentur, adſcendit in ſecula ſeculorum.* Βασανιςης ſive tortor erit diabolus, Matth. XVIII. 34. qui & alios torquebit, ac nihilominus ipſe torquebitur. Notum vero eſt, quam varia ſint tormentorum genera, quibus facinoroſi in hac vita excruciantur, videlicet equulei, fidiculæ, candelæ picatæ &c. ſed illis omnibus longe graviora & atrociora tormenta damnatis in inferno ſunt parata, *ubi nec qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur.* c) Τα δεσμα *vincula*; Pſal. XI. 6. *Pluet Dominus laqueos ſuper impios.* Matth. XIII. 30. *Zizania colligantur* εις δεσμα ad comburendum. XXII. 13. *Ligatis manibus & pedibus proiicite eum hinc in tenebras exteriores.* De diabolis dicitur 2. Petr. II. 4. σειραις ζοφε παρεδωκεν Iud. v. 6. δεσμοις αιδιοις υπο ζοφον τετηρηκεν. Tribuuntur autem damnatis vincula 1) ad denotandam eorum *captivitatem*, proiecti ſunt in carcerem infernalem, εις το δεσμωτηριον, in locum vinculorum, in quo captivi detinentur, captivis enim vincula ſolent iniici: 2) ad exprimendam *tormentorum aeternitatem.* Chriſoſtomus hom. X. in 2 Cor. *Vincula illa non ex ferro, ſed ex igne ſunt nunquam exſtinguibili.* Qui manibus ac pedibus ligatis in carcerem proiicitur, non poterit ex eo eluctari, cogentur ergo damnati in hoc carcere æternum permanere, unde vocantur *vincula aterna*, quibus conſtricti tenentur; 3) ad inſinuandam *dolorum acerbitatem*: quando enim vincula arctius conſtringuntur, exquiſitiſſimos dolores corpori inferunt. Innocentius lib. III. de contemt. mundi cap. 4. *Impii in ſingulis membris catenis igneis conſtringentur*; 4) ad ſignificandam *bene operandi* αδυναμιαν. Proſper lib. III. de vit. contempl. cap. 12. *Quid eſt, obmuteſcentes manibus ac pedibus ligari niſi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione privari &c.* 5) ad deſcribendam *damnatorum ſocietatem*: Iſidorus lib. I. de ſummo bono cap. 32. *Sicut faſciculi lignorum ad combuſtionem de ſimilibus colligantur, ita in iudicii die ſimilis culpae rei ſuis ſimilibus iungentur, ut ex aequo pœna conſtringat quaſi in faſciculum, quos actio ſimilis fecit in malum.* d) Πληγας και μαστιγας Prov. XIX. 29. *Parata ſunt deriſoribus iudicia,* ומהלמות *& percuſſiones corpori ſtultorum.* LXX. interpretes: μαστιγες και τιμωριαι. Symmachus: σφυροκοπικαι Theodoretus: συγκλασεις. Vulgata; *mallei percutientes.* (*) Luc. XII. 48. *Servus qui fecit* αξια πληγων. Apoc. XXII. 18. inter plagas in libro illo ſcriptas eminent potiſſimum *infernales & aeternae* impœnitentibus paratæ. Quemadmodum enim ſervo inobedienti parata ſunt verbera & flagella, ſic eadem ſors manet damnatos apoſtatas & transfugas Dei ſervos. Ephremus in lib. de vera pœnit cap. 8. *Impelluntur miſeri* (damnati) *ab angelis terribilibus acti, caeſi atque flagellati, perguntque ad mugientes & ſtridentes dentibus.* Cyrillus Alexandrinus in orat de exitu animæ: *Heu; heu quales ſunt angeli infligendis pœnis deſtinati, truculenti & ſempiternae. Nam in alio reſponſo ita dixit:* Δαιμονες οι φοιτωσι περι χθονα και περι ποντον, Ακαματοι δαμαντα, υπαι μαστιγι θειοι.

(*) Dæmones ipſi μαστιγα vocant, quidquid infernorum ergaſtulis cruciatuum eſt; Lactantius lib. de falſ. relig. cap. 8. *Quid ergo ſupereſt, niſi ut ſua confeſſione verberibus veri Dei ac pœnae ſubiaceat*

& immites, etenim conviciantur fortiter & increpant &c. Feri sunt & intractabiles flammae illius ministri, graves illae, quae ad supplicium adhibentur, scuticae, firmi ungues & infracti, per dura flagella. Huc referri potest, quod de *angelo Satanae* apostolum *colaphizante* habetur 2. Cor. XII. 7. Quod si enim sancto apostolo accedente divina permissione violentas manus inferre diabolus fuit ausus, quo modo in flagellis & verberibus parcet damnatis, quos in peculium suum accepit? e) Αιμον και διψιν *esuriem, famem ac sitim*, qua omnium necessariorum ac delectabilium inopia exprimitur Esai. LXV. 13. *Servi mei comedent, & vos esurietis, servi mei bibent, & vos sitietis.* De beatis in cœlo dicitur Apoc. VII. 16. *non esurient nec sitient amplius.* Ergo a contrario sensu damnatos æterna esuries ac sitis premet.

§. XLVI. 2) *Effective* damnatorum cruciatus describuntur a) per *planctum ac luctum.* Quia enim in æternis & nunquam finiendis, iisdemque acerbissimis cruciatibus hærent constituti, ideo etiam æternum lugebunt ac plangent. Apoc. I. 7. *plangent super eum omnes tribus terrae.* Hic impiorum planctus in die iudicii incipiet, & in omnem durabit æternitatem 6) Per *clamorem & ululatum.* Esai. LXV. 14. *Servi mei ovabunt prae iucunditate, & vos clamabitis prae dolore cordis, & prae contritione spiritus ululabitis.* Iac. V. 1. *Ululate divites in miseriis vestris, quae adveniet vobis.* De statu beatorum in cœlo dicitur Apoc. XXI. 4. *Nec luctus, nec clamor, nec dolor erit amplius.* Ergo a contrario sensu damnati lugebunt & clamabunt in æternum. c) Per *fletum ac stridorem dentium.* XVI. 20. *Flebunt usque in seculum.* Iac. V. 1. *Plorate divites.* Hæc duo Christus semper coniungit, quoties infernalium tormentorum mentionem facit, ut non iniuria quis cogitet, duabus hisce appellationibus totam & universam miseriarum infernalium congeriem επιτομικως comprehendi. Matth. VIII. 12. XIII. 42. & 50. XXII. 13. XXIV. 51. XXV. 30. Luc. XIII. 28. Hieronymus in comm. Matth. 8. *per fletum & stridorem dentium membrorum corporalium magna tormenta ostendi* adferit. Fletus *dolorem*, stridor dentium *livorem* arguit; fletus *ex sensu mali proprii*, stridor dentium *ex cogitatione boni alieni* orietur; fletus erit *ex ardore*, stridor dentium *ex horrore.* Cyprianus ad Demet. *Erit tunc sine fructu pœnitentiae dolor pœnae, inanis ploratio & inefficax deprecatio.* Serm. de adscens. Christ. *Continuus erit & superfluus illarum lacrimarum decursus, stridorem illum dentium flammae inextinguibiles habitabunt.* Augustinus de tripl. habitac. cap. 2. *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile & calor ignis inextinguibilis. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor vero dentium ex frigore, de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera.* Prosperus lib. 1. de vit. contempl. cap. 12. *Fletus & stridor dentium acerrimos damnatorum dolores ostendunt, qui supplicio aeternae mortis addicti, non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi.* Beda in comm. Matth. 8. *Dup'ex hic ostenditur gehenna, id est, nimii frigoris per stridorem dentium, & intolerabilis fervoris per fletum oculorum.* Eodem modo exponit Remigius. Bernhardus serm. VIII. in Psal. *Qui habitat. Fletus ob ignem, qui non extinguitur, stri-*

2) *Effective*
a) *per planctum & luctum*
b) *per clamorem & ululatum.*
2) *per fletum ac stridorem dentium.*

ſtridor vero ob vermem, qui non moritur. Plane fletus ex dolore, ſtridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, ſtridorem dentium vehementia illa tabeſcentis invidiae & obſtinata malignitas extorquebit. Theophylactus in comm. Matth. VIII. accipit de *pœnitentia fruſtranea.*

§. XLVII. Poſſunt etiam mala damnatorum *interna* ſic diſtingui, ut quædam ad *corpora*, quædam ad *animas* referantur; oſtendemus enim inferius in cap. de *ſubiecto dolorum infernalium* damnatos non ſolum in *animabus* ſed etiam in *corporibus* promeritas pœnas luituros. Quia vero arctiſſima erit corporum & animarum connexio, ideo mala corporum redundabunt in animas, mala vero animarum redundabunt in corpora, id quod etiam in hac vita contingere videmus. Eſaias omnia tam corporum quam animarum in inferno tormenta ad duo ſumma capita revocare videtur, quando LXVI. 24. dicit: *Vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur*, quæ duo ſupplicii rum genera, videlicet *vermis rodens & ignis urens* etiam coniunguntur Iudith XVI. 21. Sir. VII. 19. & Marc. IX 44. 46. & 48. ſed an utrumque ad corpus & animam, an vero unum ad corpus, alterum ad animam ſpectet, de eo variant piorum veterum ſententiæ qua de re ſic diſſerit Auguſtinus lib. XX. de civ. Dei c. 22. *In pœnis malorum & inexſtinguibilis ignis & vivaciſſimus vermis ab aliis atque aliis aliter atque aliter eſt expoſitus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam, quod credibilius eſſe videtur.* Lib. XXI. cap. 9. *Vtrumque horum, ignem ſcilicet atque vermem, qui volunt ad animae pœnas non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore ſero atque infructuoſe pœnitentes eos, qui fuerunt a regno Dei ſeparati, & ideo ignem pro iſto dolore urentem non incongrue poni potuiſſe contendunt, unde illud apoſtoli eſt:* Quis ſcandalizatur & ego non uror? *Eumdem etiam dolorem vermem putant eſſe intelligendum. Nam ſcriptum eſt, inquiunt, ſicut tinea veſtimentum & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri. Qui vero pœnas & animae & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi, quodammodo vermi mœroris adfirmant. Quod etſi credibilius dicitur, quia utique abſurdum eſt, ibi dolorem aut corporis aut animae defuturum, ego tamen facilius exiſtimo, ut ad corpus dicam utrumqae pertinere, quam neutrum, & ideo tacitum in illis divinae ſcripturae verbis animi dolorem, quoniam conſequens eſſe intelligitur, etiamſi non dicatur, ut corpore ſic dolente animus quoque ſterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in veteribus ſcripturis: Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Nota, in exemplaribus, quæ hodie exſtant, voculam *carnis* non haberi, interim Iudith. XVI. 20. diſerte habetur, *dabit ignem & vermes in carnes eorum. Potuit brevius dici vindicta impii, niſi quia utrumque, id eſt, & ignis & vermis pœna erit carnis? aut ſi vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod ſecundum carnem vixerit. Propter hoc enim venit in mortem ſecundam, quam ſignificavit apoſtolus dicens:* Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. *Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice, aut utrumque proprie corpori, iam enim ſatis ſuperius diſputavi, poſſe animalia etiam in igni-*

Interna damnatorum mala quædam ad corpus, quædam ad animam pertinent.

ignibus vivere in uſtione ſine conſummatione, in dolore ſine morte per miraculum omnipotentiſſimi creatoris &c. Eligat ergo unum de duobus quisque quod placet, utrum & vermem ad corpus proprie an ad animum translato a corporalibus ad incorporalia vocabulo exiſtimet pertinere. Quid autem horum verum ſit, res ipſa expeditius indicabit, quando erit ſcientia ſanctorum, ut eis cognoſcendarum illarum pœnarum neceſſaria non ſit experientia, ſed ea, quae tunc erit plena atque perfecta, ad hoc quoque ſciendum ſapientia ſola ſufficiat. Nunc enim ex parte ſcimus, donec veniat, quod perfectum eſt, dum tamen nullo modo illa corpora talia futura eſſe credamus, ut nullis ab igne adficiantur doloribus. Sic ergo Auguſtinus rem in medio relinquit, nihil interim dubitans, pœnam *ignis* ad corpus, pœnam *vermis* ad animam pertinere, quod ipſum etiam alii ex veteribus agnoſcunt. Hieronymus in comm. Eſai. LXVI. *Vermis, qui non morietur, & ignis, qui non exſtinguetur, a plerisque conſcientia accipitur peccatorum, quae torqueat in ſuppliciis conſtitutos, quare vitio ſuo atque peccato caruerint electorum bono iuxta illud quod dicitur: Verſatus ſum in miſeria dum infigitur mihi ſpina & in proverbiis: Tinea oſſium cor intelligens.* Proſper lib. III. de vit. contempl. c. 12. *Quod dicit propheta*: Vermis eorum non morietur, ignis non exſtinguetur; *ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem ineffacis pœnitentiae ignis exurit, & conſumentis conſcientiae vermis immortaliter rodit.* Iſidorus lib. I. de ſum. bon. cap. 3. *Duplex damnatorum pœna eſt in gehenna, quorum & mentem urit triſtitia & corpus flamma, iuxta viciſſitudinem ut qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, ſimul & anima puniantur & corpore.* Rabanus lib. II. in eccleſ. 7. *In verme putredinem gehennae ſicut in igne ardorem ſignificat, ſive vermem dicit ſeram ſcelerum pœnitentiam, quae nunquam in tormentis conſcientiam adflictorum mordere ceſſabit, ut ignis ſit pœna extrinſecus ſaeviens, vermis dolor intrinſecus accuſans.* Innocentius lib. III. de cont. mund. *Vermis & ignis uterque duplex, interior & exterior. Interior qui rodit & urit cor, exterior qui rodit & urit corpus.* Bonaventura in dict. ſalut. tit. X. cap 1. *Ignis ardebit carnem, vermis ardebit mentem.* Ex quibus adparet, iuxta communiter receptam ſententiam damnatos cruciandos eſſe in *carne* per ignem, in *anima* per conſcientiæ vermem.

§. XLVIII. Ignis ille *infernalis* ſic deſcribitur, ut eum a vulgari ac diaconico plurimum differre facile intelligatur: 1) Ignis vulgaris ab homine accendi atque iterum exſtingui poteſt, ſed ignis infernalis ſic deſcribitur Iob. XX. 26. quod *ſit non ſufflatus, non accenſus*, per hominem ſcilicet, nam *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris accendit eum*, Eſai. XXX. 33. *Ignis accenſus in furore Domini ardet uſque ad infernum inferiorem*, Deut XXXII. 22. 2) Ignis vulgaris lignorum fomenta vel alterius cuiuſdam nutrimenti combuſtibilis materiam requirit, qua deficiente exſtinguitur; ſed infernalis ignis nullis fomentis vel nutrimentis indiget. Quod Eſai. XXX. 33. dicuntur *nutrimenta eius ligna multa*, παραβολικως ac μυστικως accipiendum, ſenſu ſcilicet eo, quod nunquam ſit exſtinguendus. 3) Ignis vulgaris viva corpora, quae corripuerit, exſtinguit ac in cinerem eadem convertit; ſed infernalis ſemper quidem urit & cruciat, nunquam vero exſtinguit, damnati præ magnitudine cruciatuum ſemper morientur, & tamen nunquam morientur, unde merito *inexſtinguibilis* vocatur, quia

Deſcriptio ignis infernalis.

nec exstinguitur nec exstinguit. 4) Noster ignis una cum vi καυστικη lumen ac splendorem obtinet; sed ab infernali igne lux & splendor aberit, ut ex patribus postea demonstrabitur. 5) Noster ignis eodem modo semper cruciat, quos incendit; sed infernalis utpote divinæ iustitiæ instrumentum diversimode pro culparum varietate animas torquebit.

§. XLIX. De hac diaconici & infernalis ignis differentia, ac huius inæstimabili vehementia pii veteres sic disserunt: Polycarpus presbyter in vita s. Sebastiani. *Omnes ignes omnesque pœnae huius mundi respectu ignis & cruciatus inferni sunt tantum quasi ignis pictus ad verum & magnum ignem.* Tertullianus in apolog. adv. gentes cap. 48. p. 80. *Profana erunt in pœna iugis ignis habentis ex ipsa natura eius, divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis. Noverunt & philosophi diversitatem arcani & publici ignis, ita longe alius est qui usu humano, alius qui iudicio Dei adpa et sive de cælo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat.* Cyprianus serm. de adscens. Domini: *Stridorem dentium flammae inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumibiles flammae nudum corpus adlambent. Ardebit purpuratus dives, non erit qui aestuanti linguae stillam aquae infundat. In proprio adipe frixae libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* Lactantius lib. VII. inst. cap. 21. *Natura ignis sempiterni diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur, qui, nisi alicuius materiae fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus ac liquidus & in aquae modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermistus exsilire cogit, & ad cælestem naturam eum trepidatione mobili subvolare. Idem igitur divinus ignis una eademque vi & potentia & cremabit impios, & recreabit, & quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse aeternum pabulum subministrabit &c. Sine ullo virescentium corporum detrimento aduret, tantum, ac sensu doloris adficiet.* Basilius in Psalm. XXIV. *Ignis Dei lucem dedit sine incendio, infernus contra sine luce incendium.* Idem in Psalm. XXXIV. erit πυρ αλαυπες την μεν καυστικην δυναμιν εχον, το δε φεγγος αφηρημενον. In orat. de futur. iudic. *Tunc ignis ille, qui diabolo & angelis eius in supplicium praeparatus est, dissecabitur voce Domini, ut cum duplex insit igni facultas, adustiva una, illuminativa altera, acris quidem vis ignis & punitoria reposita est iis, qui ustione sunt digni, illustratoria vero his, qui claritate perennis gaudii perfruituri sunt, succedet: ita ut obscurus quidem sit ignis supplicii, urendi autem vi careat lux illa refocillationis ac quietis. Nec est, quod ea de re ambigas, siquidem in retributionibus eorum, quae in vita a nobis erant gesta, natura ignis dividetur, & lux quidem ad fruitionem & oblectamentum iustis, urendi vero vis & doloris, quibus tormenta irrogabuntur, constituetur.* Nyssenus orat. catech. cap. 40. *Cum ignem audis, didicisti aliquem ab illo diversum intelligere, ex eo, quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non exstinguitur, hunc autem multa inventa sunt, quae exstinguant. Magna est autem differentia inter eum, qui exstinguitur, & eum, qui nullam admittit exstinctionem, est ergo aliquis alius & non hic ignis.* Chrysostomus ep. V. ad Theod. Lapsum: *Cum ignem audis, ne ar-*

arbitreris esse similem huic igni. Accensus enim defervescit & mutatur, ille autem semel in flammam exsurgens ardet perpetuo, nunquam intermoritur. Ab exprimendo rerum tenuium fieri potest, ut accipiamus de magnis aliquid conjecturae. Si quando in balneo fueris nimium effervescente, tum gehennae recorderis, & rursus si quando febre acriore conflagraveris, ad flammam, quae tunc est, progredere, tum probe intelliges, quia balneum & febres adeo nos adfligunt ac territant, quo animo futuri simus, quando in fluvium ignis incidemus. Augustinus serm. lib. LXXXI. de temp. *Ignis hic, qui in praesenti est vita, absumit cuncta, quae recepit, ille vero, quos susceperit, semper cruciat, & poenae suae semper integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, susceperit, extinguit aut perimet &c. Potentiam autem illius ignis nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus sive bonis sive malis.* Gregorius magnus lib. IX. mor. cap. 38. *Natura ignis est, ut ex ipso & lucem exhibeat & concremationem, sed transactorum ultrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet.* Cap. 39. *Quamvis cunctis damnatis una sit gehenna, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes aestuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur, etiam pondus caloris; sic damnatis & una est gehenna, quae adficit, & tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causam meritorum. Hic flamma, quae succendit, illuminat; illic ignis, qui cruciat, obscurat, horrendo igitur modo erit flamma cum obscuritate.* Ibidem: *Ignis, qui in obscuritate cruciat, credendum est, quia lumen ad tormentum servat &c. Sicut electis novit ardere ignis ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit, ita e diverso gehennae flamma reprobis & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad poenam, ut damnatorum oculis ignis supplicii & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, dilecti, qualiter crucientur, ostendat.* Cassiodorus lib. de anim. cap. 19. *Ignis ille sic absumet, ut servet; sic servabit, ut cruciet, dabiturque miseris vita immortalis & poena servatrix.* Isidorus lib. I. de sum. bon. cap. 3. *Ignem gehennae ad aliquid lumen habere & ad aliquid non habere, hoc est, habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant; & non habere ad consolationem, ne videant unde gaudeant, apta fit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennae. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda colligamina vinculorum, ita ignis gehennae & lucebit miseris ad augmentum poenarum, ut videant, unde doleant, & non lucebit ad consolationem, ne videant, unde gaudeant.* Haymo. lib. IV. in Apoc. *Cum sint in inferno tanta tamque innumerabilia tormenta, quanta nec dici nec aestimari possunt, breviter in duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremanda. Erit quoque ibi sulphur, quod & fomentum praestabit igni, & foetorem gignet, intolerabilem ac per hoc ex igne foetor & ex foetore ignis procreabitur.* Rabanus lib. V. in Eccles. cap. 1. *Ignis gehennae tam corpus quam etiam animam post diem iudicii excruciaturus est, cuius plagae non est sanitas.* Petrus Damianus ep. 2. *Ad cruciandos impios hoc prae caeteris elementum electum est, ut cum favilla defluens in quolibet membro vel ad momentum tolerari non possit, ultrices flammae miseros*

homines hinc egredientes absorbeant, & infinite patens vorax gehenna concludat. Innocentius lib. III. de cont. mund. c. 6. *Ignis gehennae nec lignis nutritur nec flatu succenditur, semper ardebit, & nunquam lucebit, semper uret, & nunquam consumet, semper adficiet, & nunquam deficiet. Est enim apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum aeternitas.* Gersonius serm. I. de omnib. sanct. *Damnati ab intus & extra erunt in acerbissimo cruciatuum genere, foris devorati ab igne, & ab intus ut clibanus ignis positi.* Dionysius Carthusianus de quatuor noviss. art. 37. *Ignis infernalis omni igne apud nos existente ineffabiliter calidior pœnaliorque exisit.* In comm. Apoc. XIV. p. 279. *Ignis inferni non clarus & splendidus sed fumosus & quodammodo tenebricosus adseritur, veruntamen modicum quid sortitur de luce in tantum, ut damnati ad calamitatis suae argumentum se invicem adspicere queant.*

§. L. Sed enim ut ineffabilis urendi ac cruciandi vehementia, quam infernalis ille ignis obtinet, quodammodo cognoscatur, adnotabimus emphaticas in scriptura nobis propositas descriptiones: 1) Non simpliciter vocatur ignis, sed *gehenna ignis* Matth. V. 22. XVIII. 9. Marc. IX. 47. quo dicitur ignis gehennae vel gehennalis, ut a vulgari igne discernatur. Potest etiam collatio institui inter ignem, quo idolum Moloch in Gehinnom erectum succendebatur, ut totum fierit ignitum, & inter ignem infernalem, qui damnatos intus & extra accendet, ut in anima & corpore ardeant. Ignis in valle Gehinnom dicta accensus, propter diabolicam idololatriam & crudelitatem parentum erga liberos, quos ignito Moloch sacrificabant, Deo erant abominationi: sic damnati Deo, angelis & omnibus beatis erunt abominabiles ac detestabiles. Confer dicta superius §. 8. 2) Vocatur καμινος πυρος, *caminus sive fornax ignis*, Matth. XIII. 42. & 50. quod Salvator desumsit ex Psalm. XXI. 10. *Pones eos ut clibanum ignis*, כתנור אש *in tempore faciei sive iraetuae?* Mal. IV. 1. *Dies Domini verit ardens tanquam clibanus;* nimirum ut infernalis illius ignis in urendo vehementia inevitabilis & perpetuo exprimatur. Ut enim illi, qui in fornacem ardentem coniecti sunt, non possunt ignis supplicium effugere, sed undique tam igne quam fornace concluſi sunt; sic impiis nunquam ex inferno patebit egressus aut liberatio ex æterni illius ignis cruciatibus. Nec dubium, quin ad fornacem Babylonicam Dan. 3. deducamur, in qua typum æterni illius ignis proponi, ostendimus superius §. XXIII. 3) Vocatur *flagnum ignis* Apoc. XIX. 20. XX. 10. 14. & 15. XXI. 8. ut inexplicabilis eius copia denotetur. Ut enim stagnum abundat aquis, sic infernus totus repletus est ignibus. Anshelmus lib. I. de imag. mund. cap. 11. *Infernus dicitur flagnum ignis, quia ut lapis mari, ita animae illuc immerguntur.* 4) Dicitur hic ignis habere *ligna multa* Esai. XXX. 33. ne quis forte cogitet, illum ob defectum nutrimenti aliquando esse exstinguendum. Quamdiu durabunt impii, tamdiu etiam durabit hic ignis. Ratio est, quia facientes impietatem sunt sicut stipulæ, quas hic ignis inflammabit, Mal. IV. 1. *stuppa collecta synagoga impiorum*, Sir. XXI. 10. 5) Additur huic igni *pix*. Esai. XXXIV. 9. ac *sulphur*, Psalm. XI. 6. Apoc. XIV. 10. XIX. 20. & quidem נחל גפרית *torrens sulphuris*, Esai. XXX. 33. λιμνη θειου, *flagnum sulphuris*, Apoc. XX. 10. XXI. 8. ut denotetur tum ignis huius *aeternitas*,

nam

nam ignis, cui quotidie adlabitur torrens sulphuris, nunquam exstinguitur; tum *urendi efficacitas*, quia ignis in pice ac sulphure magis urit ac furit, quam in alia materia; tum *fœtoris inamœnitas*, quia pix & sulphur accensa maximum fœtorem excitare solent. 6) Damnati dicuntur non in igne, sed in *flamma ignis* uri. Sir. XXI. 10. *Consummatio illorum flamma ignis in perditionem.* Luc. XVI. 24. *Crucior in hac flamma.* 2 Thess. I. 8. εν πυρι φλογος dabit *Dominus vindictam impiis.* Iac. III. 6. φλογιζομενη υπο της γεεννας. Neque enim leviter tantum in superficie corporis hic ignis adlambendo adurit, sed ad intimas usque ossium medullas, imo ad ipsam animæ essentiam penetrat, ut in mediis flammis damnati semper sedeant. 7) Tribuitur huic igni ζηλος, Hebr. X. 27. cum sit instrumentum divinæ iustitiæ ac iustissimi zeli, quo Deus animadvertit in peccatores. Confer expositionem huius dicti traditam §. XIX. 8) Denique vocatur πυρ ασβεστον, Matth. III. 12. Marc. IX. 43. Luc. III. 17. και αιωνιον, Matth. XVIII. 8. XXV. 41. Iudæ v. 7. quia nullis unquam infinitis seculorum seculis exspirat, unde *fumus eius in secula seculorum adscendere* dicitur Apoc. XIV. 41. in quibus verbis tum ignis huius *obscuritas* per fumum, tum eiusdem *perpetuitas* per adscensum fumi *in secula seculorum* significatur. An vero hic ignis corporeus vel incorporeus, visibilis vel invisibilis, materialis vel materiæ expers futurus sit, de eo in quæstionibus aliquid monebitur.

§. LI. *Igni urenti* ubique ferme coniungitur *vermis rodens.* Per eum vero intelligi videtur *morsus conscientiae* perpetuus & continuus ex peccatorum recordatione ortus, rabida quædam displicentia & infructuosa pœnitentia, angor cordis maximus & nunquam interruptus. Ut enim vermes continuo morsu cadavera arrodunt, sic internus ille conscientiæ vermis damnatorum animas perpetuo lancinabit. Prov. XXV. 20. *Sicut tinea vestimento & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi*; qui tamen versiculus in Hebræo non habetur. Quemadmodum in cadaveribus putrescentibus nascuntur vermes, sic conscientia putrefacta vermes gignit spirituales & immortales. De hoc verme conscientiæ sic loquuntur pii veteres: Origenes lib. II. περι αρχων cap. 11. *Horribilis & inaestimabilis damnatorum pœna erit conscientia per divinam virtutem omnia mala in memoriam recipiens, & Historiam quamdam suorum scelerum ante oculos suos videns expositam. Obviabit eis horrenda illa facies suorum delictorum, quae tormento omni amarior exiitit, sed & conscientiae suae verberibus cruciati infelicia illa verba crebro proloquentur & dicent: Vae vae nobis miseris, quibus contingit videre hanc diem! Vbicunque enim peccator tunc oculos convertet, contemplabitur imagines suorum delictorum.* Ambrosius in fine cap. 14. Luc. *Vermis est eo quod irrationabilia animae peccata mentem rei* (peccatoris) *sensumque compungunt, & quaedam exedunt viscera conscientiae.* Gregorius Nyssenius orat. catechet. cap. 40. *Cum vermem audieris, ne propterea, quod sit idem nomen, ad terrestre hoc animal tua feratur cogitatio. Adiectio enim eius, quod non moriatur, suggerit aliam esse intelligendam naturam, quam eam, quae cognoscitur.* Damascenus in vita Barlaam cap. 8. vocat *vermen insomnem.* Rabanus libr. II. in ecclesiasten 7. *Vermis est sera scelerum pœnitentia, quae nunquam in tormentis conscientiam adflictorum mordere cessabit.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi cap. 2. *Vermis conscientiae tripliciter lacerabit. Adfliget memoria, sera turbabit pœnitentia, torque-*

bit

bit angustia. Venient enim in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates eorum dicentes: Quid profuit nobis superbia? &c. Lutherus in enarrat. Genes. XLV. tom. IV. f. 155. *Animus aeger ac male sibi conscius semper est infernus, qui nihil aliud erit, quam ipsa conscientia mala. Si diabolus non haberet ream conscientiam, esset in cœlo. Ea vero accendit flammas inferni, & exsuscitat horribiles cruciatus, & erynnias in corde.* Confer enarrat. in Genes. XXXV. Scholastici docent, *morsum vermis longe exsuperare ipsam ustionem ignis*, id quod demonstrant hac ratiocinatione: *Doloris acerbitas in his tribus potissimum spectatur* 1) *in magnitudine mali, quod infligitur*, 2) *in potentia recte comparata ad eius susceptionem & perpessionem*, 3) *in arctissima utriusque coniunctione. Hinc efficitur, longe gravissimum malum esse in privatione visionis Dei, quam paenam certissimam concipit anima, longeque acerbiorem experitur, quam vim ignis qui ne hic quidem in animam agit, nisi mediate & respectu personae. At spirituale illud malum naturam spiritualem per se et immediate infestat ac discruciat. Coniunctio item utriusque est arctissima, siquidem intellectus multo acrius adprehendit quam sensus nec unquam ita animae illabuntur res corporeae, quemadmodum sese insinuant spiritualis, omninoque id quod animae est praesentius, quodque cognoscitur perfectius arctius quoque cum ea coniungi censendum est. Quemadmodum igitur qui spiritualia bona degustarunt, fastidiunt corporalia: ita & corporeorum malorum quodammodo obliviscuntur, qui animo gravissime anguntur, siquidem gravio & acrior est dolor, qui maiori delectationi opponitur. Ac proinde si maximum beatorum gaudium consistit in visione Dei & fruitione summi boni, sequitur summum damnatorum cruciatum esse in eiusdem visionis & fruitionis privatione. In hac vita mortali, quae tamen sensuum obtectis maxime adficitur, quandoque videmus quosdam dirissimos corporis cruciatus constanter perferre, ne existimationis, quae spirituale quoddam bonum est, iacturam faciant.* Richardus lib. IV. sent. dist. ult. art. 5 quæst. 2. idem demonstrat hoc modo: *Anima principalius adprehendit ignem per sensum & vermem per intellectum. Fortior autem est adprehensio per intellectum quam per sensum. Et vermis est aliquid magis intelligibile, cum sit aliquid sensibile. Vermis etiam praesentior est animae quam ignis, quia corporalia non possunt esse intra animam sicut spiritualia. Malum autem, quod est animae realiter praesentius & ab ea cognitum perfectius, sibi fortius est coniunctum.*

§. LII. Referri autem possunt ad rodentem illum *conscientiae vermem*, damnatorum 1) θλιψις και στενοχωρια, de qua Sap. V. 3. Rom. II. 9. 2 Thess. I. 6. θλιψις, *compressio*, in libris novi test. & apud ecclesiasticos scriptores accipitur pro adflictione, qua tamen non notatur ipsa adfligendi actio, sed angustiæ illæ, in quas redigitur is, qui adfligitur, seu anxietas illa, qua premitur, απο τ. θλιβειν, quod est *comprimere* ac *constringere*, sicut calceus pedem dicitur θλιβειν, quem arcte premit & constringit. στενοχωρια proprie est *angustum spatium*, *angustus locus*, Thucydides lib. VII. histor. p. 257. Plutarchus sympos. V. probl. 6. Metaphorice usurpatur pro angustia spiritus, qualis in acutis morbis ac subitis terroribus solet contingere. Rem. VIII. 35 2 Cor. VI. 4. XII. 10. LXX. interpretes utuntur pro צוקה *coarctatio*, *pressura*, Esai. VIII. 22. XXX. 6. ac pro מצור, *obsidio*, Deut. XXVIII. 53. Quemadmodum enim

nim in arcta obsidione hostes solent urbem περικυκλεῖται, circumcingere, ut nullus cuiquam civium pateat exitus, Luc. XIX. sic damnati in carcere infernali ita erunt conclusi ac circumcincti, ut nulla evasionis rimula ipsis pateat. Ad hanc externam angustiam accedet interior spiritus anxietas, qua corda ipsorum ita comprimentur ac constringentur, ut ægre spiritum ducere possint. Quemadmodum is, cuius dorso vel corpori toti gravissimum pondus, puta lapis molaris incumbit, ita comprimitur ac constringitur, ut vix possit respirare; ita pondus iræ divinæ, onus peccatorum ac mola asinaria damnationis æternæ impios ea ratione premet, ut respirandi nulla detur occasio. Expende paululum querelas, quas pii effundunt, si quando gustum duntaxat infernalis illius anxietatis sentiunt: Psal. XVIII. 5. περικυκλωσαν, *circumdederunt me dolores mortis, & torrentes Belial conturbaverunt me.* v. 6. *Funes inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* XXXI. 3. *Sagittae tuae infixae sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* v. 4. *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* v. 5. *quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me.* v. 6. *Putruerunt & corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.* v. 7. *Inclinatus & curvatus sum valde.* LV. 5. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.* v. 6. *Timor & tremor venerunt super me, & obruit me terror.* LXXXVIII. 5. *Aestimatus sum cum descendentibus in puteum.* v. 7. *Posuisti me in puteum inferiorem, in tenebras, in abyssum.* v. 8. *Super me incumbit furor tuus, & omnibus fluctibus tuis adflixisti me.* v. 9. *Posuisti me abominationem notis meis; tenet me carcer & non egrediar &c.* At quid futurum censes, quando non guttulam aliquam, sed totum poculum iræ divinæ ad imas usque feces damnati absorbere cogentur, quando totum pondus iræ divinæ ipsis incumbet? 2) ονειδισμος και αισχυνη, *opprobrium, pudor, confusio & ignominia.* Esai. LXVI. *Erunt* דראון, *abominatio, fastidium & contemptus omni carni.* Dan. XII. 2. *Quidam resurgent* להרפות לדראון *ad opprobria, ad contemptum sempiternum.* 1 Joh. II. 28. *manete in eo, ινα μη αισχυνθωμεν απ αυτου εν τη παρουσια αυτου.* Hic contemtus ac pudor damnatorum oritur ex manifestatione omnium peccatorum, quæ per totum vitæ cursum commiserunt; unde Hebræum חרף a quo הרפה descendit, non solum significat *conviciatus est, probris adfecit*, sed etiam *manifestavit, revelavit, divulgavit*, quia ex criminis alicuius publicatione nascitur opprobrium. Ea enim in die iudicii in publicum angelorum & hominum producentur conspectum; Rom. II. 16. *Iudicabit occulta hominum* 1 Cor. IV. 5. *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Judæ v. 15. εξελεγξει, *graviter redarguet omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt.* Psalm. L. 21. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Ipsorum etiam impiorum oculis & cordibus iugiter obversabitur horribilis species peccatorum ab ipsis commissorum, peccatum ipsorum erit coram eis semper, cum in hac vita eius remissionem ac tectionem non impetraverint, Psalm. LI. 5. Inde non poterit non horribilis, continuus ac perpetuus pudor in ipsorum animis oriri. Ephremus in orat. de futuro iudicio p. 243. *Horribilior tenebris ignique illo externo pudor erit atque confusio, in qua perpetuo conversabuntur peccatores, semper ob oculos*

los retinentes vestigia illa peccati in carne ladmissi, quasi notae alicuius tinctae nec eluibilis unquam in memoria animae aeternum duraturae. Intelligitur autem per illud opprobrium & convitium non tam *verbale* quam *reale*, quod in statum contemtum & ignominiosum detrusi in corpore & anima ignominiam gestabunt sempiternam, ac loquitur Daniel in plurali, *resurgent ad opprobria*, ut non unum contemtus & opprobrii genus, sed omnis generis opprobria impiis intelligantur parata. A radice חרף descendit etiam nomen חרף, *hyems*, propter defloratione[m], quia frigore vitiantur & corrumpuntur omnia terrae nascentia, ac omnis honor & gloria arboribus eripitur sicut poeta canit lib. II. georg.

Frigidus & sylvis Aquilo decussit honorem;

ita quoque damnati omni honore & gloria privabuntur, exsulabit ab illorum domicilio *amœnitas vernalis, formositas aestivalis, ubertas autumnalis*, erit autem in eo *frigiditatis* hyemalis, ex qua dentium stridorem oriturum multi ex veteribus autumant. Pudor, confusio & ignominia erit in cordibus damnatorum ex perpetua peccatorum recordatione. Pudor, confusio & ignominia opprimet damnatos in omnium angelorum & hominum conspectu, coram quibus peccata ipsorum manifestabuntur. Pudor, confusio & ignominia effundetur super eos a Deo altissimo, quia omnia ipsorum facta in clarissimam lucem producet. Pudor, confusio & ignominia adparebit in damnatorum corporibus. Ut enim beatorum corpora erunt *gloriosa*, 1 Cor. XV. 44. Phil. III. 21. sic damnatorum corpora erunt *deformia, tetra, abominanda.* Sicut gloria beatorum refulgebit per ipsorum corpora instar lucis per vitrum resplendescentis; sic ignominia damnatorum ex anima in corpora ipsorum redundabit. Quod si enim in hac vita malefici ac facinorosi tetrico vultu de occulta cordium suorum impietate testantur: *Der Mord und Diebstahl sihet ihnen aus den Augen;* quanto magis in damnatorum corporibus ac faciebus maculae ineluibiles peccatorum adparebunt? Lutherus in enarr. Gen. III. f. 60. *In inferno auferetur stupor ille, qui nunc obstat, quo minus videamus miseriam nostram & aperientur sensus omnes, ut non solum in corpore sit sensus poenae, sed etiam in ipsa mente sensus irae Dei & confessio, quod eam iram nostra malitia meriti simus. Haec acuent & infinitis modis augebunt impiorum cruciatus.* 3) Φθονος, *livor ac tabescens invidia.* Psalm. CXII. 10. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Sap. V. 2. *Videntes impii gloriam iustorum turbabuntur timore horribili, & mirabuntur (εξιστανται stupebuut, eestasin quamdam patientur) in insperata salute (εν τω παραδοξω της σωτηριας), & dicent intra se poenitentiam agentes, & prae angustia spiritus gement & dicent: Hic erat quem habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperii. v. 5. Nunc computatus est in filiis Dei &c.* Huius livoris ac invidiae consequens erit *stridor dentium* continuus, Matth. VIII. v. 12. XIII. 42. & 50. XXII. 13. XXIV. 51. XXV. 30. Ambrosius in Luc. XIV. *Stridor dentium prodit indignantis effectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci impietate deliquerit.* Bernhardus serm. VIII. in Psal. Qui habitat. *Stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiae & obstinata malignitas extorquebit.* Causa eius erit tum *beatorum in coelo felicitas*, quam non

non quidem in specie nec πρακτικως, interim tamen in genere ac θεωρητικως videbunt, tum *suppliciorum in inferno inaequalitas*, quam postea demonstrabimus. Ut enim in vita æterna propter summam beatorum caritatem fiet, ut quidquid uni electorum accidit, tanto gaudio adficiat reliquos, ac si illis ipsis datum foret, unde non erit ibi invidia disparis claritatis, ubi in omnibus regnabit unitas caritatis; sic in inferno propter odium, quo se damnati invicem prosequuntur, diversitas tormentorum maximam in illis excitabit invidiam. Anshelmus in lib. de similitudinibus cap. 45. *Sicut bonitas hominis boni hominibus est ad laetitiae incrementum: sic daemonibus & damnatis hominibus erit ad detrimentum. Daemonibus namque & damnatis hominibus sanctorum consummatio erit interminabilis luctus & aeterna damnatio. Nam cum iusti obtinebunt corporis & animae gaudium sempiternum, tunc similiter & illi ibunt in supplicium aeternum.* Bernhardus serm. VIII. Ps. Qui habitat: *In illa tanta separatione, quemadmodum hœdis agnorum divisio, gravissimi livoris occasio fiet, sic electis e regione consideratio reproborum immensa quaedam materia gratiarum actionis & laudis &c. Unde impiis tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summae beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos se fœtores, in illos horrores, in illos aeterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos?* Thomas quod lib VIII. art. 16. *Damnati inferno existentes post diem iudicii memores erunt gloriae sanctorum, quam ante iudicium & in iudicio viderunt, & sic cognoscent eos esse in maxima gloria, quamvis non videant ipsos beatos nec gloriam eorum, & ita invidia torquebuntur, & sic adflictio, quae est in iis, nunc ex tali visione manebit sublata, de quo etiam magis dolebunt, videntes se etiam visione sanctorum indignos reputatos.* Quidam hoc inexplebile damnatorum desiderium vocant βελιμιαν, *caninam famem*, quo morbo qui laborant, omnibus animi & corporis viribus semper deficiunt, & deficiendo tamen ad finem nunquam perveniunt. 4) φοβος και αποριa *timor, tremor, perpetuus horror & continua desperatio.* Iob. X. 22. *antequam vadam ad terram tenebrosam, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans*; Hebræum habet: *cuius splendor est caligo.* Orietur ille horror primo ex *loci conditione.* Infernus est carcer tenebricosus ac caliginosus, iam vero tenebræ horrorem solent incutere. Secundo ex *daemonum conversatione.* Quanto horrore concutimur, si spectrum intuemur, ecquid in inferno damnatis obventurum putabimus, quando in propria specie ac forma dæmonas intuebuntur? Tertio ex *aeternitatis cogitatione.* Norunt damnati in tenebricoso illo carcere sibi perpetuo esse manendum, sciunt nullum tormentorum finem aut terminum esse exspectandum, hæc cogitantes non possunt non horribili timore concuti. Augustinus epist. CCXI. ad Iulian. *Non est locus ibi vel morti, per quam tormenta finiantur. Mors optabitur & non dabitur.* Quarto ex *peccatorum recordatione.* Obversabuntur oculis ipsorum horribilia peccatorum a se commissorum spectra, sciunt sibi nullam peccatorum illorum condonationem, adeoque spectrorum istorum remotionem sperandam, inde gravissimo horrore percelluntur, ac in continua & perpetua desperatione vivunt. Gregorius lib. IX. moralium cap. 39. *Infernum & umbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat, quia eius ignibus traditi & in sup-*

pliciis dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut & quod timent, tolerent, & rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic metus amittitur, cum tolerari iam cæpit, quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis art. 37. ex Alberto: *Infernale incendium non tam graviter adfligit infelicissimos illos, quantum adfligit eos consideratio, quam attendunt & cogitant, se in tot ac tantis tormentis perpetuo mansuros, ex qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni.* 5) μανια, *furor horribilis*, quo adversus Deum & omnes creaturas, adeoque etiam adversus se, ipsos pugnabunt, Deo irascentur, eumque blasphemabunt ob magnitudinem dolorum & pœnarum, quas ab ipso sibi inflictas sentient, Apoc XIV. 11. Irascentur omnibus creaturis, quod omni earum solatio destituti in æternis tenebris maneant. Sibiipsis mortem & exitium optabunt ob tormentorum atrocitatem ac dolorum acerbitatem, cum alias natura a morte abhorreat, ac sui conservationem quærat. Apoc. VI. 16. *Dicent montibus & petris: Cadite super nos.* IX. 6. *Quaerent mortem, & non invenient eam.* Isidorus Clarius orat. XII. *Quidnam gravius supplicium, quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? In aeternum peccator non adsequetur, quod vult, & quod non vult, nihilominus in aeternum pati cogetur.* Baptista Mantuanus lib. III. de patientia cap. 25. *Damnati adfidue coguntur cæca hæc incendia contemplari, tantaque ex hac invita contemplatione, quam in aeternum supplicium sibi a Deo datum cognoscunt surgit indignatio, tantus impatientis animi furor exardescit, ut omni rationis usu postposito cœlo & terrae, ac Deo ipsi precentur exidium, & quoniam vis concupiscibilis boni placentis abundantiam, & pœnae displicentis sentit offensionem, irascibilis quoque desideratae quietis nequit a concupiscibili impedimenta repellere, fit in animo mœror & luctus & sine ulla consolatione cordolium. Haec autem poetae per illa quinque flumina, quae apud inferos ponunt, mystice designarunt. Styx enim est odium, Acheron tristitia, Lethe oblivio, Cocytus luctus, Phlegethon ardor. Odium Dei atque iustitiae, tristitia de pœnarum acerbitate, oblivio charitatis & spei, luctus ex pœnarum acerbitate, ardor ex conscientia culpae, ardor item corporis post resurrectionem, quod iugiter ardebit & non consumetur, & erit illic mors aeterna, quia immortalis miseria, quae supremo bono, id est, beatitudini opposita potest summum malum adpellari.* Breviter; erit in damnatis *pudor* respectu Dei & angelorum sanctorum ac hominum beatorum; *horror* respectu diabolorum; *dolor & timor* respectu æternorum tormentorum.

§. LIII. Cæterum quod *in anima & corpore* damnatos torquendos esse diximus, ea ratione intelligendum, quod in *omnibus animae potentiis* & in *omnibus corporis membris* dolores acerbissimos sint persensuri, ac proinde ad multiplicem pœnarum varietatem accedet *earumdem universalitas*. Mala huius vitæ sunt duntaxat *singularia*, quando patimur, tunc unus tantum sensus & unum duntaxat membrum patitur, sed in infernali igne omnia corporis membra adfligentur, & ab infernali verme omnes animæ facultates, omnes sensus interni & externi erodentur. *Oculi* cruciabuntur dæmonum adspectu, *aures* supplicii sociorum stridore & gemitu, *Universalitas cruciatuum infernalium*

tu, *odoratus* intolerabili fœtore, *gustus* rapidissima siti ac fame, *tactus* & omnia membra frigore, igne. *Imaginatio* patietur ab adprehensione præsentium dolorum, *memoria* a recordatione præteritarum voluptatum, *intellectus* a consideratione bonorum amissorum & malorum, ad quæ devenerunt præsentium ac futurorum. Idem iudicium esto de corporis membris, in quibus omnibus ac singulis damnati patientur, quia omnibus & singulis ad creatoris ignominiam abusi ad iniquitatis arma eadem converterunt, Rom. VI. 13. Bonaventura in diæta salut. tit. X. cap. 1. *Sunt quidam dicere volentes, quod in inferno universae partes hominis tam corporis quam animae post diem iudicii erunt in igne; nunc autem videmus, quod homo non posset sine maximo tormento ignem in parte unius digiti sustinere per unam horam, quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne?* Gersonius lect. 33. can. in mis. *Poenae damnatis secundum corpus & secundum animam infligentur. Corpus quidem poenis variis, quoad omnes sensus adficitur, anima secundum omnes suas potentias cruciatur. Nam quoad visum est ibi luminis privatio, quod delectabile est oculis videre,* Matth. XXII. *& est ibi fumus.* Apoc. XIV. *Quoad auditum, est ibi sonus horribilis.* Sap. XVII. *Sonitus descendens perturbat illos. Item gemitus miserabilis & blasphemia exsecrabilis,* Apoc. XVI. *Quoad olfactum est ibi sulphur fœtens,* Apoc. XIV. *cruciabuntur igne & sulphure. Quoad gustum absynthium amarum cibus.* Ierm. IX. *Ecce cibabo populum absynthio, & potum dabo eis fel draconum. Item fel draconum potus.* Deut XXXII. *Uva eorum uva fellis & potus amarissimus, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Quoad tactum est ibi ignis urens.* Matth. XXV. *Ite in ignem. Item vermis corrodens* Esai. XIV. *Item bestia mordens.* Deut. XXXII. *Item aestus insuperabilis & frigiditas intolerabilis & frigiditas intolerabilis,* Iob. XXIV. *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Adstigitur & anima in suis potentiis sensitivis & intellectivis, est enim ibi proterva phantasia, demens concupiscentia & furens tristitia. Torsiones & dolores tenebunt eos.* Esai. XIII. Præter has generales & omnibus damnatis communes pœnas erunt etiam pœnæ quædam *particulares* ac *propriae*, quisque enim punitur secundum criminum suorum quantitatem & qualitatem, neque ullum erit peccatum, quod non proprium suum ibi habeat cruciatum: in quo membro creator plus fuit offensus, in eo peccator gravius torquebitur, qua de re in quæstionibus dicetur plenius.

§. LIV. *Externa damnatorum mala* augent 1) *Socii supplicii*, cum quibus patiuntur, 2) *conditio loci*, in quo patiuntur. Socii supplicii sunt 1) *mali angeli*, 2) *homines damnati.* Diabolos & damnatos homines fore eiusdem supplicii socios, patet ex verbis Christi Matth. XXV. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo & angelis eius*; ubi per angelos non tantum intelligi possunt spiritus maligni, quorum caput ac princeps est diabolus, sed etiam homines impii, qui se diabolicæ malitiæ ministros exhibuerunt, quamvis prior explicatio, quam in tract. de extr. iud. secuti sumus, textui videatur convenientior. *Supra se* damnati habent Deum irascentem, *intra se* vermem rodentem, *iuxta se* diabolos torquentes. Idem colligitur ex Apoc. XX. 10. *Diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* at quam infelix & horribilis est illa so-

Externa damnatorum mala.

cietas versari cum diabolis, qui non solum truci adspectu, sed etiam terribili boatu, quin & crudeli laniatu damnatos torquebunt? Audito vel solo nomine diaboli cohorrescimus, cum quo tamen damnati in æternum vivere cogentur. Satiat iustos visio sanctorum hominum & angelorum & super omnia ipsius Dei; cruciat, impios visio hominum damnatorum & dæmonum & super omnia ipsius diaboli. Neque enim ullus alius ipsorum oculis occurret, nisi pœnarum ministri & facies dira tortorum. Basilius in Psalm. XXXIV. *Eos qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam ac tristes circumstabunt. Angeli ignem paratum contuentes, ignem exspirantes propter propositi amarulentiam, vultum praeferentes nocti adsimilem prae mœrore atque hominum odio.* Cassianus de conf. theol. part. III. *Ibi atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent & stimulant ad tormentum ut caudae scorpionum, quorum adspectus tremorem inducit & dolorem atque mortem.* Bernhardus dixisse memoratur, *quod malit fornacem calentissime ferventem intrare quam diabolum in sua propria forma adparentem videre.* Iam vero non semel duntaxat, sed perpetuo damnati diabolum videbunt, ex qua visione ipsorum tormenta augebuntur; sicut ad intuitum carnificis facinorosi contremiscunt. Sed & reliquorum damnatorum adspectus damnatos cruciabit non quod ulla erga ipsos ducantur commiseratione, sed quia ab iisdem suppliciis, quae in aliis intuentur, sibi metuunt, unde etiam dives epulo fratres præmoneri rogabat, ne *in eumdem locum tormentorum venirent*, Luc. XVI. 28. Adde quod intuitus supplicii sociorum in memoriam illis revocet peccata, quibus scandalum illis præbuerunt, & ad infernum secum pertraxerunt. Chrysostomus hom. XLVIII. de ira: *Non velim existimes, ut hic fieri solet, ita & in futura vita contingere, ut scilicet solatium aliquod ferat, socios habere miseriae. Unde id constat? ex subiecto scilicet exemplo. Dic enim quaeso, si quis damnatus ignibus filium quoque una intueatur, nidoremque ex ipsius carnibus adscendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nam si hi quoque qui sani sunt, dum haec fieri vident, pene resoluuntur, multo magis id passuri sunt, qui ea clade vexantur. Et ad passionem pronum genus humanum, aliorumque calamitatibus facile commovemur. Quo pacto pater filium in eadem damnatione constitutum videns solatium capiat? contra pœna illi ex ea societate auctior.* Gregorius lib IX. moral. c. 39. *Sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra praecepta conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suae damnationis adfligat. Quod profecto evangelio attestante colligimus, in quo veritate nunciante dives ille, quem contigit ad aeterna intendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit, ut ad eorum eruditionem mitteret ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio, quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam praesentes videre &c.* Isidorus lib. I. de summo bon. cap. 13. *De eorum quoque suorum suppliciis additur etiam pœna damnatis, sicut apud inferos divitis sermo praedicat evangelicus, sicut pro augendo Iudae supplicio dicit etiam psalmista: Commotione commoveantur filii eius & mendicent.* *Locus*, in quo damnati cruciabuntur, est carcer infernalis, de cuius

for-

forma interna iam ante diximus, de *externa forma* sive figura postmodum disseremus. Vel solum carceris nomen ostendit, omnem ab inferno abesse pulchritudinem, omnem voluptatem, omnem amœnitatem, carcer enim est mala mansio.

§. LV. Exposuimus hactenus *quantitatem diseretam*, numerum scilicet ac multiplicem infernalium pœnarum varietatem, restat ut etiam II) *continuam quantitatem* sive tempus earumdem qualicunque ratione explicemus. Tempus pœnarum infernalium docendi causa duplex statui potest, *præparationis* & *infligtionis*. De tempore præparationis egimus superius §. XXXI. Tempus *infligtionis* iterum duplex est, *inchoationis & durationis*. *Inchoationis* tempus diversum est ratione subiecti *in angelis malis & hominibus damnatis*. Angeli mali statim ut a creatore suo sese averterunt in infernum inciderunt. Homines impii post mortem temporalem secundum animas dolores infernales sentire incipiunt, *quod enim angelis casus, illud hominibus mors*; interim in hac vita præludia & initia quædam illorum experiuntur, ac in die iudicii tam angelorum malorum quam damnatorum supplicia maximum accipient incrementum, ut in tract. de morte §. CLXII. & de extrem. iud. §. XLVI. iam ante ostendimus. *Duratio* pœnarum infernalium complectitur earum tum *continuitatem* tum *perpetuitatem* sive *æternitatem*. 1) Continuitatis nomine intelligimus, quod pœnæ illæ nullum habebunt intervallum, nullam interruptionem, nullam quietem. In hac vita si quis ardentissima febri æstuat, levationem quamdam interdum sentit; qui animi angoribus torquetur, relaxionem quandoque experitur, Exod. VIII. 15. *Pharaoni datur requies a plagis. Dimitte, cessa a me & confortabo me*, ait Iob. X. 20. sed in inferno damnatorum cruciatus nec finem habebunt nec requiem. Hæc pœnarum continuitas probatur a) ex *clarissima scripturae assertione* Esai. XXXIV. 10. *Nocte & die non exstinguetur ille ignis infernalis.* Apoc. XIV. 11. *Damnati non habent requiem die ac nocte*, XX. 10. *Cruciabuntur die ac nocte.* Quo sensu dies ac nox futuro seculo tribuatur, cum dierum ac noctium vicissitudo cum mundo sit cessatura, exposuimus superius §. XX. Sicut beati non habent requiem a divinis laudibus & canticis, Apoc. IV. 8. sic ex opposito damnati non habent requiem a plagis & suppliciis. 2. Ex *analogica comparatione.* Esai. LXVI. 24. Matth. III. 12. Luc. III. 17. vocatur ignis ἄσβεστος, Marc. IX. 44. 46. & 48. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguitur.* Si vermis damnatorum non moritur, utique corda eorum continuis morsibus lancinat; si ignis eorum non exstinguitur, utique non interruptis flammis corpora eorum ustulat. 3) Ex *levamenti remotione.* In lacu infernali non est *aqua*, Zach. IX. 11. hoc est, nulla cruciatuum levatio, nulla consolatio, nulla a pœnis cessatio. Luc. XVI. 24. dives epulo petit Lazarum mitti, ut *intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret ipsius linguam*, sed nihil quidquam impetrat. 4) Ex *perpetua causae actione.* Thomas lib. IV. sent. dist. 45. q. 2. *Pœna diminui non potest, nisi diminuatur culpa, sicut nequit auferri nisi ea ablata. At culpa damnatorum non minuitur. Ergo nec pœna.* Flatus Domini sicut *torrens sulphuris* accendit inferni ignem

II) *De continua pœnarum infernalium quantitate.*

i) *Continuitas.*

gnem, Esai. XXX. 33. Ira Dei μένει, *manet super damnatos*, Ioh. III. 36. Damnati bibunt *de vino irae*, *quod mixtum est miro in calice irae eius*, Apoc. XIV. 10. *Sorbent feces irae divinae*, Psalm. LXXV. 9. iam vero ira illa Dei nunquam est otiosa & inefficax, nec ullam respirationem vel quietem damnatis concedit, sed gravissimi ponderis instar perpetuo eos premit. Cyprianus lib. ad Demetr. *Tormenta damnatorum nec requiem habent nec finem.* Cassiodorus in Psalm. 20. *Erit dolor sine fine, poena sine requie.* Augustinus in enchir. cap. 112. vocat *cruciatus sine interruptione perpetuos.* Bernhardus in medit. devotiss. cap. 3. *Nec qui torquet, fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur.* Glossa interlinearis Sirac. 40. *Ibi nulla pax, nulla doloris mitigatio.*

§. LVI. Antithesis: 1) *Iudaei* fingunt *damnatos eo momento, quo ipsi in terris sabbatum initiant, evocari ab angelo dato ad requiem signo, & statim, quo momento Iudaei sabbatum finiunt, revocari ad poenas*, idque tum fabellis, tum mysteriis cabbalisticis ex tertio praecepto erutis mirabili modo probant. Vide Helvicum tom. IV. disp. Giss. 9 c. 2. th. 1. 2) *Quidam ex patribus* levationem quamdam poenarum damnatis videntur promittere. Chrysostomus hom. XXXIII. in Matth. de cura pro mortuis disputans, decidit quodammodo in eorum opinionem, qui putant, *suffragiis & orationibus viventium iuvari damnatis apud inferos. Putas*, inquit, *defunctum filium maculis inquinatum abiisse, da illi fua, ut illis se a maculis detergat.* Et clarius adhuc hom. III. in epist. Phil. *Deplorato eos, qui in divitiis mortui sunt, & nihil consolationis suis ipsorum animabus ex divitiis suis procurarunt, qui cum potestatem diluendi peccata sua accepissent, noluerunt. Hos desleamus, sed cum modestiae decoro, desleamus eos, iuvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen iuvemus eos, quomodo, quave ratione? precantes adhortemur & alios, ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis &c.* Augustinus vel quicunque alius auctor in enchir. ad Laur. cap. 110. *Cum sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt, quibus aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Et postea: *Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in illis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio, in qua Deus manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non aeterna supplicia finiendo, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus.* Prudentius in hymno de novo lumine pasch. sabb.

Sunt & spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub stygе feriae,
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultatque sui carceris otio
Vmbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

Canonistae & scholastici in dictis illis patrum ad bonum sensum reducendis varie

rie desudant. Præpositivus Leodiensis in compend. theol. scribit, *tantam posse cumulari super damnatos suffragiorum multitudinem, ut progressu temporis omnibus exuerentur pœnis, non tantum in perpetuum, ut senserat Origenes, sed usque ad resurrectionem, in qua resumtis corporibus iterum in aeterna supplicia detruderentur, abiecta omni prorsus refrigerii ac solatii spe.* Sed hac ratione hypothesis de levatione dolorum infernalium stabilitur. Gilbertus, Pictavorum episcopus, in lib. theolog. quæst. existimat, *fidelium precationibus & oblationibus adimi reproborum pœnas sine earum absumtione eo modo, quo infinitae proportionales partes demi solent a linea, a qua licet ipsa infinita non fit infinitae tamen partes absque ulla eius consumtione subtrahi possunt.* Sed hæc abstractio est mere imaginaria. Guilielmus Antisiodorensis in sine summæ censet, *viventium auxilia suffragari damnatis non ad imminutionem aut interpolationem tormenti, sed ad confortationem, ac corroborationem patientis, ut si quis hominem ingenti ponderis onere praegravatum cibo recreet, vel frigida perfundat.* Rupertus Linconiensis in summ. theol. tradit, *nec auferri, nec interrumpi nec diminui damnatorum supplicia, subtrahi tamen illis aliquam gravioris miseriae occasionem, dum sentiunt se ab his, qui suffragia porrigunt, non omnino abiectos, sed aliquam apud eos praesentium malorum commiserationem invenire.* Thomas lib. IV. sent. dist. 45. q. 2. confutatis illis sententiis omnibus existimat de purgatorio hæc explicanda, ac damnatis per suffragia *inanem duntaxat fallatis gaudii speciem & hiatam mœrentis animi illusionem accidere.* Sed prius petit principium, posterius non satisfacit dictis veterum. Vtrum qui est inane figmentum. Simplicissime respondetur a) in *genere*, patrum dicta non esse scripturis opponenda, sed ex illis & iuxta illas exponenda. b) in *specie* Chrysostomum oratorio, Prudentium vero poetico more fuisse locutum, enchiridion ad Laurentium non esse Augustini, sed alterius auctoris &c.

§. LVII. 1) *Aeternitas* pœnarum infernalium probatur: a) ex sacris litteris, in quibus describitur 1) καταφατικως, *adfirmative.* Iob. XXXI. 12. *Ignis est devorans usque ad perditionem.* LXX. interpretes reddiderunt πυρ καιομενον επι παντων ημερων. Psal. XLIX. 15. *Mors depascet eos;* ut instar graminis depasti semper renascantur. Esai. XXIV. 22. *Post multos dies visitabuntur.* XXXIII. 14. *Quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis?* Hebræum habet: מוקדי עולם XXXIV. 10. *In sempiternum adscendet fumus eius.* LXV. 5. *Ignis ardens tota die*, hoc est, in sempiternum, quia æternitas est una dies continua occasum non habens. Ezech. XXVI. 20. *Cum detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.* Dan. XII. 2. *Quidam expergiscentur ad opprobria & contemtum sempiternum.* Iudith. XVI. 21. *Flebunt in sensu suo usque in seculum*, εως αιωνος. Matth. XVIII. 8. XXV. 41. Iudæ v. 7. *ignis aeternus*, v. 46. κολασις αιωνιος, *supplicium aeternum*, Ioh. VIII. 51. XI. 26. *mors aeterna*, 2. Thess. I. 9. *interitus aeternus*, Iudæ v. 6. *vincula aeterna*, v. 13. *quibus caligo tenebrarum in aeternum reservata*, Apoc. XIV. 11. *fumus tormentorum adscendet in secula*, XX. 10. *cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* 2) αποφατικως, *negative.* Iob. VII. 9. *Descendens in infernum non adscendit.* X. 21. *Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrarum.* Prov. XXVII. 20.

2) *Aeternitas.*

20. XXX. 16. *Infernus non ſaturatur*, ſed plures ſemper pœnas a damnatis exigit. Eſai. LXVI. 24. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguitur.* Cadavera, quæ vulgari & communi morte perierunt, cito ſolvuntur, & in ſaniem liqueſcunt, ac vermes, qui in illis generantur & paſcuntur, deficiente materia & alimento ipſi quoque pereunt & deficiunt; ſed de vermibus damnatorum corpora in inferno arrodentibus, dicit propheta, quod *non moriantur*, ac proinde etiam illis damnatos in æternum cruciandos & corrodendos eſſe ſignificat. Sic etiam ignis diaconicus deficiente nutrimento & alimento ſtatim exſtinguitur, ſed de igne, qui damnatos in inferno cruciabit, propheta adſerit, quod non ſit *exſtinguendus*, ac proinde etiam æternis flammis eos obnoxios fore inſinuat. Matth. III. 12. Luc. III. 17. *Paleas comburet πυρι ασβεςω*, qui nullo unquam tempore exſtinguetur. Matth. V. 25. Luc. XII. 59. *Non exibis e carcere, donec novissimum quadrantem perſolvas*, hoc eſt, nunquam. Confer tract. de morte §. CCLXIX. Marc. IX. 43. *Ignis inexſtinguibilis.* v. 44. 46. & 48. *Vbi vermis non moritur. &c.* Harum deſcriptionum quædam ſunt propriæ, quædam vero metaphoricæ ac ſymbolicæ. Quæ vero nominatim ad ſymbolicas & metaphoricas pertineant, non poteſt exacte definiri Excipiunt, *Deum ideo pœnas æternas peccantibus eſſe minatum, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret, quia creaturae ſuae aeterna ſupplicia minari debuit, non inferre.* Reſp. verbis Gregorii lib. XXXIV. moral cap. 16. *Si falſa minatus eſt, ut ab iniuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad iuſtitiam provocaret. Quis hanc eorum veſaniam toleraret, qui conantur adſtruere verum non eſſe, quod veritas minata eſt, & dum ſatagunt* [*Deum perhibere miſericordem, non verentur praedicare fallacem?*

§. LVIII. b) Eadem pœnarum infernalium æternitas probari poteſt *rationibus* ex ſcriptura deductis: 1) Ex perpetua iræ divinæ *duratione.* In hac vita poteſt homo per veram & ſeriam converſionem ex filio iræ fieri filius gratiæ, ſed in inferno eiusmodi translatio non habebit amplius locum, quia ira Dei inſtar graviſſimi & ineluctabilis ponderis perpetuo incumbet damnatis. Deut. XXXII. 22. *Ignis ſuccenſus in furore meo, & ardebit uſque ad infernum inferiorem.* Eſai. XXX. 33. *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendet hunc ignem.* Quamdiu igitur Dei flatus inferni ignem ſuccendet, tamdiu quoque durabunt damnatorum pœnæ, hoc eſt, in omnem æternitatem. *Ignis*, cui adlabitur torrens ſulphuris, nunquam exſtinguitur, ſed perpetuo fovetur. Quamdiu vivet Deus, tamdiu illi morientur. 2) Ex *chaſmatis confirmatione.* Luc. XVI. 26. inter beatos & damnatos *magnum chaſma firmatum*, ut qui ex inferno velint ad beatos tranſire, non poſſint. Illud chaſma, illa horrenda & profundiſſima vorago non poteſt adſcenſu ſuperari ac pertranſiri. 3) Ex *ianuae occluſione.* Matth. XXV. 10. *Et clauſa eſt ianua.* Ianua ſcilicet *gratiae*, ianua *miſericordiae*, ianua *indulgentiae*, ianua *pœnitentiae*, ianua *conſolationis*, ianua *ſpei*, ianua *gratiae*, ianua *bonorum operum.* Luc. XIII. 25. *Cum intraverit paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare.* Clauſæ erant portæ, per quas damnati poſſint exire; clauſæ erant portæ, ut conſolatio aut minima ſpes liberationis poſſit introire. 4) Ex *beatitudinis oppoſitione.* Ibunt pii ad dextram iudicis conſtituti *in vitam aeternam*, impii ad ſiniſtram conſtituti *in ignem aeternum*, Matth. XXV. 46. quidam expergiſcentur *ad vitam æternam*, quidam

dam *ad opprobrium & contemtum aeternum.* Dan. XII. 2. Atqui beatorum felicitas erit æterna æternitate non limitata ac determinata, diuturno temporis tractu circumscripta, sed absoluta & indeterminata. Ergo etiam damnatorum ignominia & miseria erit æterna æternitate non limitata, sed absoluta. Gregorius lib. IV. dial. cap. 44. *Constat & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum; quia enim verum est, quod veritas promisit, falsum esse non potest, quod comminatus est.* 5) *Ex pœnitentiae remotione.* Damnati non amplius habebunt conversionis media, neque agent de peccatis suis pœnitentiam. Dolebunt, non quod Deum offenderint, sed quod bonis terrenis privati in barathrum infernale inciderint. Ergo etiam non patebit ipsis aditus ad Dei gratiam. Innocentius lib. III. de cont. mundi cap. 3. *Pœnitebunt ad pœnam, sed non convertentur ad veniam.* 6) Ex *ignis infernalis descriptione.* Psal. XI. 6. *Pluet Dominus super impios sulphur & ignem.* Esai. XXX. 33. *Torrens sulphuris.* XXXIV. 9. *Convertuntur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem.* Apoc. XIX. 20. *Stagnum ignis ardens sulphure.* XX. 10. *Stagnum sulphuris & ignis.* XXI. 8. *Stagnum ardens igne & sulphure.* At ignis, cui perpetuo suppetit torrens ac stagnum sulphuris, nunquam exstinguitur, sed perpetuum habet nutrimentum. 7) Ex *peccati turpitudine & confusione.* Peccatum committitur contra Deum, qui est bonum infinitum. Ergo etiam prometeretur infinitas pœnas. 8) Ex *voti frustratione.* Apoc. IX. 6. *Quaerent mortem, & non invenient*, hoc est, optabunt se in nihilum redigi, ut poenis illis tandem possint defungi, sed hoc votum erit fruſtraneum. 9) Ex *vinculorum iectione.* Damnati dicuntur *ligandi manibus & pedibus*, Matth. XXII. 13. quia in carcere infernali tenebuntur æternis vinculis constricti, ut ex eo nunquam possint eluctari. 10) Ex *daemonum adsociatione.* Damnati proiicientur in illum ignem, *qui diabolo & angelis eius paratus est*, Matth. XXV. 41. Atqui ignis ille est æternus & nunquam desiturus, cum peccato diabolorum nullum paratum fuerit remedium. Ergo etiam damnatorum ignis est æternus.

§. LIX. c) Hanc pœnarum infernalium æternitatem emphaticis verbis describunt pii veteres. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 47. *Quibuscunque dixerit Dominus: discedite a me maledicti in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati.* Tertullianus de iudic. Dom. cap. 9.

Æternae Deus ossa iubet descendere pœnae,
Ibi sub ardorem rabidae sine fine gehennae.

Cyprianus in lib. ad Demetrianum: *Cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit, unde habere tormenta vel requiem aliquando possint vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem. Erit tunc sine fructu pœnitentiae dolor pœnae, inanis ploratio, & efficax deprecatio.* Serm. de adscens. Christi: *Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumtibiles flammae nudum corpus adlambent &c. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes. Sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit ianua: frustra carentes oleo adclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium, semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sententia & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.* Cyrillus

rillus Hierosolymitanus catech. XVIII. *Si peccator est, accipiet corpus aeternum, quo sufferre possit poenas peccatorum, ut perpetuo in igne ardeat, ut nunquam dissolvatur.* Hieronymus in Esa. LXVI. *Diaboli & omnium impiorum credimus aeterna tormenta.* In comm. Thren. 1. *Qui semel illuc ingreditur, ulterius egredi non permittitur. Quod ipsa veritas in evangelio ostendit dicens:* Esto consentiens &c. non exibis inde, donec persolvas novissimum quadrantem. *Quemadmodum ibi intelligitur, ubi dictum est:* Oportet eum regnare, donec ponet omnes inimicos sub pedibus suis; *semper illum regnaturum, quoniam semper illi erunt inimici sub pedibus: ita & hic accipi potest dictum:* Non exibis, donec persolvas, *semper non exiturum esse, quia semper solvat novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas terrenorum peccatorum luit.* Chrysostomus epist. V. ad Theodor. lapsum: *Hic habent tam iucunda quam tristia finem, eumque celerrimum, illic seculis extenduntur utraque immortalibus &c. Qui peccaverunt, necesse est, ut immortalitatem induant, non tamen ad honorem sibi, verum ut continuum superfit viaticum illius supplicii, quod quam sit horrendum, oratio nequit explicare &c. Hic quidem non simul contingunt vehementia poenarum & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis illius corporis, non ferentis ea, immortalitate autem succedente solvitur haec pugna & magna potentia, nos in infinitum mala utraque possidebunt nec exessus ullus tormentorum perimet animam nostram, neque hos corpus poterit in illo tempore consumi cruciatibus, adflictum permanebit cum anima, nec finis ullus erit.* Augustinus in enchirid. ad laurent cap. 113. *Manebit sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, & omnibus erit communis, quamlibet homines de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur, sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum.* Lib. XXI. de civ. Dei c. 17. *Si sententia illa* (de liberatione damnatorum) *propterea bona & vera, quia misericors est, tanto erit melior & verior, quanto misericordior fuerit. Extendatur ergo ac profundatur fons huius misericordiae usque ad damnatos angelos saltem post multa atque prolixa quantumlibet secula liberandos. Cur usque ad universam manat naturam humanam, & cum ad angelicam ventum fuerit, mox aresc it? Non audent tamen se ulterius miserando porrigere, & ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire. Verum si aliquis audeat, vincit nempe istos, & tamen tanto invenitur errare deformius & contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius.* Cap. 24. circa medium: *Cum dictum fuerit a iudice mortuorum & vivorum:* Discedite a me maledicti in ignem aeternum *etc. nimiae praesumtionis est dicere, cuiquam eorum aeternum supplicium non futurum, quos Deus in supplicium ituros dixit aeternum, & per huius praesumtionis persuasionem facere, ut de ipsa quoque vita beatorum vel desperetur vel dubitetur aeterna.* In enchir. cap. 112. *Multi cruciatus damnatorum humano adfectu prosecuti sunt, dura mala molliendo, & in leniorum, sed falsam sententiam, flectendo. At exterminandus est adfectus, qui divinae repugnat veritati. Vincat adfectum atque intellectum veritatis ac fidei vis.* Prosper lib. III. de vita contemp. cap. 12. *Cruciatus, dolor & gemitus torquent animas damnatorum, nec extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inexstinguibilis non exstinguit, ut permanente sentiendi vita poena permaneat, & ad dolendum magis quam ad vivendum aeternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis vivacibus immortalitas*

litas secundae mortis occidat &c. Proinde omnes, qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis pœnaliter vivant. Isidorus Clarius orat. XXII. extraordinaria tom. I. *Si mille annorum ultio intentaretur, deberent sane omnes exhorrescere. Nam qui in hac vita aliquot horarum spatio acerbius torquentur, miserrimi existimantur. At vero mille annis ignibus cruciandum quanto est acerbius, multo vero magis si decem aut centum millibus annorum haec pœna esset duratura. Quod tamen spatium brevissimum videretur & tanquam momentum, si dictum prius esset tot annorum millibus esse in igne commorandum, quod arenae minutula grana in hoc templo concluderentur. Rursus hoc etiam tantum spatium (quae enim secula arenam illam exhaurirent, si millesimo quoque anno duntaxat granulum unum auferretur) pro nihilo putaretur, si in hanc pœnam ea commutaretur, qua reverentur in ignem damnati tot annorum millibus in eo esse, quantus arenae numerus toto hoc, quod inter caelum & terram interiacet spatio, comprehendi posset. Et tamen contemplatione aeternitatis (heu horrendam rerum faciem) hoc etiam tam pene infinitum tempus prore gratissima optaretur, & centies ac millies etiam repetitum, modo finis aliquis tandem inciperet adparere. Nam fine ullo unquam fine quempiam torquendum esse, hoc vero ultra omnes desperationis terminos fertur; quid enim gravius quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? In aeternum peccator non adsequetur, quod vult, & quod non vult, nihilominus in aeternum cogetur pati.* Cassiodorus in Psalm. 20. *Istam sententiam: ite in ignem aeternum, damnati consequuntur, ut perpetua flamma devorentur. Nam iussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox ut discernit, impletum est. Iste tamen ignis sic absumit, ut servet; sic servat, ut cruciet, dabiturque miseris vita mortalis, ut mors sevatrix.* Lib. de anim. cap. 19. *Quae erit calamitas miseris in aeternum cruciari, nunquam desitere? ita enim perpetuae pœnae tradentur, ut infauste semper existere comprobentur. Dolor sine fine, pœna sine requie, adflictio sine spe, malum incommutabile. Sic enim varietas vitiosa punitur, ut eius damnatio nullatenus immutetur.* Gregorius lib. IX. moral. cap. 39. *Supplicia inferni in se demersos & ultra vires cruciant, & in eis vitae subsidium exstinguendo servant, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sinetermino cruciatus vivat, qui & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit.* Lib. XV. moral. cap. 11. *Damnatus non consumitur in morte, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur, sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur, ut cuius vita hic mortua fuit in culpa, illic eius mors vivat in pœna. Cruciatur, & non exstinguitur; moritur & vivit; deficit, & subsistit; finitur semper, & sine fine est. Haec solo auditu valde terribilia sunt, quanto magis passione.* In comm. 1. Reg. II. *In inferno nulla inveniri poterunt consilia salutis.* Ambrosius Ansbertus lib. VI. in Apoc. 14. *Fumus indicium dat futurarum flammarum, & quia quamvis sine nutrimento lignorum corporeus tamen manet ignis reproborum, ideo fumum eius sempiternum dicit esse, quia inquam sine fine reprobos ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in secula seculorum adscendere dicit, quae magis timore indigent quam expositione &c. Quos semel pœna in tartarum pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit.* Idiota de

innoc. perdit. cap. 6. *Damnatis nulla amplius erit via misericordiae, sed in igne aeterno ardebunt.* Rabanus lib. V. in Eccles. 1. *Postquam homo sine pœnitentiae remedio exierit, & illic iusto Dei iudicio condemnatus fuerit, sine fine ardebit.* Theophilactus in comm. Matth. 25. *Sicut sancti inestimabile habent gaudium, ita iniusti indefinentem pœnam, dicuntur enim ituri in supplicium aeternum, hoc est, nunquam finiendum.* Bernhardus in lib. meditation. cap. 3. col. 1193. *Procul a beata paradisi patria exsulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi. Ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservat: sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Ardebunt miseri in igne aeterno in aeternum & ultra, sic morientur, ut semper vivant; & sic vivent, ut semper moriantur.* Serm. de convers. ad clericos cap. 5. *Peccati ipsius & carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, ut quemadmodum culpa semper puniri poterit, nec unquam poterit expiari: sic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipsum valeat in tormentis exinaniri. Merito quidem ultio sempiterna defaeviet, quod nunquam possit culpa deleri, & nec substantia carnis deficiet, nec simul cogetur etiam adflictio carnis terminari.* Hincmarus Remensis in epist. ad Hincmarum Lundunensem cap. 54. *Animam immortaliter morientem reatus involvet, & indeficienter non deficientem carnem gehenna consumet.* Petrus Blesensis epist. LXI. *Tota hominis miseri substantia devorabitur inextinguibilibus flammis, nec erit supplicíorum modus vel intermissio sive finis. Nam finis ibi semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, ut damnati hominis conditio semper doloris materiam & mortis aeternae pabulum recidivet.*

§. LX. Quæritur circa *aeternitatem* infernalium suppliciorum: 1) *An conveniat divinae iustitiae ac misericordiae peccata temporalia aeternis pœnis adfligi?* Respondent pii veteres unanimi suffragio adfirmate, rationibus ex scriptura productis huiusmodi: 1) Peccatum committitur contra infinitum bonum, videlicet Deum, ergo etiam promeretur infinitam pœnam, videlicet æternam. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 12. in princ. *Pœna aeterna ideo dura & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit.* Taulerus in homil. *Cum damnati adversus bonum infinitum, quod Deus est, peccaverint, iure quoque divino malum pœnae debetur eis infinitum.* Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis art. 36. *Qui miratur, quod Deus naturaliter bonus & pius tam dire ac aeternaliter punit ac vindicat peccatum breve celeriter factum, & finitum diligenter consideret, quam summa & infinita & incomparabiliter magna & excellens sit digna & auctoritas, sapientia & iustitia, beneficentia, bonitas atque dignatio Dei, sicque intelliget enormitatem peccati, & sciet, quod Deus iustissime perpetuam exercet ultionem pro culpis, imo quod etiam citra condignum puniat peccatores in inferno, hoc est, minus quam meruerunt. Insuper sicut terribilitas ac districtio divini iudicii tanto erunt maiores, quo maior est sapientia, iustitia, auctoritas, bonitas, liberali-*

Quaestiones de aeternitate infernalium pœnarum: 1) An conveniat divinae iustitiae & misericordiae peccata temporalia aeternis pœnis adfligi?

litas & misericordia Dei in vita praesente; sic utique tanto intensior ac intolerabilior est pœna inferni & ultio Dei, quo dignior, excellentior, sapientior, iustior, melior ac munificentior est, Deus, quem offendunt iniqui. 2) Per peccatum homo amittit æternum & infinitum bonum, ideo etiam per illud incidit in malum æternum. Per quodvis peccatum mortale contra conscientiam commissum amittitur Dei gratia, Spiritus sanctus inhabitatio & vita æterna, hæc vero omnia sunt bona inæstimabilia & æterna; ergo etiam homo per peccatum iuste incidit in supplicia inæstimabilia & æterna. *Christi meritum* est infiniti valoris ac pretii, illud sua incredulitate repudiarunt damnati, ideo ob infiniti boni amissionem æternas & infinitas pœnas merito sentiunt. Taulerus in homil. *Cum damnati aeternam repudiaverint dulcedinem, iusti ad aeternam devolvuntur amaritudinem.* 3) Homo semper peccavit in suo aeterno, iustum igitur est, ut etiam semper puniatur in Dei æterno. Gregorius lib. XXXIV. moral. cap. 16. ac lib. IV. dialogor. cap. 44. ad quæstionem, *quomodo iustum sit, ut culpa, quae cum fine perpetrata est, fine fine puniatur?* sic respondet: *Hoc recte diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent fine fine vivere, ut potuissent fine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hoc vita nunquam valuerunt carere peccato.* Bernhardus epist. CCLIII. ad Guarinum: *Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatae mentis puniter aeternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam morerentur, nunquam velle peccare desinere, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset.* Taulerus in hom. *Quia diabolo morem gesserunt in vitiis, ut eidem etiam in pœnis subditi sint, aequissimum plane est: sic & quandoquidem semper, si potuissent, optassent vivere, & perseverare in peccatis, in eaque voluntate mortui sunt, velint nolint, semper quoque in pœnis durare cogentur.* 4) Hominis morientis voluntas confirmatur in eo statu, in quo moritur, sicut diaboli a Deo apostatantis voluntas statim fuit confirmata in illo malo. Albertus in comm. Matth. 7. *Cum aliquis in causa finalis impœnitentiae in in peccato moritur, voluntas eius in malo obstinatur, & in aeternum propter hoc insuscepibilis efficitur, & ideo nunquam ab eo peccatum aliquod solvitur, & cum pœna peccatorum inaequatur, consequens est, ut in aeternum puniatur.* 5) Materia ignis infernalis peccati scilicet macula est æterna, ideo quoque pœnam oportet esse æternam. Comp. theol. veritat. lib. VII. cap. 21. *Ignis infernalis non erit purgatorius sed punitorius, ideo maculam peccati non abstergit, sed aduret.* Debita peccatorum sunt æterna, quia damnati illa non possunt persolvere, ergo etiam carcer & supplicia manent æterna. Si in hac vita tempus solutioni constitutum præterlapsum fit postmodum debitum insolubile. Thomas I. 2. quæst. 87. art. 5. *Æternitas pœnae respondet irremissibilitati culpae. At culpa damnatorum irremissibilis. Ergo etiam pœna eorum est interminabilis.* 6) Nulla erit in damnatis vera & seria pœnitentia, ergo nec in illis locum habebit peccatorum venia. Gregorius Nazianzenus orat. XV. quæ est in plagam grandinis: *Quemadmodum qui Dei memor hic est, morte superior est: ita*

ita his, qui e vita exceſſerint, non eſt in inferno confeſſio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam & actionem, illic rerum geſtarum cenſuram concluſit. Ephremus ſerm. de extrem. iudic. cap. 4. *Non eſt in inferno confeſſio, non gemitus, non lacrimae, quae iuditis avertant ſententiam. Non eſt dilatio ulla temporis ad agendam pœnitentiam, non regreſſio poſt exitum ad vitam, ſed omnia dura, aſpera & amara.* Paulinus, epiſcopus Nolan. de damnatis ſic canit:

Nulla illis ſupereſt ſpes, quia nulla fides.

7) Error τῦ λογιςικῦ in damnatis in hac vita fuit infinitus, quia finitum bonum in iudicando antetulerunt bono infinito. Error τῦ ἐπιθυμητικῦ in adpetendo, ac θυμικῦ in adhærendo itidem infinitus fuit, quia maluerunt inordinato amore adpetere bonum finitum quam infinitum, & adhærere bono temporali magis deſiderarunt quam æterno. Iuſte ergo errorem infinitum ſequitur pœna infinita. 8) Gaudia beatorum erunt æterna, ergo etiam ſupplicia damnatorum oportet eſſe æterna. Ratio *connexionis* eſt, quia Deus æque iuſtus eſt ac miſericors. Sirac. V. 6. *Sicut miſericordia eius erga pios eſt infinita & aeterna, ſic etiam ira eius erga impios eſt infinita & aeterna.* Gregorius lib. IV. dial. cap. 49 *Sicut finis non eſt gaudio bonorum; ita finis non erit tormento malorum.* 9) Peccatum ſeparat a vita æterna, ergo etiam mortem adducit ſempiternam. 10) Ne quidem in humanis delicti qualitas & atrocitas ex mora temporis, in quo commiſſum eſt, æſtimatur. Auguſtinus lib. XXI. de civitat. Dei cap. 11. *Quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo ſcilicet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur aeterna, quaſi ullius id unquam iuſtitia legis attendat, ut tanta mora temporis, quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admiſit. Octo genera pœnarum in legibus eſſe, ſcribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exſilium, mortem, ſervitutem. Quid horum eſt, quod in breve tempus pro cuiuſque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, niſi forte talio? &c. Numquid tamdiu quisque iudicandus eſt eſſe debere in vinculis, quamdiu fecit, unde meruit adligari, cum iuſtiſſime annoſas pœnas ſervus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrime tranſeunte vel laceſſivit dominum, vel plagavit? Iam vero damnum ignominia, exſilium & ſervitus cum plerumque ſic infligantur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro huius vitae modulo ſimilia pœnis videntur eſſe aeternis? Ideo quippe aeterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quae his plectitur, porrigitur in aeternum, & tamen peccata, quae vindicantur longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo tempore perpetrantur, nec quisquam exſtitit, qui cenſuerit tam cito nocentium finienda eſſe tormenta, quam cito factum eſt vel homicidium, vel adulterium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum &c.* 11) Gregorius lib. IV. dial. cap. 44. etiam hanc addit cauſam, quod Dei benignitas erga electos ex æternis damnatorum ſupplicis magis commendabitur. *Iniqui*, inquit, *omnes aeterno ſupplicio deputati ſua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, ſcilicet ut iuſti omnes & in Deo videant gaudia, quae percipiunt, & in illis reſpiciant ſupplicia, quae evaſerunt, quatenus tanto magis in aeternum gratiae divinae debitores ſe eſſe cognoſcant, quanto*

to in aeternum mala punire conspiciunt, quae eius adiutorio vicerunt. Quod ergo Augustinus in enarr. Psalm LXX. & ex eo Strabus in glossa ordinaria eiusdem Psalmi scribunt, *Deum plus exigere in poenis, quam commissum sit in culpis*, id intelligendum non de excessu poenae ad culpam *in intensione & gravitate supplicii*, sed *secundum temporis durationem*, quia pro delectatione momentanea infligitur poena aeterna, statutum namque est, *ut duratio poenae non proportionetur durationi culpae, sed ut intensio poenae respondeat enormitati culpae.* Thomas lib. IV. sent. dist. 46. q. 2. art. 2.

§. LXI.

II) *Quomodo corpora damnatorum in igne ferventur?*

II) *Quomodo damnatorum corpora in ignis infernalis flammis possint conservari, ne consumantur & in cinerem redigantur?* Resp. 1) fiet hoc per divinam potentiam, quae corpora illa simul *passibilia* & *immortalia* faciet: passibilia quidem, ut sentiant poenarum infernalium atrocitatem; immortalia vero, ut earumdem experiantur aeternitatem. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 5. *In multis quidem rebus incertum est, quid Deus velit, illud tamen certissimum est, nihil eorum illi esse impossibile, quaecunque voluerit, eique nos credere praedicenti, quem neque impotentem neque mentientem possumus credere.* Cap. 7. *Cur facere non possit Deus, ut & refurgant corpora mortuorum & igne aeterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in caelo, in terra, in aëre, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio maius & excellentius etiam ipse mundus miraculum.* 2) Ignis infernalis alterius naturae & qualitatis erit, quam diaconicus, ut enim nunquam extinguitur, sed semper ardet, ita quoque damnatorum corpora non exstinguet, sed cruciatibus aeternis reservabit. 3) Quomodo duae illae dispositiones *immortalitas & passibilitas* in damnatorum corporibus sese compatiantur, a posteriori declarat Guilielmus Alvernus partis primae de universo, parte secunda cap. 30. hoc modo: *perpetuitas poenarum in damnatis necessario adserenda, quoniam aliter non esset satisfactum iustitiae creatoris, nisi qui hic fuere incorrigibiles, perpetuo torquerentur in vita futura. Perpetuitas autem poenarum non potest esse in subiecto mortali, praesertim in ea magnitudine & vehementia, qua futurae sunt, in quibus eas sustinere non possent ullo modorum corpora, quae non essent immortalitate firmata. Si vero passibilia non essent, nullae essent poenae corporales, nulli dolores &c. Constat autem multos homines in medio ignium per bonitatem creatoris illaesos fuisse servatos, & tam a laesione corporum suorum quam ab omni dolore tam corporali quam spirituali liberatos. Quia igitur non est maius creatori ab altero duorum salvare vel liberare, quam ab ambobus simul, quae est admiratio aut incredulitas stultorum de hoc, quod salvatis corporibus in medio futurorum ignium & illaesis per omnia in ipsis per ignem huiusmodi animae sint torquendae. Facilius enim in se est, non dico quantum ad omnipotentiam creatoris, sola corpora sic servare, quam animas & corpora simul. Quod si quis dixerit, quia ignes illi infernales incomparabiliter fortiores sunt ignibus huius seculi, verum utique dicit; sed ipsa corpora damnatorum erunt incomparabiliter fortiora ad sustinendum ignes huiusmodi, quam nostra sunt hic ad sustinendum ignem seculi praesentis, quamquam omnipotentiae creatoris non sit ullo modorum difficile praesentis fragilitatis & infirmitatis corpora ignibus illis futuris servare illaesa.* 4) Pii veteres aliquot similitudinibus illud ipsum decla-

declarant: a) a *fulminibus* corpora tangentibus non absumentibus. Minutius Felix in dial. qui inscribitur Octavius: *illic sapiens ignis membra urit & reficit; carpit & nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt.* b) A *montibus ignivomis.* Tertullianus in apologet. cap. 48. pag. 80. *Ignis infernalis non absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat, adeo manent montes semper ardentes, & qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo iam igni detinereſcat, & hoc erit testimonium ignis aeterni: hoc exemplum iugis iudicii pœnam nutrientis. Montes uruntur & durant, quid nocentes & Dei hostes?* Lib. de pœnit. cap. 12. p. 118. *Quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola quaedam eius tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut iam nullae exstent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœtu. Et quod nobis iudicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis haec supplicia interim montium non iudicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicuius & inaestimabilis foci missilia quaedam & excitatoria iacula consentiet?* Minutius Felix d. l. *Sicut ignes Ætnae montis & Vesuvii montis & ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur; ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Pacianus in paraeneſi ad pœnitentiam: *vim ignis infernalis & de praesentibus aestimate, cuius fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Æstuant indefessis flammarum globis, Ætna & Lisaniculus & Vesuvius Campanus, & quo nobis iudicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur, nec ullis tamen seculis finiuntur.* Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 4. *Quidam notissimi Siciliae montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetustate usque nunc & deinceps flammis aestuant, atque integri perseverant, satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi;* in quem locum Vives sic commentatur: *montes multis in locis ardent, ut Ætna in Sicilia & in Hiera, quae olim Therasia prope Siciliam Vulcano sacra, in qua est collis nocturnas evomens flammas, tum etiam Æonocauma in Æthiopia, Vesuvius in Campania & Lycia Chimaera & trans Herculis columnas quaedam nocturnis incendiis conspicua, quaedam diurnis, alii ardentium faciem ostendunt, ut iuxta Pygmaeos, & prope Syharitas in Africa.* c) A *fontibus sulphureis non deficientibus.* Pacianus d. l. *Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis aeternus. Attendite, si non creditis, aquarum impetus, qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur.* d) Ab *animalibus in igne viventibus.* Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 2. *Sunt animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quae tamen in mediis ignibus vivunt, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperitur, quarum fervorem impune nemo contrectat, illi autem non solum sine ulla sui laesione ibi sunt, sed extra esse non possunt &c. Si dicant haec animalia nec semper vivere, & in illis fervoribus sine doloribus vivere, suae quippe naturae convenientibus vegetari, illis non cruciari elementis, respondetur, incredibilius esse vegetari, quam non cruciari talibus rebus. Mirabile est enim dolore in ignibus, & tamen vivere, sed mirabilius vivere in ignibus. Si autem hoc creditur, cur non & illud?* Cap. 4. *Salamandra in ignibus vivit.* e) Ab *anima in corporis doloribus & morbis superstite.* Chrysostomus epist. V. ad Theodor. Lapsum: *Si quis forte dubitat, quo pacto satis esse ac aeternum durare immortalis queat anima, confecta tanta vi pœnarum, is cognoscat, quae hic fiunt, quomodo non raro multi ad*

morbum

morbum non minus atrem quam diuturnum fuffecerint, nec anima diſſoluta eſt, ſed corpus eſt conſtrictum ac depreſſum anima adflicti remanente in negotio non aliter atque ſi corpori non foret indita. Quare poſtquam incorruptibile corpus inſolubileque acceperit, nihil prohibet in infinitum protendi ſupplicium. Auguſtinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 3. *Etſi quaerimus, utrum ſemper poſſit vivere, quod dolet, certum tamen eſt, vivere omne, quod dolet, doloremque omnem niſi in re vivente eſſe non poſſe. Neceſſe eſt ergo, ut vivat dolens, non eſt neceſſe, ut occidat dolor, quia nec corpora iſta mortalia, & utique moritura omnis dolor occidit. Ut autem dolor aliquis poſſit occidere, illa cauſa eſt, quoniam ſic eſt anima connexa huic corpori, ut ſummis doloribus cedat atque diſcedat, quoniam & ipſa compago membrorum atque vitalium ſic infirma eſt, ut eam vim, quae magnum vel ſummum dolorem facit, non queat ſuſtinere. Tunc autem tali corpori anima & eo connectetur modo, ut illud vinculum, ſicut nulla temporis longitudine ſolvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam ſi caro nunc talis nulla eſt, quae ſenſum doloris perpeti poſſit, mortemque non poſſit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non eſt, ſicut talis erit & mors, qualis nunc non eſt &c. Attendunt iſti contradictores nullam eſſe nunc carnem, quae dolorem pati poſſit, mortemque non poſſit, & non attendunt eſſe tamen aliquid tale, quod corpore maius ſit. Ipſe quippe animus, cuius praeſentia corpus vivit & regitur, & dolorem pati poteſt, & mori non poteſt. Ecce inventa res eſt, quae cum ſenſum doloris habeat, immortalis eſt, hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc eſſe ſcimus in animis omnium &c. Si ergo a dolore argumentum recte ſumeretur ad mortem, ut ideo mors poſſit accidere, quia potuit accidere & dolor, magis ad animam pertineret mori, ad quam magis pertinet & dolere. Cum vero illa, quae magis dolere poteſt, non poſſit mori, quid momenti adfert, cur illa corpora, quoniam futura ſunt in doloribus, etiam moritura credamus?* Confer cap. 4. 5. 6 & 7. in quibus multa naturae miracula commemorat, quorum ſufficiens ratio alia reddi non poteſt niſi voluntas omnipotens creatoris. *Habebit* (inquit cap. 4.) *tunc iſta carnis ſubſtantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras & varias tot rebus indidit, quas videmus, ut eas, quia multae ſunt, non miremur. Quis enim niſi Deus creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putreſceret (cum tamen computruerit caro Platonis.) Quis paleae dedit vel tam frigidam vim, ut obrutas nives ſervet, vel tam fervidam, ut poma immatura maturet? De ipſo igne mira quis explicet, quo quaeque aduſta nigreſcunt, cum ipſe ſit lucidus, & pene omnia, quae ambit & lambit, colore pulcerrimo decolorat, atque ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit? &c.* Similia miranda de carbonibus, calce viva, adamante & magnete ibidem recenſet. Cap. 5. *Agrigentinum Siciliae ſalem perhibent, cum fuerit admotus igni, velut in aqua flueſcere, cum vero aquae, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quemdam fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur, tam fervidum noctibus, ut non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces ut in caeteris exſtinguuntur accenſae, ſed non ut in caeteris, accenduntur exſtinctae. As beſton Arcadiae lapidem propterea ſic vocari, quod accenſus ſemel iam non poſſit exſtingui. Lignum cuiusdam ficus Ægyptiae non ut ligna caetera in aquis natare, ſed mergi, & quod eſt mirabilius, cum in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquae ſuperficiem rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere praegravari. Poma in terra Sodomorum gigni*

quidem & ad maturitatis faciem pervenire, sed morsu pressuve tentata in fumum ac favillam corio fatiscente vanescere. Pyriten lapidem Persicum tenentis manum, si vehementius prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna crescere atque deficere. In Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque fœtus non amplius triennio vivere. Tilon Indiae insulam eo praeferri caeteris, quod omnis arbor, quae in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. Auctores, ex quibus Augustinus hæc adducit, nominat Ludovicus Vives in commentario. Tandem concludit: *quis eorum nobis crederet, si quemadmodum dicimus futura hominum viva corpora, quae semper arsura atque dolitura, neque tamen aliquando moritura sint, ita diceremus in futuro seculo futurum salem, quem faceret ignis velut in aqua fluescere, eumdemque faceret aqua velut in igne crepitare &c. Per hoc cum in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis & sermonis humani, sicut ista non ideo non sunt, sic non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de utrisque ab homine non potest reddi.*

Antithesis eorum, qui negant infernalium pœnarum aeternitatem.

§. LXII. *Antithesis.* Æternitatem infernalium pœnarum negavit: 1) *Origenes*, qui homil. VIII. in Iosuam sic commentatur: *est in hoc etiam resurrectionis futurae mysterium, iam enim tunc ultra omnino non erit diabolus, quia iam non erit mors, de diabolo enim loquens apostolus ait: novissimus inimicus destruetur mors.* Et postea explicans illa verba: *incendit Iosua Hai & facta est urbs, quae non habitetur in aeternum. Vides quia haec, quae consequuntur, magis ad mysterii quam historiae veritatem pertinent, non enim tam ille locus terrae inhabitabilis est in aeternum, quam locus daemonum inhabitabilis erit, tum cum iam nemo peccabit neque regnabit in aliquo peccatum, cum diabolus & angeli eius igni tradentur aeterno: dicente Christo his, qui vicerunt, venite benedicti; aliis autem: ite in ignem aeternum, donec omni animae quibus ipse novit, remediis consulat, & omnis Israel salvus fiat.* Lib. I. περι αρχων cap. 6. de spiritibus impiis sic scribit: *hi vero, qui de statu primae beatitudinis modi quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, sanctis beatisque ordinibus subiecti sunt ad regendum, quorum adiutorio usi & institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati redire ac restitui ad statum beatitudinis possunt.* Hom. XVIII. in Ioh. *Si quis blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, nec in futuro, non tamen, si in futuro seculo non remittetur, ergo neque in futuris seculis non remittetur.* Tribuunt hunc errorem Origeni Theophilus Alexandrinus lib. II. Epiphanius in epistola ad Iohan. Hierosolymitanum, Athanasius lib. de communi deitatis essentia. Hieronymus in epist. ad Avitum in comm. Ionæ III. & in comment. epist. ad Ephes. Augustinus in libro de hæresib. cap. 43. *Quis catholicus Christianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum, hoc est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus finierunt, ipsum etiam diabolum atque angelos eius, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, & rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad haec mala denuo relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturae semper fuisse, semper fore.* Et lib. XXI. de civit. Dei cap. 17. ubi inter cætera sic scri-

scribit: *Origenes etiam ipsum diabolum atque angelos eius post graviora pro meritis & diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis angelis credidit. Sed illum & propter hoc & propter alia nonnulla & maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines & miserias, & statutis seculorum intervallis ab istis ad illas atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles non immerito reprobavit ecclesia.* Gregorius lib. IX. moral. cap. 45. & 46. lib. XXXIV. cap. 12. & 13. Theodoretus de hæres. in cap. de Origenistis, Haymo in comm. Esai. XXIV. &c. Sed multi existimant, Origenem potius contrarium statuisse, ac priores sententias ab iniquis eius æmulis scriptis ipsius fuisse insertas, in multis enim locis æternitatem pœnarum infernalium diserte videtur adstruere. Hom. XIV. in Lev. *Ubi quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœnaque diluitur & transit, cum ipso est etiam post mortem, & quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit aeterna supplicia &c. Ubi non est soluta vindicta, peccatum manet illis aeternis ignibus exigendum.* Homil. XVIII. in Num. *Si anima non habeat virtutes, non veniet caro neque anima ad haereditatem, sed solum ad iudicium illius, qui potest animam & corpus perdere in gehenna.* In expos. Psalm XXXVII. hortatur peccatorem, *ut in hoc seculo se praeparet ad flagella, ne ignibus aeternis reservetur.* Homil. I. in Ezech. exponens illud: *restituetur Sodoma*; per Sodomam intelligens peccantem amantem, culpat aliquos ex Hebræis asserentes, *Sodomam aliquando restitui.* In explic. Rom. XI. *Isius, qui de cælo cecidisse dicitur, nec in fine seculi ulla erit conversio &c.* Plura huius modi ex Origene collegerunt Iacobus Merlinus in apolog. pro Origene, & Sixtus Senensis lib. V. bibliothec. adnot. 141. p. 377.

§. LXIII. 2) Origenis errori notante Erasmo in adnotat. ad lib. I. Origenis περι αρχων videtur subscribisse Ambrosius in expositione epist. ad Ephes. III. ubi inter reliqua sic scribit: *Tantum de hoc* (Paulo) *bene sensit Deus, ut non solum gentibus hunc magistrum daret, verum etiam ut per eum veritas Christi innotesceat spiritibus in cœlestibus, qui sunt principes & potestates &c. ut agnoscentes per ecclesiam, quae multifarie ad vitam attracta est, in Christo unius Dei filio manere mysterium, desinant ab errore. Id enim agitur, ut praedicatio ecclesiastica etiam his proficiat, & deserant adsensum tyrannidis diaboli, qua se adversus unius Dei fidem impia praesumtione armavit &c. Dicitur his principibus, qui in errore sunt in cœlestibus, sive ministris eius in terris, ut auferant portas principis sui, hoc est, diaboli, de mentibus suis, per quas multorum adserendorum error intravit &c.* Sed commentarios illos falso attribui Ambrosio, multorum constans est sententia. 3) Eumdem errorem Hieronymo tribuunt Russinus lib. I. invectiv. in Hieronymum, & Stanislaus Pannonius Anabaptista; sed Hieronymus multis in locis contrarium adserit, utpote lib. I. contra Pelagian. in epist. ad Pammach. de errorib. Ioh. Hierosolym. in comm. Esai. LXVI. in comm. Matth. XXV. apolog. II. cont. Russinum &c. Quæ vero Russinus ex commentariis Hieronymi in epist. ad Ephes. adducit, in quibus Origenico huic errori videtur favere, illa sunt dicta in *persona Origenis*, ut docet ipse Hieronymus de simil. errorib. in apol. I. cont. Russin. interim negari nequit, Hieronymum dubitanter scribere in comm. Esa. XXIV. circa finem: *sciendum, quod iudicium Dei non possit scire humana fragilitas, nec de pœnarum magnitudine atque mensura ferre*

sententiam, quae Domini arbitrio derelicta est. Caute etiam accipiendum & explicandum, quod in comm Esai. LXVI. scribit: *Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiae sententiam iudicis.* Itemque lib. I. cont. Pelagian. *Diabolum & satellites eius omnesque impios dicimus perire perpetuo, Christianos vero, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas.* 4) Quidam doctores *misericordes* dicti, contra quos disputat Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 17. *Nunc*, inquit, *cum misericordibus nostris agendum esse video, & pacifice disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos iustissimus iudex dignos gehennae supplicio iudicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere poenam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cuiusque peccati quantitate longioris sive brevioris eos inde existimant liberandos.* Illorum opinio ab Origenica in eo discrepans fuit, quod non *diabolis*, sed *damnatis* duntaxat *hominibus* hanc spem liberationis fecerunt. Hi tamen ipsi in varia opinionum abierunt divortia, quidam enim *omnium omnino hominum* poenas post hanc vitam dicebant esse temporales & purgatorias, nequaquam vero aeternas. Quidam id sentiebant solum *de omnibus Christianis*, sive haeretici essent sive catholici. Quidam id statuebant de illis solis & omnibus, qui aliquando fuissent catholici. Contra quos singulos disputat Augustinus dict. l. cap. 18. 19. 20. & 25. lib. de fid. & operib. cap. 14. 15. & 16. 5) *Anabaptistae* superiori seculo docere coeperunt, *omnes damnatos atque ipsos etiam diabolos tandem salvandos esse, & poenis seu cruciatibus ipsorum, quos peccatis suis promeriti sunt, finem aliquando impositum iri.* Augustana confessio artic. XVII. Bullingerus lib. II. contra Anabapt. cap. 15. Vide dictum librum Stanislai Pannonii Anabaptistae pro stabiliendo Origenis errore scriptum sub titulo de divina philantropia. Wigandus in lib. de Anabapt. meminit cuiusdam Ioh. Denckii Anabaptistae, qui libro in publicum edito hunc errorem propugnarit. 6) *Libertinorum* quidam Dei misericordiam omnibus omnino hominibus, adeoque daemonibus post iudicium pollicentur. Lindanus in dubitantio. 7) *Photiniani* videntur statuere, impios vel non resuscitandos, vel post resurrectionem ac iudicium statim in nihilum redigendos, quo de errore in tract. de morte plenius dictum. 8) *Pontificii* quorumdam ex inferno liberationem adserere non verentur, qua ratione aeternitatem suppliciorum infernalium ex parte & indirecte negant. Damascenus in serm. de mortuis refert, *Teclam protomartyrem in terris adhuc viventem in precibus suis ab inferis eripuisse Falconillam foeminam, quae toto vitae tempore fuerat idolorum cultrix & a Christi religione aliena.* Profert etiam ex historia Palladii Macarium magnum adsidue pro mortuis deprecantem, cui anxie perquirenti, *an orationes suae defunctis prodessent*, cranium quoddam aridum hominis idololatrae, quod forte in via iacebat, divino iussu in vocem prorumpens respondit: *Quando o Macari pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.* Addit etiam inter alia exempla Gregorii Romani pontificis factum, qui cum enixe Deum precaretur pro salute Traiani imperatoris ethnici, annis ante sua tempora pene quingentis defuncti, audivit vocem divinitus adlatam

tam dicentem: *Preces tuas audivi, & veniam Traiano do, tu vero deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras.* In revelationibus Brigittæ, quas teste Possevino in adparatu sacro tom. I. lit. S. Iohannes de Turrecremata, cardinalis, aliique viri docti ante plures quam ducentos annos publica auctoritate diligenti examine præmisso adprobarunt ac evulgarunt, lib. IV. cap. 13. idem de Gregorio adfirmatur: *Bonus Gregorius oratione sua etiam infidelem caesarem elevavit ad altiorem gradum.* Quamvis vero Melchior Canus lib. XI. locor. c. 1. Dominicus a Soto lib. IV. sent. dist. 45. q. 2. art. 2. Baronius in annalibus circa tempora Traiani, Blasius de Viega in comm. Apoc. VI. comment. III. sect. 3. Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 8. & Becanus in adpend. tract. de purgat. Calvinist. cap. 8. num. 14. pag. 138. fabulam illam de Traiano ex inferis per preces Gregorii liberato fide dignam esse recte negent, notandum tamen a) quod nullus papa in hodiernum usque diem eam damnaverit, aut librum Damasceni vel Brigittæ, in quo ea confirmatur, in censum prohibitorum librorum retulerit. b) Quod Alphonsus Ciaconus, monachus Dominicanus, permissu & auctoritate papæ apologiam pro historia Traiani ediderit, in qua adducit rationes & testes complures, utpote Petrum & Iohannem, Gregorii diaconos, ἀνώνυμον auctorem, qui scripsit vitam Gregorii, Damascenum, Iohannem diaconum, Thomam, Brigittam, Mechtildem &c. Eamdem historiam defendit Andradius Payva. c) Quod Bellarminus d. l. titubanter incedat. *Si haec historia*, inquit, *defendi debeat, oportet dicere, Traianum non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum in inferno, secundum praesentia eius demerita, & suspensam sententiam propter praevisas Gregorii preces: & praeterea non immediate ex inferno ad caelum transisse, sed prius corpori unitum, & tunc baptizatum, & pœnitentiam in hac vita egisse.* d) Quod in eodem cap. Bellarminus adserat, *ex inferno animas redire, & hominibus in terra viventibus adparere. Quod animae ex inferno adparuerint*, (inquit) *multis exemplis probat auctor librorum de proprietatibus apum, & idem adparet ex illo adparitione doctoris Parisiensis in vita s. Brunonis, qui post triduum a morte dixit se condemnatum.* Et postea: *Quod animae ex inferno damnatorum revocari possent ad vitam, videretur incredibile, nisi exstarent exempla, quae negari non possunt. Nam Gregorius lib. I. dial. cap. 12. scribit a s. Severo excitatum fuisse quemdam virum pessimum, qui a daemonibus in infernum deducebatur. Egesippus scribit lib. III. cap. 2. b. Petrum excitasse adfinem quemdam caesaris ethnicum a morte &c.* Eamdem fabulam doctoris Parisiensis adprobat Becanus d. l. e) Quod pontificii omnes unanimi consensu statuant, in descensu Christi ad inferos limbum patrum, superius illud inferni conclave, fuisse penitus evacuatum, patriarcharum animabus in cœlum adductis, & ex purgatorio, cuius ignem eiusdem naturæ & speciei cum infernali igne statuunt, multa animarum millia per missas, eleemosynas, preces & suffragia viventium liberari.

§. LXIV. Sed huic erroneæ opinioni *praeponere & in perversum misericordium*, ut eos Augustinus adpellat, opponenda sunt, 1) *clarissima scripturae dicta*, quæ pœnarum infernalium æternitatem perspicue adserunt, quæ superius sunt enumerata. 2) Contra ea si excipere velint, *nomen aeternitatis accipi pro*

pro tempore longinquo & diuturno, non autem pro aeternitate absoluta, urgenda est antithesis. Matth. XXV. 46. *Ibunt iniusti in supplicium aeternum, pii vero in vitam aeternam.* Iam vero nemo dubitat, piorum gaudia fore absolute æterna. Augustinus lib. XXI de civit. Dei cap. 23. *Christus in uno eodemque loco, in una eademque sententia dixit, ibunt iniusti in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, dicere autem in hoc uno eodemque sensu vita aeterna fine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.* 3) Si distinguere velint inter *ignem aeternum* & *mansionem in igne aeterno*, urgenda sunt dicta scripturæ, in quibus impii dicuntur cruciandi *in saecula saeculorum, quibus verbis nihil scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis*, ut recte docet Augustinus d. l. Quinimo quo sensu dicuntur pii ituri *in vitam aeternam*, eodem sensu dicuntur impii ituri *in supplicium aeternum*, ut docet oppositio. Iam vero pii eo sensu dicuntur ituri in vitam æternam, quia in ea perpetuo sunt mansuri. Ergo etiam impii eo sensu dicuntur ituri in supplicium æternum, quia in illo perpetuo sunt mansuri. Observari etiam potest illud, quod notanter dicitur, *ignis eorum non exstinguetur, vermis eorum non morietur*, ergo non solum diabolos, sed etiam damnatos ignis ille in æternum cruciabit. 4) Opponendus huic errori unanimis veterum ecclesiæ doctorum consensus. Augustinus d. l. *Tot sancti & sacris veteribus ac novis literis eruditi mundationem & regni cælorum beatitudinem post qualiacunque & quantulacunque supplicia quibuscunque & quantiscunque angelis non inviderunt, sed potius viderunt divinam vacuari vel infirmari non posse sententiam, quam se Dominus praenuntiavit in iudicio prolaturum: discedite &c.* Haymo in comm. Esai. XXIV. *Origenis sententiam de liberatione damnatorum nemo sanctorum patrum corroborat, sed omnes denegant, habentes illam sententiam Domini ante oculos: ibunt impii in aeternum supplicium. Quidquid aeternum est, sine termino est.* 5) In synodo oecumenica quinta anno 552. celebrata, damnata est Origenica illa opinio, sic enim habet articulus IX. illius synodi: *Si quis dicit aut sentit, temporanea esse daemonum & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, sive restitutionem daemonum aut impiorum hominum futuram, anathema sit. Anathema sit Origenes, una cum eius detestandis & exsecrandis dogmatibus, & homine omni, qui haec sentit & adserit, aut aliqua ex parte quocunque prorsus tempore ea defendere audet.* Nicephorus lib. XVII. histor. eccles. cap. 28. 6) Pontificiis quorundam impiorum ex inferno liberationem adserentibus illud considerandum proponimus, quod sacræ literæ ne ipsius quidem Christi meritum eo extendant, ut si quis in finali impœnitentia decedat, præsertim hostis Christiani nominis, & effusor Christiani sanguinis, qualis *Traianus* ad finem usque vitæ mansit, rursus ex gehennæ flammis eripiatur. Papa igitur plus præstitisset animam damnati ex inferno liberando, quam Christus unquam fecit, vel se facturum in verbo revelavit. Hieronymus in comment. Ionæ III. opinioni isti Origenicæ & Anabaptisticæ sequentia opponit fundamenta: 1) quod nuspiam divina scriptura illam doceat; 2) quod in evangelio dicatur *ignis aeternus* & *supplicium aeternum*, & apud Esaiam: *Vermis non morietur, ignis non exstin-*

exſtinguetur. 3) Quod hæc ſententia penitus evertat timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes omnes improbos aliquando poſt pœnas fore ſalvandos. 4) Si poſt longum ſeculorum circuitum omnium rerum reſtitutio fiat, ut una dignitas ſit animarum, *nulla diſtantia erit inter virginem & proſtibulum, inter matrem Domini, & inter victimas libidinum publicarum. Idem erit Gabriel & diabolus, apoſtoli & daemones, idem prophetae & pſeudoprophetae, idem martyres & perſecutores.* 5) Si finis omnium ſimilis eſt, finge infinitas ætates cruciatuum, præteritum omne pro nihilo eſt, *quia non quaerimus, quod aliquando fuerimus, ſed quod ſemper futuri ſumus.*

Argumenta contra aeternitatem infernalium ſupplicium.

§. LXV. Argumentis utuntur potiſſimum eiusmodi: 1) Ex *magnitudine divinae commiſerationis.* Pſalm LXXVII. 8. *Numquid in ſecula elongabit ſe Dominus, & non addet ut velit ultra.* v. 9. *Numquid defecit in ſecula miſericordia eius.* v. 10. *Numquid oblitus eſt miſereri Deus, & clauſit in furore miſericordias ſuas?* LXXIV. 19. *Ne obliviſcaris in aeternum.* Reſpondet Auguſtinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 24. *hoc pertinere ad vaſa miſericordiae & ad ipſos filios promiſſionis, quorum unus erat etiam ipſe propheta, qui cum dixiſſet:* Numquid obliviſcetur miſereri Deus; *continuo ſubiecit:* hæc eſt immutatio dextræ excelſi &c. *Ira Dei eſt etiam iſta vita mortalis, ubi homo vanitati ſimilis factus eſt, & dies eius velut umbra praetereunt, in qua tamen ira non obliviſcetur miſereri Deus, faciendo ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluendo ſuper iuſtos & iniuſtos, ac vaſa irae mutando in melius.* Et poſtea: *Quibus placet iſtam ſententiam uſque ad illa impiorum protendere, ſaltem ſic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quae in aeterno eſt pronunciata ſupplicio, non contineat Deus in hac ira ſuas miſerationes & faciat eos non tanta, quanta digni ſunt pœnarum atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed ut eas mitiores, quam merita ſunt eorum, levioresque patiantur, quod quidem non ideo confirmo, quia non reſiſto.* Nos ſimpliciſſime reſpondemus, obiecta divinæ miſericordiæ in futuro ſeculo non futuros eſſe damnatos, ſed beatos, quia Iac. II. 13. *Iudicium ſine miſericordia erit illi, qui non exercuerit miſericordiam;* ac tempus miſericordiæ & pœnitentiæ non eſſe futurum, ſed hoc præſens ſeculum, Eſai. XLIX. 8. 2 Cor. VI. 2. Hebr. III. 13. &c. tunc enim *clauſa erit ianua*, Matth. XXV. 10. 2) Ex *veritate prophetica promiſſionis*, Eſai. XXIV. 22. *Congregabuntur in congregatione unius faſcis in puteum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur.* Hoc loco pro ſtabilienda ſua opinione Origenem fuiſſe uſum, teſtis eſt Haymo in comment. illius cap. & ante illum Hieronymus ibidem. Reſpond. Haymo ſtatuit ideo damnatos poſt multos annos dici *viſitandos*, quia in reſurrectione animæ rurſus cum corporibus unientur, ac cum corporibus ſimul cruciabuntur, quam Haymonis expoſitionem ſequitur Oſiander in notis. Sed iudicium extremum, de quo propheta ibi agit, ſequetur reſurrectionem. Lyranus dies multos μετωνυμικως pro *peccatis* accipit, quia *in diebus multis*, hoc eſt, a principio mundi fuere commiſſa; dicitur enim in Hebræo מרב ימים, *a diebus multis.* Sed dies pro peccatis ſumi, vix poteſt aliquo ſcripturæ exemplo demonſtrari, ac præpoſitio מן non ſolum *de*, ſed etiam

post significat, Gen. IV. 3. Oseæ VI. 3. Sic Latini etiam dicunt, *a meridie*, *a mensa*, *a lectione*. Quidam existimant *post multos dies visitari* esse idem, quod semper visitari, quia scriptura nominibus temporum describit æternitatem per quamdam συγκαταβασιν. *Consuetudo est scripturae*, ait Ribera in Hoseæ I. *ut saepe differentiam aliquam temporis usurpet, quo permansionem quamdam & durationem rei, quam narrat, in illa eadem differentia temporis significet.* Sic ergo per visitationem post multos dies intelligitur æterna in supplicio permansio, ut sit sensus, quantacunque duratio post iudicium intelligitur effluxisse, adhuc manebit eorum visitatio & supplicium. Illud certum est tum ex *aliis scripturae dictis*, quæ de impiorum damnatione agunt, tum ex *huius ipsius loci circumstantiis*, agi hic non de *visitatione gratiae*, qua damnati sint ex inferno liberandi, vel pœna eorum mitiganda; sed de *visitatione irae*, qua post multos dies, hoc est, post multa seculorum millia ad rediviva & renovata semper deposcentur supplicia. Qualis enim visitatio est, qua Deus in die iudicii militiam cœli & reges impios visitabit, ut talis etiam erit ea, qua damnatos post multos annos visitabit, contextus propheticus manifeste ostendit. Iam vero illa est visitatio non gratiæ sed iræ. Ergo & hæc talis erit, ac proinde locus hic propheticus tantum abest, ut perpetuitatem infernalium suppliciorum infringat, ut eamdem magis stabiliat. Confer dicta scripturæ, in quibus nomen visitationis de *visitatione irae ac poenae* accipitur, Exod. XX. 5. XXXII. 34. Levit. XVIII. 27. XXVI. 16. &c. Hieronymus in comm. *Non dixit aperte scriptura divina, visitabuntur ab angelis, vel visitabuntur a Domino, sed absolute visitabuntur. Ex qua ambiguitate verbi & re-medium potest intelligi & correptio, quod postquam iusti praemia receperint, illi in poenis perpetuis visitentur.* 3) Ex *gradibus comparationis*. Luc XII. 48. *Qui non cognoverit voluntatem Domini sui, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis.* Resp. Salvator noster pœnarum infernalium secundum gradus diversitatem adstruit, nequaquam vero earumdem æternitatem evertit. Vapulabit paucis non *absolute*, sed *comparate* respectu illius servi, qui cognita Domini voluntate non præparavit se, ut eam faceret, *qui multis*, hoc est, pluribus vapulabit. Vapulabit paucis non tamen pauxillo tempore, sed in æternum. Basilius in regul. brevioribus interrog. 267. *Illud paucis non finem sed diversitatem supplicii declarat. Usurpatum est autem etiam hoc a Domino ex usu quotidianae loquendi consuetudinis, quemadmodum etiam alia huiusmodi nonnulla, quandoquidem scimus plerumque huiusmodi formam loquendi etiam in his solitam esse usurpari, qui ex uno aliquo morbo laborant, veluti cum dicimus in aliquo, qui tantummodo febricitat, aut ex oculo dolet, admirantes, hic quot sustinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus.* 4) Ex *amplitudine apostolicae oppositionis*. Rom. XI. 32. *Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur.* Respondet Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 24. circa finem, *illud non ideo dictum esse, quod Deus neminem sit damnaturus, sed superius adparere, unde sic dictum. Nam cum de Iudaeis posthea credituris apostolus loqueretur ad gentes, ad quas utique iam credentes conscribebat epistolas, subiecit: conclusit Deus omnes &c. Quos omnes, nisi de quibus loquebatur, tanquam dicens, & vos & illos? Deus ergo & gentiles & Iudaeos, quos praescivit & praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, in infidelitate conclusit, ut de amaritudine infidelitatis suae poenitendo confusi,* ad

ad dulcedinem misericordiae divinae credendo converterentur &c. Sed quia prius membrum est simpliciter universale; Deus enim non tantum *genera singulorum*, hoc est, aliquos ex Iudæis & gentibus, sed etiam *singulos generum*, hoc est, omnes omnino homines Iudæos & gentes voce legis suæ iudicialiter sub peccatum concluſit, Gal. III. 22. ideo etiam posterius membrum rectius accipiatur universaliter, non quidem ratione *adplicationis actualis*, quasi omnes tam infideles quam credentes divinæ misericordiæ fierent participes, sed ratione *gratioſae oblationis*, quia Deus in verbo evangelii omnibus hominibus suam gratiam, & beneficia Filii sui offert. Ex eo autem inferri nequit, omnes damnatos tandem esse ex inferno liberandos, quia Dei gratia & Christi beneficia non in futuro, sed in hoc duntaxat seculo hominibus offeruntur. 5) Ex *natura divinae comminationis. Scriptura multis confirmat exemplis, Deum supplicia absolute comminari, & tamen eadem postea non inferre, ut patet exemplo Ninivitarum; unde intelligitur, quando Deus minatur supplicia, non significari ea revera esse inferenda, sed eos, quibus intentantur, dignos esse, quibus illa inferantur.* Respondet Augustinus dicto loco, Niniven iuxta divinam prædictionem vere eversam fuisse. *Evertuntur*, inquit, *peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitae, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur, aut sicut Ninivitae, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est ergo, quod dixit Dominus. Eversa est enim Ninive, quae mala erat, & bona aedificata est, quae non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus eversa est civitas in perditis moribus.* Simplicius respondetur, comminationem pœnarum in hac vita non esse *absolutam*, sed *conditionalem*; semper enim subintelligitur conditio pœnitentiæ, sed quia in futuro seculo pœnitentiæ tempus non amplius erit, ideo sine ulla conditione dicitur: *Ibunt damnati in supplicium aeternum.* 6) Ex *lege talionis. Quomodo verum erit illud Salvatoris.* Luc. VI. 38. *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetientur vobis; si temporale peccatum supplicio punitur aeterno?* Respondemus, ostensum fuit superius, proportionem pœnæ & culpæ non in mora temporis, sed in peccati qualitate ac turpitudine quærendam. Augustinus d. libr. cap. 11. *Non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, hoc est, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eamdem dictam fuisse mensuram, quamvis hoc in ea re proprie possit accipi, de qua Dominus, cum hoc diceret, loquebatur, hoc est, de iudiciis & condemnationibus. Proinde qui iudicat & condemnat iniuste, si iudicatur & condemnatur iuste, in eadem mensura recipit, quamvis non hoc quod dedit.* 7) Ex *efficacia intercessionis. Si sancti orabunt pro inimicis, & exaudiebantur in hoc mundo, multo magis ex caritate pro damnatis orabunt, & exaudientur in die iudicii.* Respondet Augustinus d. lib. cap. 24. primo per instantiam: *Cur eadem perfectissima sanctitate & cuncta impetrare valentibus mundissimis & misericordissimis precibus etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis aeternus, ut Deus sententiam suam mitiget & reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos?* Disputat enim contra illos, qui diabolorum supplicia concedebant fore æterna, de damnatorum vero hominum suppliciis illud negabant. Secundo per distinctionem præsentis & futuri seculi; illud enim est duntaxat tempus pœnitentiæ & conversionis, hoc vero retributionis. *Haec causa*, inquit, *qua fit, ut nunc ecclesia non oret pro malis*

angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc iudicio etiam pro hominibus aeterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiae fructuosae. Qui autem usque ad mortem habent cor impœnitens, pro talium defunctorum spiritibus non orat ecclesia, quia iam in parte diaboli computantur &c. Breviter respondemus: voluntas electorum divinæ voluntati erit exactissime conformis, pro damnatis ergo a facie Dei iusto eius iudicio in æternum abiectis non orabunt, sed propter iudicia divina adversus ipsos edita exsultabunt. Ex his ad reliqua scripturæ dicta & argumenta facile responderi potest. Hieronymus in fine lib. XVIII. in Esaiam. *Qui volunt supplicia aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis: Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus fiet*, Roman. 11. Et iterum: *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur*, Galat. 5. *Et in alio loco sanctus loquitur: Iram Domini sustinebunt, quoniam peccavi ei, donec iustificet causam meam, & auferat iudicium meum, & educat me in lucem*, Mich. 7. Et iterum: *Benedicam tibi Domine, quoniam iratus es mihi, avertisti faciem tuam a me, & misertus es mei*, Esai. 12. *Dominus quoque loquitur ad peccatorem: Cum ira furoris mei venerit, rursum sanabo. Et hoc est, quod in alio loco dicitur: Quam grandis multitudo bonitatis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te*, Psalm. 30. Sed quilibet videt, hæc dicta non ad futurum, sed ad præsens seculum, nec ad damnatos, sed ad pœnitentes pertinere.

II) De qualitate pœnarum infernalium.

§ LXVI. Exposuimus hactenus *quantitatem pœnarum infernalium* tum *discretam*, tum *continuam*, restat, ut earum etiam *qualitatem* utcunque declaremus. Quemadmodum discreta quantitas pœnarum infernalium *varietatem & universalitatem*, continua earumdem *continuitatem* ac *aeternitatem*, sic qualitas pœnarum istarum *acerbitatem* & *infructuositatem* complectitur. *Acerbitatis* nomine intelligimus summum infernalium dolorum gradum. Neque enim variæ & numero complures duntaxat erunt pœnæ, nec tantum universales in omnibus animæ potentiis & corporis membris, nec solum continuæ, non interruptæ & æternæ, sed etiam acerrimæ, acerbissimæ, & ad summum passionis gradum elevatæ, ac ut verbo dicam, non solum *extensive* ratione æternitatis, sed etiam *intensive* ratione graduum erunt summæ. In hac vita non datur summus dolorum gradus, quia nemo sustinet dolorem talem ac tantum quo nullus detur maior, sed in futuro seculo damnati summos & exquisitissimos dolores sentiant, quibus maiores non dari nec cogitari possunt. Discipulus de tempore adducit dictum cuiusdam ex veteribus: *Si omnes homines nati ab Adam usque ad hodiernum diem & amplius nascituri viverent usque ad novissimum diem, & omnia gramina, quae exorta unquam fuerunt, essent homines, ac si unam pœnam, quam patitur anima pro uno peccato mortali in inferno, ex aequo partirentur, ita ut daretur unicuique homini pars illius pœnae aequa, tunc particula quaevis illius pœnae hominis unius maior esset, quam omnia tormenta, quae omnes sancti martyres & omnes raptores & omnes malefici unquam passi fuerunt.* Probatur hæc pœnarum infernalium acerbitas.

rum infernalium.

Acerbitas pœnarum infernalium.

1) Ex *earum in sacris literis*

rit

ris descriptione. Paratus enim diabolo & damnatis hominibus non qualiscunque ignis, sed *flamma ignis*, *caminus ignis*, *stagnum ignis*, *torrens sulphuris*, ut vidimus superius. 2) Ex *corporum conditione.* Corpora enim damnatorum ex morte suscitatorum ipsius Dei manu formata, erunt exquisitissimo doloris sensu prædita, cum sine eo a Deo suscitentur ac formentur, ut sint acerbissimarum passionum subiectum. Origenes in Psalm. 6. apud Pamphilum in apologia: *Possibile est considerare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamvis magni sint, brevis certe sunt temporis, pro eo quod si paulo vehementiores exstiterint, continuo etiam vitae celerem inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit pro pietatis confessione in ipsis tormentis animam reddunt, alii vero in ipso iam coronae aditu positi denegant fidem, quam usque ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non utique diminutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia & insuperabili superati. Si ergo in hac praesenti vita tam intolerabiles sunt pœnarum dolores, cum iam crassiori anima utitur indumento, quid putandum est, cum id spirituale effectum ex resurrectione recipiet, & eo vehementius utique, quo subtilius sentiet vim doloris? Puto enim, quod quanta differentia est in praesenti seculo nudum verberari quam vestitum ad persentiendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera, quam vestitum, tantam puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanam crassitudinis huius indumento depositio velut nudum corpus cœperit sentire tormenta.* Quod corpora damnatorum dicuntur *spiritualia*, non est accipiendum sensu Origeniano, quasi nec carnem nec ossa sint habitura; nec sensu eo, quo beatorum corpora dicuntur *spiritualia & glorificata*, 1 Cor. XV. 45. sed *sensu latiore*, ut opponitur corpori animali, quod cibi, potus, vestium &c. adminiculo indiget. 3) Ex *pœnarum continuatione.* Exiguus dolor, si absque ulla intermissione continuetur, per quam acerbus & molestus; ecquid ergo futurum putamus, quando in damnatorum pœnis erit *multiplex varietas*, *& cum varietate acerbitas*, *& cum acerbitate interminabilitas?* 4) Ex *tormentorum adcumulatione.* Quando pœnæ complures etiam leviores coniunguntur & adcumulantur, tunc dolor inde nascitur acerbior; ecquid futurum putamus, quando gravissimæ pœnæ *numero incomprehensibiles*, *pondere inaestimabiles*, *tempore interminabiles* in damnatis adgregabuntur? Erit enim ibi *absentia omnis boni*, *& praesentia omnis mali*, ac quæcunque mala esse possunt, nihil de his damnatis deerunt, de quibus melius lugendo interius, quam loquendo exterius aliquid proferimus. *Infructuositatis* nomine intelligimus illud, quod pœnæ infernales nullam damnatis adferant utilitatem quia tempus conversionis cum hac vita est finitum. Quando impii in hac vita divinitus puniuntur, tunc eiusmodi pœnæ sunt ipsis salutaria medicamenta, quibus venenum impietatis ac labes iniquitatis ab illis removetur; sed inferni pœnæ erunt ipsis prorsus ad conversionem infructuosæ. Si enim damnatus flendo tantum de lacrimis emitteret, quantum est de aqua in mari, non sufficeret ad lavandam maculam unius peccati mortalis. Si ad conversionem valerent, finem haberent, sed quia finem ac terminum non habent, ideo ad conversionem valere minime possunt.

§. LXVII. Delineavimus huc usque formam inferni *internam*, quam docendi causa constituimus in gravissimis illis pœnis ac suppliciis horribilissimis, quæ damnati in inferno sustinere cogentur, consequens est, ut II) formam eius *externam* sive figuram aliquo modo depingamus. Scriptura per quamdam ad nos συγκαταβασιν eam sic describit, quod sit 1) *carcer*, sive locus captivorum, Matth. V. 26. Luc. XII. 58. 1 Petr. III. 9. *fovea*, ita enim Hebræum חפחה quidam reddunt Esai. XXX. 33. בור, *cisterna, in qua non est aqua*, Zach. IX. 11. hoc est, *horribilis fovea*, ut colligitur ex collatione Genes. XXXVII. 24. בור שחת *lacus vel puteus corruptionis*, Psalm. XL. 3. 2.) Cuius *hiatus* sit amplus, vastus ac horrendus. Esai. V. 15. *Infernus dilatavit* נפשה *animam suam, desiderium suum insatiabile, & aperuit*, פיה, *os suum praeter morem.* Habac. II. 5. *Dilatavit quasi infernus animam suam.* 3) *Vorago profunda* & incomprehensibilis. Esai. XXX. 33. העמיק *profundam fecit eam*, a radice עמק *profundus* metaphorice *immensus, incomprehensibilis*, sicut profundum ab homine non attingitur. Unde etiam αβυσσος vocatur Luc. VIII. 31. Apoc. XX. 1. &c. Utrumque, videlicet *hiatus* & *vorago*, exprimuntur nomine χασματος Luc. XVI. 26. χασμα, a χαινω *hiatum* proprie significat, quia vero in terræ hiatu quædam *profunditas* sese aperit, inde etiam *pro voragine* usurpatur. Philo lib. de mundo: χασματα γης ορο διηνοιγμενης επι μηκιστον ευρυνομενα, ubi Buddæus: *Labes terrae vastas video in immensum discedere.* Idem Budæus in Pand. *Labes agri est, cum ager repente terrae motu aut quavis alia ratione subsidet in vastam voraginem, quae graece dicitur* χασμα, *hoc est, hiatus terrae.* Augustinus epist. XCIX. ad Euod. *Chasma hoc magnus quidam hiatus multum ea separans, inter quae non solum est, verum etiam firmatus est.* Confer tract. de morte §. 177. 4) *Latitudo immensa.* Esai. XXX. 33. הרחב, *dilatavit eam, latam & profundam fecit*, proinde etiam *capacitas vasta*, Prov. XXVII. 20. XXX. 16. *infernus non saturatur*, tantum abest, ut hospites novos adventantes capere nequeat. 5) *In quo tenebrae & caligo*, Matth. XXII. 13. 2 Petr. II. 4. & 17. Iud. 6. & 13. unde vocatur *terra tenebrarum & umbra mortis sive mortifera*, Iob. X. 21. *terra obscuritatis sicut caligo umbrae mortis, & quod in ea splendidum est caligini simile*, 22. ut enim in profunda fovea est horrida caligo, ita quoque in inferno sunt exteriores tenebræ. 6) *Ignis sulphureus aeternus*, & variæ pœnarum instrumenta, ut ex dictis constare potest. Anshelmus lib. I. de imag. mundi cap. 11. *Infernus est locus igne & sulphure horridus, inferius dilatatus superius coangustatus.* Hugo Victorinus lib. IV. de anima cap. 13. *Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili.* Hildegardis lib. I. vision. 2. I. *Infernus latitudinem vitiorum & profunditatem perditionum in se continet, os etiam velut os putei habet, ignem & fumum cum multo fœtore emittens, ubi ardet ignis cum suffusione teterrima fumi, & cum ebullione mortifero fœtore emanat.* Quæ de quatuor *conclavibus* ac domiciliis inferni in limbum patrum, limbum puerorum non baptizatorum, purgatorium & sedem damnatorum distincti a pontificiis adduntur, ea in tractat. de morte §. 167. & seqq. excussimus.

II) Forma inferni externa.

§. LXVIII.

Quæstiones de pœnis inferni. 1) An ignis infernalis futurus sit materialis?

§. LXVIII. Quæri hoc loco: 1) *An ignis infernalis sit corporeus, visibilis, materialis, an vero incorporeus, invisibilis, & omnis materiae expers?* Prius multi adfirmant, quorum sententia nititur præcipue his fundamentis: 1) *Ex canone theologico* de scripturæ interpretatione. In articulis fidei tamdiu insistendum literæ, donec evidens aliqua necessitas ab ea nos deducat. Quare cum scriptura pœnas inferni describat per ignem ῥητῶς, & in sensu literali hoc accipiendum. Responderi potest, urgeri nos necessitate a litera discedendi, ut postea adparebit. 2) Ex *ignis huius descriptione.* Tribuitur illi *flamma, sulphur, ligna*, utique ergo est ignis corporeus, materialis, proprie dictus. Quoties scriptura loquitur de pœna inferorum, fere semper mentionem facit *ignis.* At hoc non faceret, nisi loqueretur de igne corporeo & proprie dicto. Quorsum enim pœnam damnatorum semper improprie & metaphorice nunquam propriis verbis describeret? Responderi potest, *res futuri seculi describi verbis huius seculi*, hic ergo agnoscendam esse metaphoram. 3) Ex *ignis eius operatione.* Aduret hic ignis hominum corpora; ergo etiam erit corporeus, quia agentia ac patientia oportet, ut communicent invicem in materia. Responderi potest, *ex eodem principio evinci posse, diabolos & animas damnatorum esse corporeas.* 4) Ex *veterum testificatione.* Tertullianus lib. de anima cap. 7. pag. 264. *Per quod punitur aut fovetur anima, hoc erit corpus;* Quamvis ibidem Tertullianus a tramite veritatis longius abit, dum ipsam *animam corpoream* esse ex eo evincere satagit. Augustinus lib. XXI. de civ. Dei c. 10. *Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum aut & hominum & daemonum, solida hominum, aerea daemonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, daemones autem spiritus sine corporibus haerentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut veritas dixit.* Gregorius lib. IV. dialogor. cap. 28. *Ignem gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Ibidem: *Diabolus eiusque angeli cum sint incorporei, corporeo igne erunt cruciandi*, quæ verba adducit Lombardus lib. IV. sent. dist. 44. lit. F. & ex Iuliano, Toletanæ ecclesiæ episcopo, hæc adducit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne teneatur. Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignis videndo atque sentiendo patiatur.* Lombardum catervatim sequuntur scholastici.

§. LXIX. Posterius quibusdam probabilius videtur ob sequentes rationes: 1) ab *ignis huius obiecto.* Ignis corporeus non potest agere in spiritum, quia agens oportet esse potentius ac fortius patiente. At ignis infernalis agit in spiritus, videlicet in diabolos, Matth. XXV. 41. & animas hominum nondum corporibus reunitas, Luc. XVI. 24. Omne agens agit in obiectum capax. Dæmones & animæ damnatorum non sunt obiectum capax ignis corporei, sunt enim res spirituales. Inter agens & patiens debet esse contactus. Sed inter spiritum & corpus nullus est contactus. Ergo etiam ignis corporeus non poterit agere in spiritum. Respondet Augustinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 10. *esse etiam da monibus sua quaedam corpora ex isto aere crasso atque humido, cuius impulsus*

sus flante vento sentitur, quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non uteret fervefactus in balneis. Sequitur hac in parte Platonicos & Tertullianum, qui corpora aerea dæmonibus tribuebant, sed quia videt hanc hypothesin non concedi ab omnibus, imo ipse eam improbat lib. I. de anim. & eius orig. cap. 5. lib. II. cap. 5. lib. IV. cap. 12. & seqq. ideo aliam responsionem subiungit. *Cur non dicamus*, inquit, *quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis adfligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter adligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quae constent spiritu & corpore, sed miris & ineffabilibus modis adhaerendo accipientes ex ignibus pœnam non dantes ignibus vitam, quia & iste alius modus, quo corporibus adhaerent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.* Hæc Augustinus Gregorius lib. IV. dial. c. 29. *Teneri spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque ab eo ipso patitur, quod videt, & quia cremari se adspicit, trematur, sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur, quamvis colligere ex dictis evangelicis possimus, quod intendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur.* Hugo Victorinus quæst. IV. in 1. Epist. ad Thessalan. *Fieri potest, ut res spirituales per ea puniantur, a quibus non continguntur, velut quis horrorem magnum ex aliquo viso vel imaginato contrahit: & si ab illo non contingatur.* Quemadmodum a Deo ordine naturæ ita videmus institutum, ut anima naturaliter corpori unita compatiatur corpori, & corpore adflicto etiam ipsa doleat, & recreato exhilaretur, ac quamvis occiso corpore non occidatur, tamen corpori occiso condoleat, & ratione corporis patiatur; ita per divinam potentiam fieri potest, ut spiritus maligni & animæ separatæ ab igne adiuncto patiantur, quemadmodum & animæ ratione corporis adiuncti patiuntur. Proinde quamvis ignis corporeus non agat in *obiectum spirituale* virtute physica, tamen potuit Deus igni infernali, a diaconico qualitatibus plurimum differente, hanc proprietatem indere, ut velut divinæ iustitiæ instrumentum in dæmonas & animas hominum hyperphysice agat. Talis est cuiusque rei natura & actio, qualem Deus creator omnipotens eam vult esse. Si corpora damnatorum uruntur, nec tamen consumuntur, quia Deus ea voluit esse talia; quomodo contra naturam esse dici potest, quod Dei sit voluntate, cum voluntas tanti conditoris conditæ rei cuiusque sit natura? Possunt ergo dæmones & animæ hominum esse obiectum capax ignis corporei, non quidem sua natura nobis cognita, interim infinita Dei virtute & potentia nobis incomprehensibili. Ac licet in spiritum & corpus non sit *contactus corporeus & quantitativus*, tamen potest esse *contactus essentiae & virtutis*, cum inter animam & corpus humanum divina potentia potuerit invenire talem proportionem, ut tanquam materia & forma ad unum compositum arctissime uniantur. Ignis infernalis consideratur dupliciter: a) ratione *sui*, b) ratione

agen-

agentis principalis, cuius est instrumentum. Agit ergo in spiritum, quatenus est instrumentum divinae iustitiae, quia quodvis instrumentum praeter vim sibi insitam aliam quandam adipiscitur ab agente principali. Sic calor naturalis praeter vim calefaciendi, quam habet a natura, ab anima, cuius est instrumentum, hanc vim consequitur, qua alimentum in substantiam eius, quod alitur, convertat. Scholastici in tres opiniones abeunt circa activitatem corporei huius ignis in res spirituales & incorporeas declarandam. Quidam statuunt, *daemonas & animas rationales non aliter cruciari igne corporeo, quam quod contra suam voluntatem in eo detineantur, tanquam in perpetuo carcere.* Thomas lib. IV. sent. dist. 44. q. 3. art. 3. Abulensis in Matth. XXV. quaest. 506. Quidam existimant, *daemonas & animas damnatorum adprehendere ignem infernalem, tanquam sibi noxium, quamquam revera noxius non sit, & ex illa falsa opinione nasci dolorem ac tristitiam, & in ea consistere poenam ignis infernalis.* Egidius quodlib. II. quaest. 9. Sed cum neutra opinio emphasi dictorum scripturae de efficacia huius ignis satisfaciat; ideo alii convenientius statuunt, *ignem corporeum per modum instrumenti divini producere daemonibus realem & spiritualem aliquam qualitatem, quae ipsorum naturae sit contraria ac disconveniens, & a qua tanquam ab obiecto doloris ac tristitiae gravissime cruciantur. Vt enim ignis naturaliter dicitur causare dolorem in corpore, quia alterat corpus, ex qua alteratione resultat quaedam qualitas disconveniens naturae sensitivae, quae est obiectum doloris sensibilis; ita etiam supernaturaliter dicitur causare dolorem in angelo, quia producit quamdam qualitatem spiritualem disconvenientem naturae angelicae, quae est obiectum doloris spiritualis.* Haec responsio propius accedit ad dicta scripturae, quae animas non per detentionem, vel imaginationem tantum, sed per ustionem ab hoc igne cruciari adserunt, unde etiam improbatur illud, quod Abulensis ac Thomas disputant, *ignem infernalem corpora damnatorum urere per species non materiales, sed duntaxat intentionales.* 2) Ab *ignis huius adiuncto.* Ignis corporeus physicus ac materialis non potest suscipere proprietatem supernaturalem, videlicet aeternitatem. Resp. *idem de corporibus damnatorum obiici posse, quod non perdurent in aeternum.* Ut ergo corpora in igne torquenda divina virtute in aeternum conservantur, ita quoque ignis, divinae iustitiae vindicatricis instrumentum, eadem virtute perseverat. Si quis excipere velit, *corpus humanum esse huius conditionis capax, non per se, sed per animam & in persona, aliam vero esse rationem ignis;* responderi potest, divinam virtutem supplere, quod naturali ignis proprietati videtur deesse. 3) Ex *absurdo.* Si ignis nomen accipiendum proprie consequens fuerit etiam alia praedicata, quae inferno tribuuntur, esse proprie accipienda. Infernus igitur proprie erit *vallis* circa Hierosolymam, quia vocatur Topheth, materia eius proprie dicta *ligna* erunt, flatus Iehovae proprie erit *torrens sulphuris*, vermes, qui non moriuntur, erunt proprie dicti *vermes.* Si ignis infernalis est corporeus, posset etiam aqua refrigerium damnatis praestare, ac ignis illius ardorem exstinguere. Atqui *postquam semel ignis infernalis accensus est, non exstinguitur, si totum mare influeret*, ut Anshelmus in elucidario recte loquitur. Respondent, *esse disparem rationem, per ignem enim fere ubique in scripturis poenas infernales describi, quod si etiam ignis nomen metaphorice acciperetur, nusquam scriptura proprie & perspicue de poenis infernalibus loqueretur.* 4) Ex

Ex *comparato*. Talis *fuit illa flamma, quae divitis animam* Luc. XVI. 24. *cruciavit, quales oculi, quos levavit, qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit, ubi tamen erant sine corporibus animae.* Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 10. Respondent. *Augustinum dubitasse, an flamma illa, qua anima epulonis cruciabatur, corporea fuerit nec ne; interim nihil dubitasse, ignem illum, quo corpora damnatorum post resurrectionem cruciandа sunt, fore corporeum, ut constat ex sequentibus.* Nicolaus Trivetius in scholiis illius loci respondet, *Augustinum non protulisse illa verba, ut adstereret, ignem inferni non esse corporeum, sed ut ostenderet, adsertionem suam de igne corporeo non posse confirmari exemplo divitis in flamma ardentis &c.* 5) Ex *oppositо*. In paradiso est lux spiritualis & analogica. Ergo etiam in inferno talis ignis. *Discubitus cum patriarchis* & reliqua regni coelestis gaudia non sunt corporalia, quare etiam tartarearum poenarum non sunt corporea instrumenta. Respondent, *esse disparem rationem. Lux coelestis civitatis non erit corporea ac materialis, quia Deus ipse erit eius lux*, Apoc. XXI. 23. *sed in inferno Deus non supplebit alicuius rei defectum.* 6) Ex *canone theologico*. Scriptura de verbis futuri seculi loquitur verbis huius seculi, & per corporalia describit spiritualia, quia nos non possumus spiritualia capere nisi adumbrata imagine corporalium. Sic piorum animae dicuntur *ab angelis portari in sinum Abrahae*, Luc. XVI. 22. beati dicuntur cum Abrahamo, Isaac & Iacobo *adcubituri in regno coelorum* Matth. VIII. 11. *transferendi in paradisum*, Luc. XXIII. 43. *manducaturi de arbore vitae, quae est in medio paradisi*, Apoc. II. 7. ubi tamen nemo de sinu corporeo, adcubitu carnali, paradiso terrestri & arbore vitae materiali cogitat. 7) Ex *patrum calculo*. Ambrosius lib. VII. in Lucam 14. *ignem*, ait, *esse non flammarum corporalium, sed quem generat maestitia delictorum.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum Lapsum: *Cum ignem audis, ne arbitreris esse similem huic igni.* Homil. XLIV. in Matth. 12. *In fluvio ignis infernalis ignei fluctus montium instar eriguntur; igneì dico, non huius ignis, sed ignis certe multo quam hic horribilioris &c. Quod si sensibilis iste ac materialis eos, qui extra fornacem erant, absorpsit, quid ille ignis faciet iis, qui in eum inciderint.* Augustinus lib. XII. de Genesi ad literam cap. 22. de paradiso disputans ait, *loca, quibus animae corporibus exutae adficiuntur seu bene seu male, non esse corporalia, sed spiritualia, quae una cum variis rerum corporalium similitudinibus tam laetis quam tristibus animis defunctorum repraesentantur, non secus atque his, quibus aut in somno constitutis aut a sensibus subtractis modo graves terrores & cruciatus, modo laetae res & diu concubitae exhibentur.* Hunc Augustini locum Thomas lib. IV. sent. dist. 44. sic expendit: *Dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille, ad quem animae deferuntur, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit per modum scilicet, quo corpora existunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut angeli in loco sunt;* sed huic explicationi non multum fidens subiungit: *Vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando, & non determinando, sicut frequenter facit, in illis libris.* Lib. de cognit. veræ vitæ cap. 40. *locum inferni* nominat *incorporeum substantia spiritualem corpori similem, cuius poena sit tanto intolerabilior, quantus spiritus corpore subtilior.* Lib. XII. de Genesi ad literam c. 32. *Est ergo prorsus inferorum substantia,*

stantia, sed eam spiritualem esse arbitror. Gregorius lib. XV. moralium cap. 14. *Ignis corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet, nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere. At contra gehennae ignis cum incorporeus, & in semissos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec ligni nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis & succensione non indiget, & ardore non caret.* Confer Bedam lib. I. in Lucam 3. Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 28. Παραδοθησεται ο διαβολος και οι δαιμονες αυτω, και ο ανθρωπος αυτω, ηγουν ο αντιχρις ος, και οι ασεβεις, και οι αμαρτωλοι εις το πυρ το αιωνιον εχ υλικον, οιον το παρ ημιν, αλλ οιον οιδεν ο θεος. *Priorem* opinionem pontificii plerique omnes sectantur, Sixtus Senensus lib. V. biblioth. adnot. 141. Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 11. Becanus in adpend. tractat. de purgat. Calvin. cap. 8. quæst. 4. Barradius lib. X. comment in conc. evang. cap. 4. pag. 617. Maldonatus Luc. XVI. Lorichius in thesaur. theol. nov. in voce *infernus* num. 4. Thyræus de gloriosa Christi adparit. cap. 26. num. 52. & quidam ex Calvinianis Keckermannus in system. theol. cap. 7. pag. 278. Zanchius in 2. Thess. I. tom. VI. oper. fol. 458. Alstedius in theol. polemica part IV. controv. 11. pag. 376. *Posteriorem* late probant Rainoldus de libr. canon. & apocryph. tom. I. prælect. 51. pag. 530. & seqq. Tilenus part II. disput. 68. th. 41. & seqq. Iunius in notis ad controv. V. Bellarminus lib. II. de purgat. cap. 15. num. 4. Nos 1) dicimus cum Augustino lib. XX. de civit. Dei cap. 16. *Cuiusmodi sit ignis infernalis, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.* Idem lib. VIII. de Genes. ad literam c. 5. disputans, *an animae corpore exutae locis corporaliter visibilibus contineantur*, subiungit: *Si quis id adfirmat, non defuturos esse, qui sic faveant, ut illum etiam divitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendant, ipsamque animam omnino esse corpoream propter arentem linguam & stillam aquae de Lazari digito concupitam pronunciari non dubitent; eum quibus*, inquit, *ego de tam magna quaestione nulla temeritate confligo. Melius est enim dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito, sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferna, ille sinus Abrahae, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii vix fortasse a mansuete quaerentibus, a contensiose autem certantibus nullo modo invenitur.* In Psalmo 86. *Quod dicimus fratres de inferno, si non vobis tanquam certus exposuero, ne succenseatis. Homo enim sum, & quantum conceditur de scripturis sanctis, tantum audeo dicere, nihil ex me. Infernum nec ego expertus sum adhuc, nec vos.* 2) Interim certo statuimus, damnatos non solum in animabus, sed etiam in corporibus fore torquendos, ut postea demonstrabitur; ex eo vero non potest certo & apodictice concludi, instrumenta pœnarum infernalium fore corporalia, quia etiam spiritualia corpus propter essentialem eiusdem cum anima συναφειαν και συμπαθειαν cruciare possunt. 3) Certum etiam illud, ignem infernalem proprietatibus differre ab igne elementari & diaconico, ut superius demonstravimus. 4) Nec ambigimus, divina potentia fieri posse, ut ignis corporeus cruciet diabolos & animas incorporeas. Sed an ignis ille revera corporeus materialis ac visibilis futurus sit,

an vero incorporeus, inviſibilis ac immaterialis in medio relinquimus, quamvis in partem poſteriorem magis propendeamus, ac Deum ſerio precamur, ne per experientiæ notitiam illud nobis manifeſtet. Præſtat omni ſtudio per veram & ſeriam converſionem de fugiendo igne infernali ſolicitum eſſe, quam de natura illius ignis odioſe digladiari. In libro apocrypho hac de re habetur ſententia vel canone digna: 4. Eſdræ IX. 13. *Noli curioſus eſſe, quomodo impii cruciabuntur.*

Quaeritur II) An in inferno ſint vermes corporei?

LXX. Quæritur II) *An in inferno ſint vermes corporei, qui non ſolum animas, ſed etiam corpora damnatorum erodant?* Adfirmare videntur quidam ex veteribus, Baſilius in Pſalm. XXXIV. σκωληκων γενος ιοβολον και σαρκοφαγον απληστως εδιον, και μηδεποτε κορεννυμενον, αφορητες οδυνας εμπειραν την καταβρωσει. *Vermium genus venenum immittens ac carnem vorans inexplebiliter edens, neque unquam ſaturitatem ſentiens intolerabiles dolores ipſa corroſione infigens.* Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animæ vocat *fœdum & olentem vermem.* Auguſtinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 9. *Eligat quiſque, quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, aut utrumque proprie corpori.* Idem vel quicunque alius autor in lib. de triplici habitaculo: *In inferno eſt ferocitas beſtiarum, dilaceratio immortalium vermium.* Haymo in Eſai. LXVI. in medio relinquit. Anſhelmus in elucidario: *Tertia pœna in inferno eſt vermes immortales, hoc eſt, ſerpentes & dracones viſu & ſibilo horribiles, qui ut piſces in aqua, ita vivunt in flamma.* Innocentius lib. III. de contemtu mundi ſive de miſeria humanæ condition. cap. 2. *Vermis & ignis uterque duplex, interior & exterior. Interior, qui rodit & urit cor, exterior, qui rodit & urit corpus.* Hugo Victorinus lib. IV. de anim. cap. 13. *In inferno omnes comburuntur & vermibus corroduntur, nec conſumuntur, quia vermis eorum non moritur, ignis non exſtinguitur.* Ex pontificiis idem ſtatuit Serarius in Iudith. XVI. q. 6. Probabile id eſſe iudicant Sanctius in comm. Eſai. 66. Barradius lib. X. conc evang. cap. 5. p. 621. Thyræus lib. de glor. Chriſti adparit. cap. 26. n. 67. ubi etiam diſputat, *etiam ſulphur ac picem veram in inferno fore, tum quia neceſſaria ſit aliqua materia, in qua ignis infernalis accendatur, tum ne odoratui damnatorum ſua deſint tormenta.* Contrarium ſtatuunt illi, qui hunc *vermem* metaphorice accipiunt de *morſu conſcientiae*, quorum verba & rationes adduximus ſuperius §. LI. Thomas in addit. quæſt. 97. art. 2. negat, vermes illos proprie accipiendos, & ex profeſſo opinionem illam impugnat. Noſtra quæ ſit ſententia, ex antecedentis quæſtionis deciſione facile adparet, iiſdem enim argumentis probari & confutari hæc ipſa quæſtio poteſt. Urgent peculiariter duo ſcripturæ loca, Iudith. XVI. 21. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum.* Sirach. VII. 19. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Reſponderi poteſt, 1) utrumque librum eſſe apocryphum, 2) in loco poſteriore non addi nomen *carnis* in Græco textu; 3) Auguſtinus lib. XXI. de civ. Dei cap. 9. ſic exponit verba Siracidis: *Vindicta carnis impii, hoc eſt, carnalis vitae ignis corpori & vermis animo.* Thomas d. l. putat, *carnis* nomine intelligendas *impiorum animas, eo quod carni obtemperaverint, vel dici vermem conſcientiae dari in carnes, & eſſe vindictam carnis, quia licet animi ſit vermis, tamen carnem etiam torquet, eo quod paſſiones animae*

mae redundant in corpus. 4) Est, qui sic exponit: *Vindicta carnis impii ignis & vermis, ignis in tartaro, & vermis sive vermes singulari pro plurali iuxta idiotismum Hebraicum posito in sepulcro*, Sirac. X. 13. *Cum homo moritur, hereditabit serpentes, bestias & vermes.* Ex peccato enim mors temporalis, quam sequitur putrefactio in sepulcro, & æterna mors sive damnatio in inferno.

§. LXXI. III) *An praeter ignem & vermem etiam alia corporalia supplicia vere & proprie sic dicta in inferno statuenda?* 1.) Bonaventura lib. IV. sent. dist. 44 art. 2. q. 2. disputat, *in inferno non solum esse ignem punientem, sed quatuor elementa, quibus animae & corpora puniantur. Quod ibi fit ignis*, inquit, *patet* ex Matth. XXV. *ite maledicti in ignem aeternum. Quod ibi fit aer, videtur per* illud Psalmi: *Ignis & spiritus procellarum. Si ergo spiritus procellarum vere habeat naturam aeris, sicut ibi vere est ignis, ita & aer. Quod sit ibi aqua, videtur* Iob. XXIV. *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Ergo si vere erunt in calore ignis non secundum tropum, vere erunt in frigore aquarum. Item quod terra fit ibi, videtur per illud* Iob. X. *terra miseriae & tenebrarum, & hoc patet, quia locus est sub terra.* Eadem est sententia Abulensis in Matth. XXV. quæst. 554. 2.) Verum frigus esse in inferno statuit Beda in comm. Iob. X. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Quasi duas*, inquit, *gehennas Iob dicere mihi videtur, ignis & frigoris, per quas diabolus haereticus & homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentium sentiant, nunc nimium algoris incendium & poenalis commutatio nunc frigus sentientibus nunc calor fit, ut quasi de loco ad locum transitus aestimetur. Et fortasse inde Dominus ait.* Matth. XXII. *erit ibi fletus & stridor dentium, ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur.* Eadem videtur sententia Hieronymi in comm. Matth. X. auctoris lib. de tripl. habitac. qui extat tom. IX. oper Augustini cap. 2. Haymonis in comm. Matth. VIII. Anshelmi in elucidario, Innocentii lib. III. de contemt. mundi cap. 8. Hugonis Victorini lib. IV. de anim. cap. 13. & aliorum, quorum vestigiis insistunt plerique pontificii statuentes, *in inferno esse latissimum frigidissimarum aquarum receptaculum instar maris, in quod ex igne transeant damnati a daemonibus rapti, post ardorem patiantur frigus, ex quo stridor dentium oriatur.* Sed dictum Iobi ex Hebræo textu non est recte redditum, ut ostendimus superius, de stridore dentium postea dicetur, Abulensis in Matth. 25. quæst. 558. ac Dominicus a Soto lib. IV. dist. 50. quæst. unic. art. 4 negant frigus vel nivium aquas apud inferos esse. 3) Verum *stridorem dentium* in inferno esse statuunt, qui verum frigus illi attribuunt; sed quidam ex veteribus rectius metaphorice exponunt de livore ac furore damnatorum, ut vidimus superius. 4) *Fletum* exponunt de gemitibus continuis. Hugo Victorinus d. l. *Nulla in inferno vox, nisi vae, vae sonat.* Thomas in addit. quæst. 97. art. 3. *Fletus potest esse in damnatis secundum quamdam capitis & oculorum commotionem & turbationem, sed lacrimarum resolutio & fluxus in illis esse nequit. Edent magnos gemitus, atque ea faciunt, quae flentes facere consueverunt, quamvis nullas lacrimas fundant.* Atqui si in voce *fletus* metaphoram agnoscunt cur eam in aliis tantopere refugiunt, & literæ simpliciter insistunt? 5) *Fumum* ve-

III) An praeter ignem & vermem etiam alia corporalia supplicia in inferno statuenda?

rum non metaphoricum ex materia æterni sulphuris natum in inferno statuit Bonaventura lib. IV. sent. dist. 50. art. 2. quæst. 1. & alii complures, sed illis contradicunt Sotus dicto loco, & Ribera in Apocal. XIV. 6) *Fœtorem sulphureum* proprie sic dictum plerique omnes hic agnoscunt, quin & addunt ex corporibus damnatorum tetrum odorem emittendum per species intentionales, quem admodum ex beatorum corporibus suavis odor exhalat. 7) *Fame ac siti* proprie dicta damnatos torquendos esse plurimorum est opinio. Sed videtur simplicissimum ob argumenta superius exposita, hæc omnia metaphorice ac parabolice accipere de summis & ineffabilibus damnatorum cruciatibus, qui depinguntur per ea, quæ homini in hac vita obtingere possunt longe acerbissima ac molestissima.

§. LXXII. IV) *An damnati retineant fidem & spem, quam in hac vita habuerunt?* Quidam ex scholasticis, ut Alensis part. III. q. 64. art. 7. Durandus lib. III. sent. dist. 23. q. 9. & alii adfirmant: 1) Quia de diabolis etiam dicitur, *quod credant, sed contremiscant*, Iac. II. 19. idem ergo multo magis locum habebit in damnatis. 2) Fides non amittitur nisi per contrarium actum infidelitatis. At multi sunt in inferno, qui non habuerunt actum infidelitatis. 3.) Damnati certo sciunt, se in æternum mansuros in pœnis infernalibus. Hoc autem non aliunde sciunt, quam ex scriptura, in qua id revelatum est. Ergo sciunt per actum fidei in illa revelatione fundatum. Thomas II. 2. q. 5. art. 2. ad 2. & alii contrarium statuunt; 1) Quia damnati propter sua peccata indigni sunt omnibus donis supernaturalibus. Atqui fides est donum Dei supernaturale. 2) Frustra retinerent fidem, quia sunt excluſi a summa beatitudine, ad quam fides, spes, & alia eiusmodi dona ordinantur. Becanus in append. tract. de purgat. cap. 8. utitur hac distinctione: *In fide tria spectari possunt, obiectum, quod credimus, actus, quo credimus, auctoritas Dei revelantis, propter quam credimus. In obiecto possunt damnati nobiscum convenire. In actu discrepant. Nam adsensus fidei, quo nos credimus fidei mysteria, est supernaturalis, voluntarius & honestus. At in damnatis est naturalis coactus & gravis circumstantiis vitiatus. Nos credimus propter auctoritatem revelantis, ac per piam voluntatis adfectionem movemus intellectum ad fidei adsensum. Damnati non vellent credere, nisi illorum intellectus evidentibus signis & miraculis convinceretur, ut dissentire non possit.* Actum spei dicit esse *vel naturalem vel supernaturalem. Si supernaturalis, certum est, non posse esse in damnatis, destituuntur enim actu fidei supernaturali, quem spes praesupponit, ac certo sciunt, se perpetuo cruciandos, non ergo possunt sperare beatitudinem.* Resp. 1) Fides salvifica constans notitia, ac sensu ac fiducia non est in damnatis, ut constat, alias enim non essent damnati. 2) Notitia historica articulorum fidei an in illis locum sit habitura, merito dubitatur, η γαρ γνωσις καταργηθησεται, 1 Corinth. XIII. 8. Si vis morbi ac dolorum inducit oblivionem scientiæ humanæ in hac vita, quanto magis cruciatus infernales scientiæ divinæ? 3) Adsensus circa illum fidei articulum, quod *sit Deus & quod sit vindex scelerum*, erit in damnatis, perinde ut in dæmonibus, sed coactus & expressus per sensum tormentorum sibi inflictorum. Augustinus lib. de fide & operibus cap. 16. *Fides daemonum expri-*

IV) An damnati retineant fidem & spem?

primitur per timorem. 4) Posset etiam haud incommode illud, quod de fide dæmonum Iacobus adserit, ad huius vitæ curriculum referri, quod eo adhuc durante, antequam diaboli cum hominibus damnatis in infernalem ignem proiiciantur, *credant esse Deum*, a quo aliquando sint in tartarum detrudendi, sed quando re ipsa illos cruciatus experiuntur, non amplius credunt, sed sciunt & sentiunt. 5) Damnati sciunt, se in æternum cruciandos, non per actum aliquem fidei supernaturalem, sed per iudiciariam sententiam, quam in articulo mortis & cumprimis in die iudicii accipiunt. 6) Erit in damnatis continua & perpetua desperatio, ac proinde etiam spes nulla. Nam minima spes dolorum magnitudinem levaret.

§. LXXIII. V) *An daemones futuri sint damnatorum tortores?* Quidam adfirmant: 1) Quia Sirac. XXXIX. 33. dicitur: *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt flagella sua. In tempore consummationis virtutem effundent, & furorem eius, qui fecit illum, sistent.* Sed liber hic apocryphus, ac possunt per τα πνευματα intelligi procellæ ac turbines ventorum, quibus in hac vita homines puniuntur, additur enim v. 34. *ignis & mare, & fames, & mors omnia haec ad vindictam creata sunt.* 2) Mentio fit *tortorum*, Matth. XVIII. 34. *plagarum*, Luc. XII. 48. *percussionum*, Prov. XIX. 29. Sed hæc omnia παραβολικως accipi possunt. 3) Diaboli ante iudicium & in hac vita torquent homines. Sed post iudicium ipsimet in abysso torquebuntur, erunt ergo tormentorum consortes ac socii, non auctores ac ministri. 4) Aequum est, ut homines ab iis torqueantur, quibus se per culpam subiecerunt. Chrysostomus homil. X. in 2 Corinth. *Qui praesunt nobis*, (in inferno) *non sunt eiusdem dignitatis, quos unquam demulcere poterimus, sed angeli, in quos neque respicere licet, valde iracundi, propterea quod Dominum tanta contumelia affecimus.* Lombardus lib. VI. sent. dist. 47. lit. F. *Solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint daemones post iudicium, quos carnifices tortoresque animarum scriptura adpellat. Apostolus dicit, quod* Christus tunc evacuabit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 1 Cor. XV. 24. *Dum enim durat mundus, angeli angelis, daemones daemonibus, homines hominibus praesunt, sed omnibus collectis, iam omnis praelatio cessabit. Hinc quidam putant daemones post iudicium non habere potestatem cruciandi homines sicut modo, sed ut daemones virtute Dei cruciari sine creaturae ministerio adserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem daemonum, sed virtute divina tantum aeternis subiici cruciatibus;* quam opinionem Bonaventura in comm. huius loci iudicat probabiliorem. *Praemissa tamen auctoritas non id cogit sentire, quae etsi adserat, tunc nec daemones daemonibus, nec homines hominibus praeesse, non definit tamen, an praesint hominibus ad torquendum, unde quibusdam videtur eos sic exstare hominibus tortores in poena, sicut exstiterunt incentores in culpa.* Sed nec haec ratio Lombardi est satis efficax, nam homines hominibus sæpe sunt incentores in culpa, quos tamen eorum in inferno tortores fore nemo adserit. In contrarium urgeri potest, quod diabolus & primus peccaverit, & hominibus peccatum persuaserit, proinde gravi-

V) An daemones futuri sint damnatorum tortores?

vius puniendus erit, quomodo igitur hominum tortor esse poterit?

§. LXXIV. VI) *An in suppliciis infernalibus futurus sit aliquis ordo?* Movet hanc quæstionem Gregorius lib. IX. moralium cap. 39. occasione verborum Iobi X. 22. *in terra tenebrarum* לא סדרים, *non sunt ordines. Mirum*, inquit, *valde quod dicitur*: Ubi nullus ordo. *Neque enim omnipotens Deus, qui mala punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit, quia ipsa quoque supplicia, quae ex lance iustitiae prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quo modo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis retributio sequitur ultionis? hinc quippe scriptum est, potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inflat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur: Quantum exaltavit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Si igitur iuxta modum culpae poena distinguitur, constat nimirum, quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburendo zizania in fasciculos ligantur &c. Quo modo ergo nullus ineſſe ordo suppliciis dicitur, in quibus profecto quisque iuxta modum culpae cruciatur?* Postea subiungit responsionem: *Sanctus vir, postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente, subiungit, quia ipsa quoque supplicia, quae ordinata per iustitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Dum enim damnatus quisque foris flamma succenditur, intus caecitatis igne devoratur, atque in dolore positus exterius interiusque confunditur, ut sua deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis saevit. Quam tamen mira potentia iudicantis aequitas ordinat, ut poena animam quasi inordinata confundat, vel certe abesse ordo suppliciis dicitur, quia quibuslibet rebus in poenam surgentibus propria qualitas non servatur. In huius vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati iam coperit, quod timebat. Infernum vero & umbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat &c. hic flamma, quae succendit, illuminat; illic ignis, qui cruciat, obscurat &c.* Ordinata ergo sint damnatorum supplicia respectu *iustitiae divinae agentis*, quae non sine aequitate & ordine poenas distribuet, inordinata respectu *subiecti patientis*, quod modo harum, modo illarum poenarum insultus tolerare cogetur. Ordo erit in *quantitate poenarum*, qui enim gravius peccaverunt, gravius punientur; sed ordo non erit in *qualitate rerum*, quia omnis generis tormenta sibi inferri experientur.

IV) An in suppliciis infernalibus futurus sit aliquis ordo?

§. LXXV. VII) *An in suppliciis infernalibus futuri sint gradus?* Negarunt olim *Iovinianistae*, qui omnes peccatores ut in culpis ita & in poenis pares fore dixerunt, secuti *stoicos* qui & ipsi *omnia peccata pecerunt paria.* Augustinus de haeresib. cap. 82. Contrarium statuunt unanimi consensu omnes patres. Probatur autem illa diversitas graduum 1) Ex *scripturae dicto*. Sap. VI. 7. *Potentes potenter tormenta patientur.* 9. *Fortibus fortis instat scrutatio.* XI. 17. *Per quae quis peccat, per eadem & torquetur.*

VII) An in suppliciis infernalibus futuri sint gradus?

Hisce

Hisce dictis potissimum utuntur pii veteres, sed praeterquam quod ex libro apocrypho petita sunt, quaestionem propositam directe non attingunt. Coniungimus ergo dicta clariora novi testamenti Matth. X. 15. Luc X. 12. *Tolerabilius erit terrae Sodomorum ac Gomorraeorum in die iudicii, quam illi civitati, quae non receperit apostolos.* Matth. XI. 21. *Tyro & Sydoni tolerabilius erit in die iudicii quam vobis.* v. 23. *Terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi.* XXIII. 14. *Propter hoc accipietis κρισμα περισσοτερον.* v. 15. *Facitis eum filium gehennae διπλοτερον υμων* Luc. XII. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non praeparavit se, nec fecit voluntatem eius, vapulabit multis.* v. 48. *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, paucis vapulabit, cui multum datum est, quaeretur ab eo multum, & cui commendaverunt multum, ab eo plus petent.* Rom. II. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum Iudaei primum & Graeci.* 2) Ex *rationibus*, ac primo quidem ex *causa meritoria damnationis.* Peccata damnatorum sunt inaequalia, Ioh. XIX. 11. Ergo etiam supplicia erunt inaequalia, quia poena proportione respondet culpae. Rom. II. 6. *Reddet Deus unicuique secundum opera eius.* 2. Corinth. V. 10. *Quisque reportaait ea, quae in corpore gessit.* 1 Petr. I. 17. *Deus sine acceptione personarum iudicat secundum cuiusque opus.* Apoc. II. 23. XXII. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum reddere unicuique secundum opera sua.* Secundo ex *lege oppositionis.* Erunt gradus gloriae & praemiorum in vita aeterna, ut suo loco demonstrabitur. Ergo etiam erunt gradus ignominiae & suppliciorum in morte aeterna. 3) Ex *dictis veterum.* Basilius in regul. brevior. interr. 267. explicans dictum Christi Luc. XII. 47. & 48.

Illud multis & illud paucis, diversitatem supplicii declarat. Si enim Deus iudex iustus est, non bonis solum, sed etiam improbis reddens unicuique iuxta opera sua, fieri potest, ut alius quidem dignus sit igne inexstinguibili, atque hoc, ipso vel lenius vel acrius urente, alius vero verme nunquam morituro, atque hoc ipso nihilominus vel mitius quemque excruciante, vel severius pro meritis videlicet unius cuiusque, itemque alius gehenna habente prorsus, ipsa etiam varia tormentorum genera, similiterque alius exterioribus tenebris, quo in loco alius in fletu est solum, alius praeter fletum in stridore etiam dentium propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin & hae quoque tenebrae, quae vocantur exteriores, alias etiam prorsus esse interiores significant. Et illud, quod dictum est in proverbiis, in profundum inferni, *declarat quosdam esse quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui levioribus scilicet poenis adficiantur. Porro hoc ita esse, etiam nunc possumus per similitudinem adumbrate in morbis corporis intelligere. Siquidem est alius, qui praeter febrem alias etiam aliorum morborum accensiones habet, alius item, qui ex sola tantummodo febri laborat, & hic ipse diverso modo atque alius. Similiterque reperietur alius, qui febri quidem ipse non laborabit, dolore tamen membri alicuius vehementer cruciabitur, & hic ipse etiam alio aut acrius aut remissius.* Ephremus lib. de vera poenitent. cap. 7. *Varia sunt tormentorum loca; sunt enim tenebrae exteriores, haud dubium, quin & aliae interiores sint. Gehennae ignis locus alius stridori dentium proprius locus est vermis item immortalis alio in loco est. Stagnum ignis proprius locus est, suoque itidem loco ignis inexstinguibilis est. Inferni atque perditio suis terminis constant, & inferiora terrae alius locus. Inter haec supplicium loca distribuuntur infelicissimi, unusquisque pro*

peccatorum suorum modo sive mitius sive vehementius &c Sicut sunt peccatorum differentiae, ita & cruciatuum varietates. Aliter cruciatur adulter, aliter fornicator &c. (*) Chrysostomus homil. in Psalm. VI. *Uiderit etiam quispiam supplicii differentiam ex magna intelligentia & simplicitate, ut quando dicit:* Servus, qui cognovit voluntatem Domini, *&c. Multa etiam alia invenerit quispiam, quae faciunt differentiam punitionis, & differentiam misericordiae & benignitatis.* Confer etiam homil. IV. in epist. ad Ephes. Augustinus lib. IV. contra Donatistas de baptism. cap. 19. *Dubitandum non est, ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas & alias aliis acriores, ut in ipso igne aeterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit:* Tolerabilius erit Sodomis *&c. sed tamen ad non possidendum regnum Dei tantundem valet ex vitiis illis, quod elegeris mitius, quantum plura vel unum, quod perspexeris gravius.* Lib. I. de peccat. merit. & remiss. cap. 12. *Tanto gravior singulis pœna, quanto gravius quisque peccavit.* In enchirid. cap. 111. *In beatitudine alius alio praestabilius, in miseria vero alius alio tolerabilius permanebunt.* Gregorius lib. IX. moralium cap. 39. *Sicut in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subiicit disparitas criminis. Quae videlicet gehenna quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes aestuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris; sic damnatis & una est gehenna, quae adficit, & tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic, exhibet dispar causa meritorum.* Alcuinus lib. III. de Trin. cap. 21. *Quidam iuxta peccatorum qualitatem mitius torquentur, qui minorum scelerum pondere gravantur.* Lombardus lib. IV. sentent. distin. 49. lit. A. *Sicut boni differenter glorificabuntur, alii magis, alii minus, sic & mali differenter in inferno punientur. Sicut enim in domo Patris, id est, in regno cælorum mansiones multae sunt, id est, praemiorum differentiae, ita & in gehenna diversae sunt mansiones, id est, suppliciorum differentiae, omnes tamen aeternam pœnam patientur, sicut omnes electi eumdem habebunt denarium.* Hugo de s. Victore part. XVIII. libri de sacrament. cap. 5. *Nequaquam negandum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum, quamvis malorum aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro pœna digna cuiusque varietur: sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiatur.* Galatinus lib. XII. de arcan. catholic. veritat. cap. 6. circa finem adducit dictum ex midras thillem in Psalm. XI. *Septem habentur mansiones in gehenna pro impiis, &*

(*) Ephremus orat. de futuro iudicio f. 243. *Illud* vapulabit paucis, *non finem sed differentiam pœnarum declarat. Nam si Deus iustus est iudex, non bonis duntaxat, verum etiam improbis, reddens unicuique secundum opera sua, fieri potest, ut alius quidem igne sit dignus inexstinguibili, eoque vel acrius vel vehementius urente; alius vero verme nunquam morituro, & eo rursum aut mitius aut acrius excruciante, pro meritis nimirum unius cuiusque; alius item gehenna habente prorsus ipsa etiam diversa tormentorum genera; aliusque similiter tenebris exterioribus, quo in loco alius quidem solum in fletu est & planctu, alius vero etiam in stridore dentium propter cruciatuum scilicet acerbitatem & incrementum.*

& sunt istae: Scheol, id est, infernus. Abaddon, id est, perditio. Ghe, id est, vallis vel profundum. Dima, id est taciturnitas. Thalmavet, id est umbra mortis. Eretz tachtith, id est, terra inferior, & eretz tsia, id est, terra sitiens; hae sunt septem mansiones impiorum, cuilibet autem iuxta opera eorum domus ipsorum. Notandum tamen circa hanc pœnarum diversitatem, 1) quod omnes omnium damnatorum pœnæ futuræ sint *aeternae*, proinde ratione durationis nulla erit diversitas. 2) Quod non ratione specierum diversarum vel locorum distinctorum, ut quidam volunt, sed ratione distinctorum graduum illa inæqualitas sit statuenda. 3) Quod dispar ratio sit distinctorum in vita æterna præmiorum, ac diversorum in morte æterna supplicorum; illa enim sunt distincta divinæ gratiæ dona, quæ nullum habent ad merita humana respectum, hæc vero ad mala hominum merita, peccata scilicet, respectum obtinent, ut in seq. tract. plenius docebitur.

§. LXXVI. VI) *An damnatorum actiones omnes sint malae?* Passiones damnatorum moraliter bonæ erunt, quia a iustitia & voluntate divina omnis bonitatis regula progrediuntur, quamvis physice ac *naturaliter* damnatis sint malæ, id est, adversæ & inimicæ. Actiones vero damnatorum omnes erunt malæ: 1) Quia damnati erunt in malo obstinati ac obdurati. Pravitas voluntatis, in qua & cum qua fuere mortui, immobiliter ac immutabiliter in perpetuum eis adhærebit. 2) Quia semper erunt in actuali Dei odio, quod ex perpetua & immota consideratione miserrimi status, in quo se norunt in omnem æternitatem permansuros, in ipsis oritur. Inde etiam perpetuo ac directe avertunt se a Deo, summo bono, ad cuius gloriam omnia deberent referre. 3) Quia *blasphemabunt Deum prae doloris & cruciatuum magnitudine*, Apoc. XIV. 11. iam vero ubi blasphemia Dei cui unice summus honor debetur, ibi nihil potest esse boni. 4) Quia etiam diabolorum actiones sunt malæ. Gregorius lib. XVIII. moral. cap. 1. *Omnis voluntas diaboli iniusta est.* Glossa ordinaria 2 Cor. 6. *Sicut Christus omnia bene, sic diabolus omnia male.*

VIII) An omnes damnatorum actiones sint malae?

§. LXXVII. Antithesis. 1) Philo videtur in ea fuisse sententia, *infernum nihil aliud esse quam conscientiae horrorem*, quia in libro de congressu quærendæ eruditionis gratia in enarrat. loci Gen. XVI. *Ingredere ad antillam meam, si forte ex ea suscipias filios &c.* sic differit: *Deus iniustam impiamque animam fugatam a se ipso longissimo dissipat in locum concupiscentiarum ac facinorum, qui locus impiorum vocatur aptius, quam ille fabulosus apud inferos, revera enim infernus nihil aliud est quam vita miseri, scelerati, exsecrandique hominis.* Origenes homil. IX. in diversos Matthæi locos idem sentit: *Vermis*, inquit, *qui non morietur, & ignis, qui non exstinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos, quia vitio atque peccato suo tanto caruerunt bono, iuxta illud, quod dicitur Psalm. 31. Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina.* Sed eruditi merito dubitant, an illa homilia sit Origenis. Hieronymus in epistola ad Avitam enumerans Origenis hæreses, inter alia etiam hanc recenset his omnino verbis: *Origenes lib. II. περι αρχων ignem gehennae & tormenta, quae scriptura sancta peccatoribus* com-

Antithesis.

comminatur , non ponit in suppliciis , sed in conscientia peccatorum , quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur , & veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis universa vitiorum seges exoritur , & quidquid feceramus in vita , vel turpe vel impium , omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur , ac praeteritas voluptates mens intuens conscientiae punitur ardore , & pœnitudinis stimulis confoditur. Idem in epist. ad Ephes. 3. *Quia sunt plerique , qui dicunt , non futura pro peccatis esse supplicia , nec extrinsecus adhibenda tormenta , sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro pœna , dum vermis in corde non moritur , & animo ignis accenditur in similitudinem febris , quae non torquet extrinsecus aegrotantem , sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione , quod possidet. Has itaque persuasiones & decipulas fraudulentas Paulus verba inania adpellavit & vacua , quae videntur florem quemdam habere sermonis & blandiri peccantibus , sed dum fiduciam tribuunt , magis eos ferunt ad aeterna supplicia.* Ex quibus constat , iniuriam Hieronymo inferri a Ruffino , qui dogmatis huius fautorem eum facit propterea quod lib. XVIII. in Esaiam circa finem absque erroris confutatione vel accusatione illud referat.

§. LXXVIII. II) *Photiniani* statuunt , *impios vel nunquam resuscitandos , vel post resurrectionem ac iudicium in nihilum redigendos* , definiunt igitur damnationem per *ανυπαρξιαν* , ut ostendimus in tract. de resurrectione §. CI & in hoc ipso tract. §. XXIV. Atqui 1) scriptura infernales pœnas non describit per *ανυπαρξιαν* , sed per *cruciatus ac supplicia* acerbissima in anima & corpore æternum sustinenda , ut ex hactenus dictis manifestum. Certe dives epulo in inferno constitutus exemplo suo luculente testatur esse locum *tormentorum* , non autem redactionem in nihilum. 2) *Damnati quaerent mortem , sed non invenient eam , desiderabunt mori , & mors fugiet ab eis* Apoc IX. 6. quod si ergo nec mortem impetrare possunt , quanto minus *ανυπαρξιαν*. 3.) Quando *mors aeterna* illis tribuitur , æternus eorum cruciatus in anima & corpore tolerandus , non autem adnihilatio significatur , ut superius ostendimus. 4) Ipsa sceleratorum conscientia testatur , alias scelerum pœnas post hanc vitam restare , neque cum morte omnia finiri. 5) Si impiis non metuenda esset gravior aliqua pœna quam redactio in nihilum , non foret ipsius melius non fuisse natos , Matth. XXVI. 24. Marc. XIV. 41. Quidam verba Christi sic accipiunt , quasi ludæ melius dicatur *fuisse tum nondum esset , quam cum natus esset* , sed illis Hieronymus in comm. recte hoc opponit , quod *nulli possit esse bene , nisi qui fuerit ;* & Augustinus lib. I. quæst. evang. q. 40. dicit , *non potest bonum aliquid esse ei , qui non est.* Quidam existimarunt , Christum loqui de *regeneratione Iudae* , quasi dicatur satius esse illum Christo nondum esse natum per vocationem & Christi agnitionem. At Christus non loquitur de spirituali , sed de carnali nativitate , ut textus evidentia arguit , ac simpliciter dictum est , monente Hieronymo *multo melius esse non subsistere , quam male subsistere.* Quare non *απλως* sed *κατα τι* hoc accipiendum , non quod non nasci ac non esse per se sit bonum , sed quod in comparatione ad æternam damnationem melius sit nunquam nasci. 6) Photiniana illa opinio fomentum securitati & impietati præstat. Gregorius lib. XXXIV. moralium cap. 16. *Levia-*

Leviatan iste (Diabolus) *aestimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de futuro iudicio, quod quasi finiatur, infundat. Abyssum namque senescere aestimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. Igitur antiquus iste persuasor in membris suis, id est in mentibus iniquorum futuras poenas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas fine termino correptionis extendat, & eo magis hic peccata non finiunt; istic aestimant peccatorum supplicia finienda. Sunt enim nunc etiam, qui idcirco peccatis suis finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem futura super se iudicia suspicantur: Quibus breviter respondemus, si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum.*

§. LXXIX. III) Bellarminus lib. IV. de eccleſia cap. 8. hæreſ. 3. tribuit Calvino, quod ſtatuerit, *infernum nihil esse, nisi conscientiae horrorem*, propterea quod lib. III. inſtit. cap. 25. §. XII. ſcribit, *tormenta reproborum nobis figurari per res corporeas, nempe per tenebras, fletum, stridorem dentium, ignem inextinguibilem, vermem sine fine tor arrodentem, cum divinae in illos ultionis gravitatem nulla descriptio aequare possit.* Mortonus in apolog. cathol. part. I. cap. XXVII. opponit Bellarmino locum ex ipſo Calvino, in quo pœnis corporeis reprobos puniendos adſerat. Bucanus inſtit. theol. loco XL. p. 457. inter errores recenſet illud Origenis, quod *infernus nihil sit, nisi horror conscientiae.* IV) Beato Luthero tribuunt pontificii, quod *negaverit gradus suppliciorum infernalium*, per hypotheſin illam, quod ſola incredulitas damnet. Reſpond. oſtendimus in tract. de bon. operibus §. XXXIV. ac diſp. VI. de ſtud. pietat. §. III. fundamenta & verum ſenſum illius adſertionis: *Infidelitas est causa damnationis*, formalis ſcilicet, adæquata & immediata, interim etiam reliqua peccata ſunt cauſa damnationis meritoria. Adde, quod in ipſa quoque incredulitate ſint certi quidam gradus. Quibus enim beneficia Chriſti in verbo evangelii fuere oblata, quæ tamen fide recipere noluerunt, illorum incredulitas eſt longe gravius peccatum, quam eorum, quibus evangelium de Chriſto non eſt prædicatum; illorum incredulitas poteſt dici *poſitiva*, eſt enim pravæ diſpoſitionis, horum vero *negativa*, eſt enim puræ negationis.

CAPVT VII.

DE CAVSA FINALI INFERNI.

Finis inferni praeparati.

§. LXXX. Expoſita cauſa *efficiente*, *materia* & *forma* inferni conſequens eſt, ut ad *cauſam finalem* deſcendamus. *Finis*, propter quem Deus infernum præparabit, & diabolos ac impios homines in eum detrudet, duplex eſt: *Principalis ac summus* divinæ iuſtitiæ manifeſtatio; *proximus ac intermedius* impiorum iuſtiſſima pœna, piorum vero lætitia & gloria ſempiterna. Quia enim Deus eſt iuſtus iudex & ignis conſumens,

Vindicibus flammis sibi qui contraria delet,
Ipseque iustitiae regula sola manet;

ideo diabolos rebelles & homines pertinaciter incredulos in æternum ignem procul a se ablegabit, ut tum *iustitiam*, suam erga impios, quos ob prævisam finalem eorum impœnitentiam & incredulitatem reprobavit, tum *misericordiam* suam erga pios, quos in Christo fide adprehenso ante iacta mundi fundamenta elegit, tum *potentiam* in coercendis ecclesiæ hostibus, diabolis & persecutoribus, 1 Cor. XV. 25. tum *veritatem* suam in comminationibus ac promissionibus manifesto opere testatam faciat, & consequenter sanctissimam nominis sui gloriam potentissime & augustissime adserat; inde cum David Psalm. XI. 6. dixisset: *Pluet Dominus super impios laqueos, ignem & sulphur & spiritum procellarum partem calicis eorum;* subiungit αιτιολογικως v. 7. *Quoniam iustus Dominus iustitias dilexit.* 2 Thessal. I. 6. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos adfligunt &c.* v. 9. *Impii pœnas dabunt exitium sempiternum a facie Domini & a gloria virtutis eius:* sive a glorioso robore eius, id est, ut suam potentiam & gloriam in puniendis impiis ac hostibus suis manifestum faciat. Apoc. XX. 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris &c.* ubi descriptio *subiecti* exponit causam *praedicati*; ideo enim diabolus in stagnum ignis mittetur, quia a Deo aversus etiam homines quam plurimos seducit, & a Deo avertit. Quemadmodum iudex terrenus maleficos in carcerem coniiciens amorem iustitiæ manifestat; sic Christus, iudex omnium divinitus constitutus, iudicium ac iustitiam demonstrabit, quando damnatos dæmones & homines æterno carceri mancipabit. Gregorius libro XXXIV. cap. 16. circa medium recitat obiectionem eorum, qui infernalium supplicium æternitatem negant. *Nullus iustus*, inquiunt, *crudelitatibus pascitur, & delinquens servus a iusto domino idcirco caedi praecipitur, ut a nequitia corrigatur, ad aliquid ergo caeditur, cum non eius cruciatibus dominus delectetur. Iniqui autem gehennae ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? & quia certum est, quod pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri, si non expiantur?* Ad eam vero sic respondet: *Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur, quia autem iustus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes aeterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut iusti omnes & in Deo videant gaudia, quae percipiunt, & in istis respiciant supplicia, quae evaserunt, ut tanto in aeternum magis divinae gratiae se debitores esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciant, quae eius adiutorio vitare potuerunt.* Bernhardus serm. VIII. in Psalm. Qui habitat in altissimis. *Ridebis in impiorum interitu, non quod velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceat, sed quod modus ipse pulcherrimus divinae ordinationis, ultra quam credi possit, iustitiae zelatorem & amatorem aequitatis oblectet, ubi optime omnia constituta & suum cuique cessisse locum, imo in suum quemque cessisse, plenius & perfectius illustrante veritate cognoscres, quomodo non omnia considerare & in omnibus omnium moderatorem magnificare lubebit? Itaque oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis primo quidem ob tuam evasionem, secundo ab omnimodam securitatem, tertio quoque ob comparationem, quarto ob ipsius iustitiae perfectam aemulationem.* Confer, quæ diximus superius §. XXXI.

CAP. VIII.

CAPVT. VIII.

DE OBIECTO INFERNI.

Obiectum inferni.

§. LXXXI. *Obiectum*, cui paratus infernus, sunt: 1) *diaboli*, 2) *homines finaliter impii & increduli.*

I) Diaboli.

1) De *diabolis* exstat manifestus locus Matth. XXV. 41. *Discedite maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo & angelis eius;* cum quo coniungenda dicta apostolica 1 Cor. VI. 3. *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* 2 Petr. II. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed catenis inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium servatos.* Iudae v. 6. *Angelos, qui non servaverunt suum principatum &c. in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Apoc. XX. 10. *Diabolus missus est in stagnum ignis.* v. 14. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* Pii veteres huc accommodant locum propheticum Esai. XIV. 13. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer*, de quo videatur §. XVI. ut & XXX. 33. *Etiam regi praeparata est fovea.* II) Ex *humana genere* quosdam una cum diabolis in aeternum inferni ignem proiiciendos; testatur processus extremi iudicii descriptus Matth. XXV. ibi enim clarissimis verbis adfirmatur, Christum ad homines impios ad sinistram constitutos dicturum: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo*, 41. Quod ergo diabolo paratus dicitur inferni ignis, illud non est accipiendum *exclusive*, sed *inclusive*, ut in eo tanquam capite intelligantur membra, tanquam principe subditi, tanquam patre filii, id est, omnes finaliter impii & increduli, quos auctor libri sapientiae dicit esse της εκεινης μεριδος, Sap. II. 24. Confer tract. de extrem. iudic. §. XLV. Caeterum de damnatione *hominum* scriptura γενικως testatur, plures in die iudicii adiudicandos esse inferno, inferendos caelesti paradiso. Matth. VII. 13. *Intrate per angustam portam, quia lata porta est & spatiosa via, quae ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* v. 14. *Sed angusta porta & arcta est via, quae ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam;* in quae verba Lactantius lib. VI. institut. cap. 3. sic commentatur: *Duae sunt viae, per quas humanam vitam progredi necesse est, una, quae in caelum ferat, altera, quae ad inferos deprimat, quas & poetae in carminibus & philosophi in disputationibus suis induxerunt.* Prosper Aquitanicus in sent. August. epigr. CXCI.

II) Homines impii.

Arcta via est, verae quae ducit ad atria vitae,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatiis terrena voluptas,
Angusto virtus limite celsa petit.

Luc. XII. 32. *Noli timere pusille grex, quia Patri vestro complacuit dare vobis regnum.* XIII. 23. *Cum quidam ex Christo quaereret, an pauci sint, qui salvantur*, respondit perquam pathetice v. 24. αγωνιζεσθε *intrate per angustam portam &c.* Idem colligitur 1) ex *libro Esdrae apocrypho* lib. IV. 9. 15. *Plures sunt, qui pereunt, quam qui salvabuntur.* 16. *Sicut multiplicantur fluctus super guttam.* v. 22. *Pereat multitudo, quae sine causa nata est,* &

& ſervetur acinus meus & plantatio mea quia cum malto labore perfeci. 2) Ex *diluvii & Sodomitici incendii typo.* In diluvio *pauci, hoc eſt, octo animae ſervatae ſunt per aquam*, 1. Petri III. 20. ſic ab illo infernalis ignis diluvio pauci ſervabuntur. In Sodomitico incendio ſolus Loth cum coniuge ac duabus filiabus ſalvus evadebat; ſic in die iudicii pauci homines iræ divinæ incendium effugient, Geneſ. XIX. 24. Luc. XVII. 29. Huc etiam referri poſſunt ſimiles typi. Ex tanta Iſraelitarum copia, qui e ſervitute Ægyptiaca exierant, ſolus Ioſua ac Calebus promiſſam terram ingrediebantur: ex captivitate Babylonica pauci cum Eſdra Hieroſolymam revertebantur &c. 3) Ab *exiguo vere piorum & electorum numero* Eſai I. 9. VI. 13. Sophon. III. 12. Matth. XX. 16. XXII. 14. Rom. IX. 29. 1 Cor. I. 26. &c. 4) Ab *ampliſſimo damnandorum catalogo*, quem poſtea ſubiiciemus.

§. LXXXII. Neque enim duntaxat γενικως, *in genere*, Spiritus ſanctus teſtatur, plures aliquando fore damnatos quam ſalvos, ſed etiam ειδικως, ac *in ſpecie* oſtendit, quinam æternæ damnationi aliquando futuri ſint obnoxii, videlicet omnes *finaliter impœnitentes & increduli.* Propter peccatum protoplaſtorum omnes homines naſcuntur cum peccato originali, ut ſuo loco ex clariſſimis ſcripturæ dictis oſtenditur, inde etiam *natura* omnes ſunt *filii iræ*, Eph. II. 3. ac æternæ damnationi obnoxii. Contra hoc malum omnibus in Chriſto paratum & in evangelio oblatum eſt remedium vera fide acceptandum; ab illo quotquot ſunt alieni, id eſt, qui vel Chriſtum non recipiunt vera fide, vel fidem iterum excutiunt, adeoque in finali incredulitate moriuntur, illorum animæ ſtatim poſt mortem in carcerem infernalem detruduntur, iidemque in reſurrectione univerſali una cum corporibus ſuis in hunc tormentorum locum proiicientur, unde proponimus hoc theorema, quod eſt æternæ & immotæ veritatis: *Ex hominibus illi omnes & ſoli damnabuntur, qui in finali incredulitate ex hac vita decedunt;* proinde incredulitas eſt propria, formalis immediata & adæquata damnationis cauſa. Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. & 36. 2 Theſſ. I. 8. *Dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 1. Ioh. V. 12. *Qui non habet Filium Dei, non habet vitam.* Quia vero incredulitas ille, utpote mala arbor, malos fructus profert, ideo Spiritus ſanctus incredulos damnationi obnoxios ab æternis effectis deſcribit, idque iterum vel *in genere*, vel *in ſpecie.* In genere, quando eos vocat *impios peccatores, operarios iniquitatis, filios diaboli &c.* Iob. XXIV. 19. Pſal. IX. 18. *Convertantur impii ad infernum.* Pſal. XI. 6. XXI. 9. XLIX. 15. Eſai. XXXIII 11. Malach. IV. 1. Matth. VII. 23. Rom. II. 9. Iudæ v. 15. &c. In *ſpecie*, quando illis vel corruptelas doctrinæ vel impietatem vitæ tribuit; hæc enim duo, videlicet hæreſes & peccata contra conſcientiam, ſunt cauſæ φθαρτικαι fidei, cum quibus illa minime conſiſtit, inde inferno adiudicantur *haeretici ac ſeductores*, peculiariter *Antichriſtus* cum ſuo ſodalitio, Apoc. XIX. 20. XX. 10. *eccleſiae perſecutores*, 2 Theſſ. I. 6. *Epicuraei & illuſores*, Eſai. XXVIII. 15. *potatores*, Eſai. V. 14. *ſcortatores & adulteri*, Prov. V. 5. IX. 18. *immiſericordes, operibus caritatis deſtituti*, Matth. XXV. 41. *infrugiferi*, Matth. III. 10. VII. 19. *ſeditioſi*, Num. XVI. 33. *ſuperbi* Eſai. XIV. 13. Mal. IV. 1. *avari*, Pſalm

Psalm. XLIX. 15. Baruch. III. 15. &c. Cumprimis vero Paulus in suis epistolis ac Iohannes in apocalypsi prolixum & adcuratum catalogum damnatorum recensent, *das ist das schwarze Register*, Rom. I. 29. 30. 31. & 32. 1 Cor. VI. 9. 10. Gal. V. 19. 20. & 21. Eph. V. 3. & 4. Colos. III. 5. & 6. 1 Tim. I. 9. & 10. 2 Tim. III. 2. 3. 4. & 5. Apoc. XXI. 8. *Timidis*, δειλοις, qui metu persecutionis ac mortis veritatem cœlestem abnegant, diffidentia plenis, desperabundis, *& incredulis & exsecratis*, ἐβδελυγμενοις, qui horrenda & abominanda flagitia designant, *& homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris & omnibus mendacibus*, hæreticis & impiis, quia & errores & iniquitates dicuntur mendacia, *hypocritis*, qui externa tantum specie Christianismum metiuntur ac mentiuntur, *pars illorum erit in stagno ardente sulphure & igne, quod est mors secunda.* Apoc. XXII. 15 *Foris*, extra cœlestem Hierosolymam sunt *canes*, impuri, impudici, impudentes, Deut. XXIII. 17. Phil. III. 2. *& venefici & adulteri & homicidae & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium* Cyrillus lib. VI. in Ioh. X. p. 314. *Non omnibus mors illa communis est, sed pravis duntaxat & corruptae vitae hominibus est peculiaris, summopere tamen formidanda, quoniam non temporalis est, aut momentanea, sed interminabilis & perpetua.* Fulgentius de fide ad Petrum diacon. cap. 3. *Qualitas malae vitae ab infidelitate incipit, quae ab originalis peccati reatu initium sumit, in quo quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab eius obligatione solvatur, si unius diei vel unius horae spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennae sustinere supplicia, ubi diabolus cum angelis suis in aeternum arsurus est &c. Ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces, si ante huius vitae terminum a viis suis malis conversi non fuerint, aeternis exurentur.* Gregorius libro IX. moralium cap. 39. *Fasciculos ad comburendum ligare est hos, qui aeterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut, quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, & qui nequaquam dispari iniquitate pollutisunt, nequaquam dispari tormento cruciantur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevat, quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet adflictio, & par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati,* Cap. 40. *Quamvis angelorum atque hominum longe sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat, quos unus in crimine reatus ligat.*

CAPVT IX.

DE SVBIECTO INFERNI.

Subiectum inferni.

§. LXXXIII. *Subiectum* pœnarum infernalium sunt non solum *animae*, sed etiam *corpora* damnatorum. Animas impiorum statim a morte in locum tormentorum detrudi, inque eo cruciatus perpeti, manifestum est ex concione Christi Luc. XVI. 23. & sequentibus, quod ipsum in tractat. de morte §. CLXII. pluribus comprobatum dedimus. Quod autem ipsa quoque damnatorum corpora ex pulvere

terræ ſuſcitata ac ſuis animabus reduni-
ta, in die noviſſimi iudicii in ignem in-
fernalem proiicienda, inque eo æternis
ſuppliciis ſubiicienda ſint, patet 1) ex
dictis ſcripturae: Matth. X. 28. *Timete
eum, qui poteſt animam & corpus perdere
in gehenna*, non trucidando ſed cruciando, quo etiam ſenſu damnatio *mors ſe-
cunda* vocatur. XXV. 41. Chriſtus ad
impios cum ſuis corporibus reſuſcitatos
& ad ſiniſtram conſtitutos dicet: *Diſce-
dite a me maledicti in ignem aeternum.* 2
Cor. V. 10. *Referet unusquisque ea, quae
per corpus geſſit.* Apoc. XX. 13. *Dedit
mare mortuos, & mors & infernus dede-
runt mortuos.* v. 14. *Et infernus &
mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* 2) Ex
eorum exemplis, qui vivi in & cum ſuis
corporibus ad infernum deſcenderunt.
Num. XVI. 33. Pſalm. LV. 16. Apoc.
XIX. 20. 3) Ex *rationum* momentis.
Primo a *cauſa meritoria damnationis*. Cor-
pora impiorum fuerunt *arma iniquitatis
& iniuſtitiae*, Rom. VI. 13. organa fla-
gitiorum, vaſa impuritatum; impii
per corpus & in corpus ſuum pecca-
runt, 1 Cor. VI. 18. iuſtum igitur eſt,
ut quae *coniuncta fuerunt in culpa, eadem
etiam ſocientur in poena.* Secundo a *fine
reſurrectionis*. Non pii ſolum, ſed etiam
impii aliquando reſuſcitabuntur, ut ſuo
loco demonſtravimus. *Pii* quidem, ut
regnum cœleſte ſibi paratum a conſti-
tutione mundi ingrediantur; *impii* vero
ut debitas peccatorum ſuorum pœnas
recipiant. Dan. XII. 2. Ioh. V. 29. hic
finis reſurrectionis locum non obtineret,
niſi ipſa quoque impiorum corpora pœ-
nas participarent. Tertio ex *antitheſi
glorificationis*. Pii non ſolum in anima-
bus, ſed etiam in glorificatis ſuis cor-
poribus praemia recipient. Ergo etiam
impii in ſuis tum animabus tum corpo-
ribus ſupplicia ſuſtinebunt. 4) Ex *ve-
terum pronunciatis*. Martialis in epiſt. ad
Burdegalenſes cap. 4. *Anima moritur
per homicidium, corpus vero, quod tanto
peccato eſt ſubditum, in impiorum poenis
aeternaliter excruciabitur cum anima ſua
poſt illum diem, quando verus Deus &
verus homo iudicabit omnes gentes.* Ter-
tullianus in apol. adv. gentes cap. 48. p.
79. *Certe quia ratio reſtitutionis deſtina-
tio iudicii eſt, eo quod omnino de iudicio
Dei debent, neceſſario idem ipſe qui fuerat,
exhibebitur, ut boni ſeu contrarii meriti
iudicium a Deo referat, ideo repraeſen-
tabuntur & corpora, quia neque pati quid-
quam poteſt anima ſola ſine ſtabili materia,
id eſt, carne, & quod omnino de iudicio
Dei pati debent, non ſine carne meruerunt,
intra quam omnia egerunt.* Lib. de re-
ſurr. carn. cap. 35. p. 331. *Caro niſi
reſuſcitata in gehennam non poterit occidi.*
Et poſtea: *Unde erit fletus & dentium
frendor in gehenna, niſi ex oculis & denti-
bus? occiſo ſcilicet etiam corpore in gehen-
nam & detruſo in tenebras exteriores, quae
oculorum propria ſunt tormenta &c.* La-
ctantius lib. VII. inſt. cap. 21. *Docent
nos ſanctae literae, quemadmodum poenas
impii ſint laturi. Nam quia peccata in cor-
poribus contraxerunt, rurſus carne indu-
entur, ut in corporibus piaculum ſolvant,
& tamen non erit caro illa, quam Deus
homini ſuperiniecit, huic terrenae ſimilis,
ſed inſolubilis ac permanens in aeternum,
ut ſufficere poſſit cruciatibus & igni ſempi-
terno.* Cyrillus Hieroſolymitanus catech.
XVIII. *Si peccator eſt, accipiet corpus ae-
ternum, quo ſufferre poſſit poenas peccato-
rum, ut perpetuo in igne ardeat, ut nun-
quam diſſolvatur. Et iuſte utrisque his or-
dinibus Deus hoc praebebit, nihil enim ſine
corpore a nobis geſtum eſt. Blaſphemamus
per os, oramus per os, expiamus per os.
Luxuriamur corpore, caſti ſumus per cor-
pus, rapimus per manus, eleemoſynas da-
mus*

mus per manum, & reliqua similiter. Cum igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum eius percipiet. Prudentius in apotheosi:

Quae (anima) *quia materiam peccati e vomite carnis*

Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali

Est incentivum peccaminis, implicat ambas

Vindex poena reas, peccantes mente sub una.

Peccatique cremat socias cruciatibus aequis.

Cæsarius homil. XXXVIII. *Peccatores cum carne descendunt in infernum, iusti cum carne percipient regnum. Quia iustum iudicium Dei erit, ut illa caro, quae hic peccavit & poenitentiam non egit, ipsa cum anima in igne crucietur. Similiter & illa caro, quae hic propter Christum cruciatur, ipsa caro & anima cum Christo & cum omnibus sanctis in paradiso laetabitur.* Anshelmus lib. de similitud. cap. 56. *Sit ante oculos cordis positus exempli causa homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam & in singulis membris ferrum ignitum & candens infixum habeat, ita ut nec medulla, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatus immanitate illius careat &c.* Gregorius lib. IX. moralium cap. 38. circa finem: *Qui auctore suo corde & corpore deliquerunt, simul corde & corpore punientur, & utrobique poenas sentient, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant, unde bene per prophetam dicitur: Descenderunt in infernum cum armis suis*, Ezech. XXXII. 27. confer ea, quae dicta §. XVI. Isidorus libro I. de summ. bono cap. 3. *Damnatorum mentem uret tristitia & corpus flamma, iuxta vicissitudinem, ut qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, simul & animo puniantur & corpore.* Idiota de conflictu carnis cap. 2. *Anima cum carne in gehenna cruciandа est.* Haymo domin. II. post Pent. *Iustum est, ut qui anima simul & corpore peccant, ante iudicium in anima, post iudicium vero in anima & corpore crucientur.* Inde duae poenarum infernalium species a veteribus statuuntur. Una quidem inferorum, ubi ardebat ille dives, qui volebat stillam aquae defluere in linguam de digito pauperis, quem ante ianuam suam contemserat: altera est illa in fine, de qua audituri sunt, qui ad sinistram ponendi sunt: *Ite in ignem aeternum* &c.

CAPVT X.

DE ADIVNCTIS INFERNI.

Adiuncta inferni:
1) *Tempus.*
2) *Locus.*

§. LXXXIV. Adiuncta inferni sunt *tempus* & *locus*. De *tempore* diximus superius §. XXXI. & 55. De *loco* inferni variae exstant tam veterum quam recentiorum sententiae. Quidam statuunt, in huius vitae caligine inferni locum investigari non posse, ideoque a curiosa eius inquisitione merito abstinendum esse, quo adcommodant illud Iobi XXXVIII. 17. *Num quid detectae tibi sunt portae mortis, & portas umbrae mortis* id est, inferni, *vidisti?* v. 19. *Ubi via, in qua habitat lux, & tenebrarum ubi sit locus?* v. 20. *Num accepisti eam ad terminum suum, &*

intellexisti semitas domus eius? Gregorius Nyssenus lib. de resurrect. & anim. pag. 194. *Quamdiu urgendo & inflando primariam praecipuamque doctrinam nempe quod post hanc vitam, quae in carne degitur, animae sint, percutere ac labefactare conabuntur, nullam de loco* (inferorum) *controversiam nostra movebit oratio.* Chrysostomus homil XXXI. in epist. Roman. XVI. pag. 222. Πε φησι, και εν ποιω χωριω αυτη εσται η γεεννα; τι σοι τουτο μελει; το γαρ ζητουμενον, δειξαι οτι εστιν, ου τουτο τεταμευται και εν ποιω χωριω, μη τοινυν ζητωμεν, που εστιν, αλλα πως αυτην φυγοιμεν. *Ubi, inquis, & in quo loco erit illa gehenna? ut quid istud curas? quaestio siquidem est, ut ostendatur, quid sit, non ubi recondita sit, & in quo loco. Non igitur quaeramus ubi sit, sed quomodo illam effugiamus.* Eadem repetit sermon. de præm. sanctor. & de gehenna tom. III. pag. 334. Augustinus libr. XX. de civitat. Dei cap. 16. *Ille ignis in qua mundi vel rerum parte sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.* Gregorius libro. IV. dialog. cap. 42. rogatus a Petro, *ubinam esse infernus credendus sit?* respondet: *hac de re temere definire non audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt; alii vero hunc sub terra esse aestimant.* Horum modestiam iudicamus esse tutissimam & omni præconio dignissimam. Quidam vero de loco inferni certi aliquid statuunt, sed in duas abeunt partes. Quidam enim existimant, *extra* hunc visibilem mundum quærendum esse inferni locum. Quidam vero *intra* eius systema eumdem concludunt. In priori classe eminet Chrysostomus dicto loco subiungens, εξω που, ως εγωγε οιμαι, του κοσμου τουτου παντος. Cum enim damnatorum status ac conditio ab eorum, qui in hoc mundo vivunt; statu plurimum sit diversa, ideo videtur etiam locus aliquis ab hoc mundo longissimo intervallo seiunctus illis convenire. Quemadmodum carceres & metalla regum porro distant; ita coelum & damnatorum locus. Qui posteriorum classem complent, diversis etiam ipsi scinduntur opinionibus, 1) Quidam enim suspicantur, locum inferni esse *aerem illum obscurum & caliginosum*, in quo dæmones versantur. Gregorius Nyssenus libr. de anim. & resurrect. p. 193. *Non aliud quidpiam mihi videtur tum in externorum tum in divina scriptura per nomen inferni significari, in quo animas esse dicunt, praterquam in id, quod & obscurum est & non videtur, transitionem &c.* Idem statuere videtur auctor operis imperf. in Matth. homil. LIII. p. 283.. Eorum opinioni robur ad quiri posset ex eo, quod Eph. VI. 12. diaboli dicuntur κοσμοκρατορες του σκοτους του αιωνος τουτου, ac τα πνευματικα της πονηριας εν τοις επουρανιοις, cum tamen *in tartarum* dicantur *detrusi* 2. Petri II. 4. 2) Isidorus suspicatus est, *infernum esse sub ipso telluris globo*; sic enim contra ipsum disputat Baptista Mantuanus libr. III. de patientia cap. 23. *Damnatorum locus non sub ipso globo, ut Isidorus putat, sed in ipsius globi terrestris medio, tellure ipsa sinum & quasi alveum aperiente, credendus est. Isidorus autem dixit, futurum esse, ut post iudicium solis & lunae orbes ita firmentur, ut huic nostro tantum hemisphaerio lucem infundat, damnatos vero in sempiternam noctem alterius hemisphaerii relegandos, ubi esse a multis putantur antipodes. Sed haec*, inquit, *est iampridem explosa sententia.* 3) Chrysostomus homil. XXXI. in epist. ad Rom. & in hom. de præmiis sanctorum & honoribus apostolorum & gehenna refert, multos existimare, *gehennam esse in valle Iosaphat. Non-*

Nonnulli, inquit, *id, quod de valle Iosaphat a bello quodam praeterito sic dicta, in scripturis habetur, ad infernum trahunt.* Idem refert Gregorius libro IV. dialog. cap. 42. Huic opinioni probabilitas posset conciliari ex adpellatione, quod scriptura infernum vocet *gehennam.* Sed ostendimus superius, non ratione loci, verum ob alia quaedam comparationis membra hoc nomen inferno tribui. 4) Quidam in genere dicunt *esse locum subterraneum.* Tertullianus in apologet. cap. 45. infernum vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* Libr. de anim. cap. 54. *Nobis inferi non nuda cavositas, neque subdivalis aliqua mundi sentina credantur, sed in fossa terrae & in alto vastitas & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* Cyrillus libr. de recta fide ad Theodos. tom. III. p. 266. vocat *subterraneas specus.* Hieronymus in Ephes. IV. super verba: *Descendit ad inferiores partes; infernum sub terra esse nemo iam ambigat.* Augustinus libr. II. retract. cap. 24. *De inferis magis mihi videor docere debuisse quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur; quasi non ita sit.* Gregorius libro IV. dialog. cap. 42. *Non video, quid obstet, ut sub terra infernus esse credatur.* Innocentius lib. III. de contemt. mund. cap. 6. *Creditur infernos esse sub terris, secundum illud* Esai. XIV. *Infernus subter te conturbatus est.* Eadem videtur sententia Damasceni libro III. cap. 29. Bedae libro III. in Iob. VII. Primasii Apocal. VII. Anshelmi in elucidario &c. 5) Quidam in *abysso maris* inferni locum quaerunt, permoti dubio procul adpellatione abyssi inferno attributa. Keckermanus in system. theolog. cap 7. pag. 288. *Probabile est, infernum in profundioribus terrae marisque speluncis esse.* 6) Quidam in specie ac determinate in *centro terrae* infernum statuunt, quam opinionem pontificii communi consensu hodie amplectuntur, ut constat ex Barradio libro X. comment. evangelicor. cap. 4. pag. 618. Bellarminus libr. IV. de Christo cap. 10. &c. Quin & *ostium* sive aditum inferni demonstrare non verentur. Gregorius libr. XV. moralium cap. 30. memorat, *quemdam anachoretam vidisse regem Theodoricum inter Iohannem papam & Symmachum patritium discinctum, discalceatum ac devinctis manibus deductum in ollam Vulcani insulae Lipari vicinam esse iactatum.* Cap. 55. *Quod Eumorphius morti vicinus in Siciliam se duci testatus est, quid sentire aliud potest, nisi quod prae caeteris locis in eius terrae insulis eructante igne tormentorum ollae patuerunt, quae ut solent narrare, qui noverunt, laxatis quotidie finibus exsrescunt, ut mundi termino adpropinquante, quanto certum est illuc amplius exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri.* Idem repetit libr. IV dialog. 9. p. 45. quem locum adlegans Bellarminus libr. II. de purgatorio cap. 16. scribit, *Gregorium putasse, varias eruptiones ignis, quae in terra adparent, esse indicia quaedam inferni intra terrae viscera existentis.* Laurentius Surius in historia anni 1537. postquam dixisset, *naturales quasdam rationes terribilis illius ignis Aethnaei montis a philosophis adferri*, subiungit, *verisimile esse, quidquid statuant philosophi, iis in locis esse quaedam tartari ostia aut loca puniendis animabus destinata, quemadmodum in Islandia Insula mons est occidentem versus Hecla dictus, a quo non longe absunt fodinae sulphuris, quod inde copiose plenis navibus evehitur, visuntur illic mortuorum spiritus, qui in nota specie offerunt se familiaribus colloquiis hominum, idque adeo, ut adhuc vivere putentur ab illis, qui eos nesciunt vel submersione, vel alia vio-*

lenta morte periisse, nam tales praecipue adparent, cum autem eos orant amici vel noti, ut domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se Heclam montem petere, & illico disparent? Nominat autem Surius huius historiae testem Olaum magnum in histor. region. septentrion. Sed addit Olaus, *glaciem etiam illius insulae referre gemitum & eiulatum humanae vocis*, ex quo confirmari posset, non solum ignem, sed etiam aquam glacialem & frigus proprie dictum in inferno esse. Confer Münsterum libro. IV. cosmogr. cap. 32.

§. LXXXV. Opponimus vero huic pontificiorum opinioni, 1) quod coelum, terra ac mare in die iudicii essentialiter sint peritura, ut in praecedent. tract. ostendimus. Quod si ergo infernus esset in centro terrae, utique etiam una cum terra aboleretur. Nusquam legimus, partem aliquam terrae transituram, partem remansuram, *sed coelum & terra ita transibunt, ut locus eis non inveniatur*, Apoc. XX. 11. 2) Quod ex gentilium fonte hoc dogma videatur esse hausturn. Tertullianius libr. de anim. cap. 54. *Inferos velut gremium terrae describit Plato in phaedone.* Homerus libr. λ. Odyss. tartari locum sic definit:

βαθυτερον υπο χθονος βαραθρον,
ενθα σιδηρειαιτε πυλαι και χαλκεος ουδος,
Γοσσον ενερθ αιδεω, οσον ουρανος εστ απο γαιης.

ubi Eustathius, Homeri scholiastes: αις τοπος σκοτεινος υπο γην αφανης αφορισμενος ψυχαις. Lucianus constituit τοπον τινα υπο την γην βαθυν μεγαν και πολυχωρον ζοφορον και ανηλιον. 3) Quod non possit evidentibus & firmis argumentis ex scripturis probari, ut ex speciali eorum examine adparebit. Urgent 1) *quaedam scripturae dicta.* a) Num. XVI. 33. *Core, Dathan & Abiran vivi descenderunt in infernum, cum terra eos deglutiret.* CVI. 17. *Aperta est terra & deglutivit Datan.* Resp. Quidam per *scheol* intelligunt hic loca duntaxat subterranea ac voraginem terrae, ut sit sensus, quod seditiosos illos terra suo hiatu vivos quasi devoraverit ac sepeliverit, cum alias non nisi mortui terris inferri consueverint, v. 29. non autem infernum sive locum damnatorum, quia alias sequeretur omnia illorum seditiosorum bona ad infernum perveniisse. Sed si vel maxime concedamus, per *scheol* hoc loco intelligi locum damnatorum, ex eo tamen inferri nequit, eum in centro terrae esse statuendum: sensus enim est, quod a terra absorpti in ea non permanserint, sed ad infernum usque detrusi sunt, quo autem in loco ille statuendus sit, ibidem non exprimitur. Quemadmodum ex eo, quod Christus in sua adscensione exceptus est a nube, elevatus in coelum, & sedet ad dextram Dei, inferri nequit, quod nubes, coeli visibiles & dextra Dei sint unus idemque locus, quodque Christi mansio sit receptaculum localiter circumscriptum & altitudine locali a nobis longissime separatum; ita quoque ex eo, quod seditiosi dicuntur terrae hiatu absorpti, & *in infernum descendisse* colligi nequit, hiatum terrae & infernum esse unum eumdemque locum, adeoque infernum esse receptaculum locale in ipso terrae centro situm, distinguendum enim inter φορας medium ac terminum. Confer Mehlfurerum decad. IV. vindic. evang. disp. VI. thes. 83. Cornelius a lapide in comment. statuit, *illos seditiosos vivos quidem*

dem a terra absorptos, non autem vivos in infernum pervenisse; eadem ratione dicere possumus, ipsos quidem in illo terræ hiatu in infernum descendisse, sed ex eo non posse inferri, quod in centrum terræ descenderint. Luc. XVI. 22. & 23. de divite epulone dicitur, quod & *sepultus fuerit*, & post mortem in infernum detrusus; sed ex eo inferri nequit, quod ipsum sepulcrum sit infernus, sicut vulgata versio vitiose reddidit: *Sepultus est in inferno*, sed quod corpus eius illatum fuerit sepulcro, anima vero inferno. b) Psalm. XVI. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*, quod vaticinium de Christi ad inferos descensu exponitur Actor. II. 31. XIII. 35. Resp. quidam nomen ἅδης accipiunt in secunda significatione pro doloribus inferni, ac proinde metaphoricum Christi ad inferos descensum his verbis describi statuunt, 1) quia particula hæc, *non deseres animam in inferno &c.* coniungitur cum iis, quæ necessario ad Christi exinanitionem referenda, Act. II. 24. 27. & 31. 2) Quia opponitur illi *liberatione a morte & ipsa exaltatio* v. 30. 31. 32. & 33. 3) Quia præponitur hæc particula *sepulturae* v. 27. & 31. quam realis ad sedem damnatorum descensus fuit secutus. 4) Quia Christus lætatur, quod *anima eius non sit in inferno deserenda.* At hocreali & triumphali descensui minus videtur convenire. 5) Quia emphatice dicitur ἀκεχαταλειψεις, non patieris me limo profunde manere immersum, sicut hæc vocula usurpatur Psal. LXIX. 3. Quidam in tertia significatione accipiunt pro extremo humiliatis gradu, iisdem fere argumentis usi. Quidam in quarta significatione pro doloribus mortis ac communi mortuorum statu, quia v. 24. dicit apostolus, quod *Deus suscitaverit Christum solutis doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat eum ab illa teneri.* Sed ex textu adparet, apostolum plura complecti. Quidam in quinta significatione accipiunt pro sepulcro, quæ sententia Calvinianis potissimum arridet. Sed apostolus utrumque sibi demonstrandum proposuerat v. 24. Christum non modo a *morte* per resuscitationem, sed etiam a *doloribus mortis* per exaltationem fuisse liberandum, ad utrumque igitur referri debet, quod probationis loco ex Psalm. XVI. 10. refertur. Quod si vel maxime *inferni* nomine ipsam damnatorum sedem accipiamus, nondum tamen evictum erit, infernum esse in centro terræ. Cum enim in Græco non legatur ἐν ἅδῃ sed εἰς ἅδῃ, ideo quidam statuunt, esse locutionem ellipticam, ut subintelligatur οἰκον hoc sensu: Quamvis anima mea sit expertura dolores morientium, non tamen permittes, ut cruciatibus illis victa in infernum usque detrudatur, ac pœnas damnatorum ibidem experiatur. Quin imo si vel maxime de reali, triumphali ac glorioso Christi post mortem & sepulturam ad inferni locum descensu accipiatur, nondum tamen ex eo sequitur, quod infertur, quia Christus post sepulturam descendere ad inferos potuit, etiamsi infernus non sit locus in centro terræ constitutus, quia *sepultura & descensus ad inferos* sunt distincti actus, neque in ipso sepulturæ momento Christus ad infernum descendit, sed immediate ante resurrectionem. e) Psal. CXXXIX. 8. *Si descendero ad infernum, tu illic ades.* Resp. intelliguntur in genere ima & profunda & obscuræ terræ loca, non autem sedes damnatorum. Exempla huius significationis occurrunt Iob. XI. 8. Amos. XI. 2. d) Matth. XI. 23. *Tu Capernaum, quae usque in cælum exaltata es, usque in infernum descendes.* Cæli nomi-

mine intelligitur pars mundi suprema. Ergo etiam vox inferni significabit partem mundi infimam, & per consequens, locum subterraneum in terrae centro. Resp. sicut per phrasin *exaltari in cœlum μεταφορικως* intelligitur summa exaltatio, gloriosa elevatio, non loci, sed status & conditionis, videlicet dignitatis respectu; sic requirit oppositio, ut per phrasin: *deici in infernum*; intelligatur summa humiliatio ac deiectio, non profundioris loci, sed itidem status & conditionis, videlicet ignominiæ & miseriæ respectu, adeoque intelligitur summa & ima infelicitas, extrema ignominia, quam cum diabolis Capernaitæ & omnes impii habebunt communem. e) Matth. XII. 40. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus ac noctibus; sic Filius hominis erit in corde terrae tribus diebus & tribus noctibus. Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terrae.* Resp. describitur in his verbis non descensus Christi ad inferos, quia Christus non fuit per integrum triduum in inferno, sed in sepulcro. Isidorus Pelusiota libr. I. epist. 14. *Trium Domini in sepulchro transactorum dierum haec est explanatio, tanto enim temporis spatio in sepulcro commoratus, quanto Ionas in ventre ceti.* Neque est, quod urgeatur vox *cordis*, illa enim significat rei medium, non secundum mathematicam & exactam situationem, sed iuxta physicam ως εν πλατει collocationem, cum nec cor in animalibus exacte medium obtineat. Psalm. XLVI. 3. *Cum commovebantur montes in cor marium.* Targum reddidit: בפילגום, *in pelagus.* Ezech. XXVIII. 2. *Habito in corde marium*, id est, maria me ambiunt, sum in loco securo ac forti. Huc referri potest regula, quam proponit & exemplis e scriptura petitis illustrat Sanctius in comm. Esai. p. 138. *Phrasis in medio iuxta idiotismum Hebraeum aut nihil addit praepositioni, cui adiungitur, aut certe aliud aliquid valet, quam quod proprie dicitur medium, id est, quod ab extremis aequaliter distat.* f) Luc. XVI. 23. per *chasma distinctus locus divitis a loco Abrahae denotatur.* Resp. πυ damnatorum revera distinctum esse a πυ beatorum, atque ab eo longissimo intervallo separatum, libenter concedimus, sed situm illius πυ libenter ignoramus. Si infernus est in centro terræ, quantus quæso prospectus erit, qui ex infimo terræ centro usque ad summum cœlum pertingit? Adde, quod pontificii nondum consentiant, an dives ille fuerit in *inferno*, an vero in *purgatorio.* Ad inferos eum ablegat Bellarminus d. l. cui consentiunt Stapletonus in promt. cathol. fer. V. hebd. II. quadrag. & alii, quorum sententia est verissima; sed Hieronymus Emserus in adnotat. nov. testam. ad Luc. XVI. sic scribit: *Ex eo, quod Graecus textus sententiam finit*: & sepultus est, *non autem legit ut Latina*; sepultus est in inferno; *Faber Stapulensis insigne fundamentum exstruxit epulonem divitem non in inferno sed in purgatorio fuisse ideoque necessario purgatorium ignem esse concedendum.* g) Ephes. IV. 9. *Descendit εις τα κατωτερα μερη της γης*, id est, *ad infernum.* Resp. quidam hoc accipiunt de formatione sive conceptione Christi in utero matris virginis, quo sensu *inferiora terrae* usurpantur Psalm. CXXXIX. 15. Quidam generaliter exponunt de *infima humiliatione* ac profundissima exinanitione, cui subsequens exaltatio opponitur. Quod si vel maxime ad realem, gloriosum ac triumphalem Christi ad inferos descensum adplicetur, nondum tamen evictum fuerit, inferos esse in centro terræ statuendos, quia scripturâ verbis huius seculi describit

bit res futuri seculi, ac vocabulis locum significantibus statum & conditionem rei declarat; quia glorioſi & honorati loco ſublimi, contemti vero & abiecti loco infimo ſolent ſtatui. h) Phil. II. 10. ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, *ubi vox* καταχθονίων *nihil aliud ſignificat, quam ſpiritus ſubterraneos, qui in locis ſubterraneis degunt.* Reſp. per τὰ καταχθόνια intelliguntur creaturæ ſubterraneæ a cœleſtibus ab terreſtribus diſtinctæ, ſicut alias per *cœlum, terram, mare*, & omnia, quæ ſunt in eis, totum univerſum ac omnes creaturæ intelliguntur. Senſus enim eſt, quod omnia Chriſto ſint ſubiecta, ipſumque cogantur agnoſcere Dominum & regem. Pſalm. VIII. 8. Matth. XXVIII. 18. Epheſ. I. 21. Puerile eſt, quod Bellarminus urget phraſin *genuflectionis*, ut evincat non poſſe intelligi creaturas irrationales ſubterraneas, ſed ſpiritus in locis ſubterraneis degentes, id eſt, ut alibi mentem ſuam exponit, *animas in purgatorio ſudantes.* Nam nec illi proprie loquendo poſſunt genua flectere. Intelligitur autem nomine γονυκαμψίας μετωνυμικῶς ipſa ſubiectio, cuius ſignum externum ſolet eſſe illa incurvatio. Confer Origenem libro IX. Rom. 14. At inquis, per καταχθονίους intelliguntur ipſi etiam dæmones, ut Theophylactus in comment. & Thomas lect. III. ſuper hunc locum recte monent, quia ſi non voluntarie & ex adfectu reverentiæ, tamen involuntarie & ex ſenſu potentiæ Chriſto genua flectere, id eſt, imperium eius agnoſcere coguntur. Ergo illi habitabunt in locis ſubterraneis, & per conſequens, in illis erit infernus. Reſp. vocantur etiam κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, Eph. VI. 12. quod ergo dicuntur καταχθόνιοι, illud ſecundum quamdam ἀναλογίαν, nec ut proprie, ſed metaphorice dictum accipiendum. Quemadmodum enim cœleſtis beatitudo cum paradiſo ac rebus ſuper terram amœnis & iucundis confertur; ita quoque ſupplicia infernalia ex adverſo cum rebus ſubterraneis, in quibus horribiles tenebræ, profundæ foveæ, ac vaſtæ voragines, comparantur, quia de rebus ſpiritualibus & inviſibilibus non poſſumus aliter informari quam per voces rerum viſibilium ac corporearum. i) Apocal. V. 3. & 13. *Mentio fit creaturarum ſub terra, quae non potuerint librum aperire, vel Deum laudare. Ergo intelliguntur ſpiritus ſubterranei, id eſt, in inferno conſtituti.* Reſponſio patet ex dictis; v. 13. mentio etiam fit *maris*, num vero dicemus etiam, in mari verſari ſpiritus fidelium. Confer ea, quæ in tract. de morte §. CCLXXIV. contra purgatorium diſſeruimus.

§. LXXXVI. 2) Ex *rationibus;* a) ex *adpellatione.* Locus tormentorum infernalium vocatur *infernus & inferi, quod eſt ab infra; item abyſſus.* Reſp. nomen *inferorum* non ex textu ſcripturæ authentico, ſed ex gentilium nomenclatura eſt deſumtum, nec tam ob loci profunditatem quam ob ſtatus & conditionis humilitatem damnatorum ſedi tribuitur. Gregorius Nyſſenius libr. de anima & reſurrect. p. 194. *Non videtur divinus apoſtolus Phil. 2. ratione loci naturam mente atque intelligentia praeditam diſcernens atque diſtinguens aliud quidem cæleſte, aliud terreſtre, aliud item ſubterraneum nominaſſe, ſed quoniam naturae ratione praeditae tres ſtatus atque conditiones ſunt, una quidem, cui ab initio vita contigit incorporea, quam angelicam nominamus, altera vero cum carne conſerta atque connexa, quam humanam dicimus, alia autem per mortem a carnibus abſoluta, quae res in a-*

nimabus animadvertitur, hoc opinor, altitudine sapientiae videntem apostolum, eum, qui aliquando futurus est, universae ratione praeditae naturae in bono consensum significare, ac cæleste quidem vocare angelicum & incorporeum, terrestre vero implicitum & consertum cum corpore, subterraneum autem id, quod iam a corpore separatum atque disiunctum sit &c. Quae cum ita sint, nemo nos coegerit subterraneorum & infernorum nomine subterraneum intelligere locum. Augustinus libro XII. de Genes. ad lit. cap. 34. *Ideo sub terris dicuntur inferi, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortui solet, ut sub terram recondatur. Denique inferi eo, quod infra sint, Latine adpellantur, sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora.* Isidorus in libr. etymolog. *infernum* dictum putat quasi *intus farnum*, id est, nigrum, quam etymologiam si amplectamur, concidit vis argumenti. Ex nomine *abyssi* itidem nequit concludi, infernum esse in centro terrae, quia confusum illud chaos, *rudis indigestaque moles*, ex qua cœlum & terra postmodum condita, vocatur *abyssus* Genes. I. 2. neque tamen fuit subterranea, multo minus quædam in centro terræ vorago. Abyssus proprie significat tantam aquarum multitudinem, ad cuius fundum perveniri haud facile possit, quando ad infernum adplicatur, non tam inferni, situs, quam status exponitur. Quemadmodum enim ea, quæ in talem abyssum demerguntur, pro perditis habentur, & nunquam revocantur; sic damnati in infernum abiecti æterno exitio fiunt obnoxii, neque unquam lucem iterum vident, vel ex inferno liberantur. b) Ab *oppositione. Æquum est, ut locus iustorum sit cælum celsissimum, siquidem gloria sunt celsissimi; locus autem impiorum sit infima terrae pars, quia supplicio sunt infimi.* Bruleferus lib. II. sent. dist. 6. q. 3. *Sicut Deus ex piissima sua misericordia praeparavit locum quemdam amœnissimum, clarissimum & iucundissimum, pulcherrimum & altissimum electis suis; ita ex severitate iustitiae suae paravit locum turpissimum, nefandissimum velut carcerem perpetuum puniendis transgressoribus mandatorum suorum in medio terrae &c.* Resp. si absolute & simpliciter ex loco dignitas status & conditionis penderet, tum melioris meriti essent aves cœlo propiores, quam pii in his terris viventes, qua de re in sequenti tractatu plenius dicetur. c) Ex *comparatione. Sicut in sterquilinium sordes omnes deferuntur, sic in tartarum omnes peccatorum immunditiae proiiciuntur. In corde terrae, id est, in inferno impii concluduntur, quia terram in corde suo habuerunt, Deoque praetulerunt. Habuerunt mundum in corde, habet illos vicissim in corde mundus, par pari redent. Mortua corpora sub terra tumulantur, mortui quoque Deo homines sub terra in inferno sepeliuntur, iuxta illud:* Mortuus est dives & sepultus est in inferno. *Pondera petunt infimum locum. Damnati homines pondus peccati gravissimum habent, ideoque infimum mundi locum petunt. Ponderosi peccati locus velut naturalis tartarus est.* Barradius dicto loco. Resp. comparationes non probant illud, quod adhuc dubium, sed quod iam ante probatum, illustrant. Adde, quod in ἀποδοσει *spiritualiter* debet intelligi, quod in πρωτασει *corporaliter*, alias non erit similitudo sed identitas. Sic peccata sunt sordes spirituales, non autem corporeæ quædam immunditiæ. Ergo etiam

iam locus *inferni*, in quem peccatores abiiciendi, erit sterquilinium spirituale, ut nihil de eo dicam, quod sterquilinia sordium receptacula non sint in centro terræ, sed supra terram. Impii mundum in corde habuerunt non corporaliter, sed spiritualiter per inordinatum amorem. Ergo etiam in corde mundi erunt non corporaliter, sed spiritualiter. Impii sunt mortui non morte corporali, sed æterna ac spirituali, & corpora eorum spirituali sensu dicuntur cadavera. Ergo etiam sepultura spiritualis accipienda. Peccatum est pondus spirituale. Ergo etiam locus spiritualiter profundus illi competit.

CAPVT XI.

DE COGNATIS ET PVGNANTIBVS CVM INFERNO.

Cognata inferni.

§. LXXXVII. *Cognata* inferni sunt 1) *omnes pœnae temporales*, quibus Deus in hac vita coërcet impios; illæ enim admonent ipsos de pœnis æternis, ac nisi pœnitentiam ante mortem agant, sunt initia æternarum pœnarum. 2) Cumprimis vero *angores & terrores illi conscientiae*, quos impii in hac vita sentiunt, ex quibus sæpe ruunt in desperationem, ac sibiipsis violentas manus inferunt. Sic ergo in hac vita impii mortem quærunt, & inveniunt, sed in altero seculo mortem quærent, & non invenient. 3) *Calamitates temporales*, quibus Deus *pios* in hac vita subiicit, illæ enim testantur, Deum, si velit cum ipsis in iudicium intrare, posse eos a se æternum abiicere. 4) Cumprimis vero ille *gustus dolorum infernalium*, quem Christus nostro loco in sanctissima sua passione sensit & quem pii quandoque experiri coguntur, ut intelligant, a quo malo per Christum sint liberati *Pugnantia* sunt 1) *Epicuraea securitas* eorum qui in diem vivunt, nec de cœlo adquirendo nec de inferno fugiendo soliciti. 2) *Haeretica pravitas* eorum, qui vel infernum ex toto negant, vel ὀρθοδοξιαν eius ex parte corrumpunt. 3) *Summa beatorum angelorum & hominum in cœlo felicitas*, quæ extremæ damnatorum miseriæ e diametro est opposita. *Pugnantia.*

CAPVT. XII.

DE VSV DOCTRINAE DE INFERNO.

Usus 1) Theoreticus.

§. LXXXVIII. *Usus* huius articuli est tum *theoreticus*, tum *practicus*. 1) *Theoreticus*, est 1) διδασκαλικος, 2) ἐλεγτικος. *Didascalicus* usus in eo consistit, ut doctrinam de inferno ac pœnis impiorum æternis ex verbo Dei discamus, ac solida & fundamentali eiusdem cognitione adversus mundi irrisiones & carnis nostræ insusurrationes fidem nostram probe muniamus. *Elencticus*, ut corruptelas erroneas eorum, qui Sardonio risu infernum ex toto negant, & æternas impiorum pœnas fore credentes exsibilant, vel orthodoxiam huius articuli in scripturis traditam ex

parte labefactant, repellamus. II) *Practicus* usus est vel *generalis* vel *specialis* I) *Generalis*, ut huius noviſſimi omnibus incredulis & impiis meruendi perpetuo memores a viſibilibus ad inviſibilia, a præſentibus ad futura, a temporariis ac momentaneis ad æterna & oculos & animos noſtros convertamus, iuxta tritum illud:

II) *Practicus.* I) *Generalis.*

Mors tua, iudicium poſtremum, gloria cæli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.

Neque enim eo fine doctrinam de inferno in ſacris literis Deus nobis propoſuit, ut otioſas & ἀπεράντους quæſtiones de *inferni loco*, de *natura ignis infernalis*, de *tempore*, *quo infernus creatus &c.* reciprocante contentionis ferra agitemus, ſed ut quotidiana ac pia meditatione æternas impiorum pœnas in inferno ipſis paratas ſolicite expendentes ab omnibus, quæ infernalem iſtum ignem ſuccendere nobisque attrahere poſſunt, ſummo ſtudio caveamus. Chryſoſtomus hom. XLIV. in Matth. pag. 406. *Verba de gehenna, ne in gehennam devenias, efficiunt,* καὶ ἰατρεῖα τὸ πραγμα γίνεται, *ac medicinae loco ſunt ſumenda.* Homil. III. in 2. Theſſ. pag. 1494. *Si gehennam ſemper cogitemus, non cito in eam incidemus. Propter ea ſupplicium minatus eſt Deus. Si eam cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non eam iam minatus eſſet Deus, ſed quoniam eius recordatio valet ad res magnas gerendas, propterea tanquam ſalutare aliquod medicamentum,* καθάπερ τι φάρμακον σωτήριον, *eius minas noſtris inſevit animis.* Et poſtea: *Num ſi fileas de gehenna, gehennam exſtinxeris? Num ſi dixeris, accenderis? ſeu dixeris, ſeu non dixeris, exardeſcit ignis. De ea dicatur adſidue, ut nunquam in eam incidas.* Pag. 1459. *Regni non ita meminerimus, ut gehennae. Metus enim maiorem vim habet, quam promiſſio, & ſcio, quod multi bona deſpicati eſſent innumerabilia, ſi liberati eſſent a ſupplicio &c. Nullus ex iis, qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex iis, qui gehennam deſpiciunt, effugiet gehennam &c.* οὐδὲν οὕτω χρήσιμον, ὡς τὸ περὶ γεέννης διαλέγεσθαι, *nihil eſt aeque utile atque de gehenna diſſerere, quovis argento puriores nobis efficit animas. Chriſtus ipſe de ea diſſerit. Nam etſi moleſtiu adfert auditorem, ei tamen prodeſt maxime, talia enim ſunt omnia, quae proſunt. Nam & medicamenta & cibi aegroto prius ſunt moleſti, & tunc adferunt utilitatem. Si non ferimus verborum gravitatem, eſt perſpicuum fore, ut feramus per rerum experientiam.* Smaragdus ad cap. 4. regulæ: *Mala inferni debemus iugiter ante oculos mentis noſtrae adducere, & gehennam ignis aeterni terribiliter expaveſcere, & inſuper diligentiſſime & apertis oculis mentis intentiſſime cogitare, quale malum ſit, ab illo gaudio divinae contemplationis excludit, & in inferni tartarum & gehennae locum demergi &c.* Bernhardus in libr. de vita ſolitar. ad fratres: *Deſcendamus in infernum viventes, ne deſcendamus morientes, hoc modo pii ſaepe in infernum deſcendunt. Sicut enim adſidue contemplando reviſere amant gaudia cœleſtia, ut ardentius ea adpetant; ſic & dolores inferni, ut horreant & fugiant; & hoc eſt, quod imprecantur inimicis ſuis orantes, ut deſcendant in infernum viventes.* Idem epiſt. CCXCII. *Utinam ſaperes, quae Dei ſunt, intelligeres, quae mundi ſunt, provideres, quae inferni ſunt, profecto inferna horreres, ſuperna adpeteres, quae mundi ſunt contemneres.* Hoc modo ſapiebat is, qui quotidie ſe librum evolvere dicebat, in quo ſint tria folia, rubrum unum, alte-

alterum candidum, tertium nigrum; in rubro se legere dicebat Christi passionem, in candido beatorum glorificationem. Ita sapiebat, qui in vitis patrum libr. VII. cap. 44. dicebat: *Ego ob peccata mea inferno adiudicavi meipsum, dicoque: Esto cum his, quibus dignus es, istis postmodum adnumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus & incessabiles lacrimas, adspicio stridentes dentibus &c. & tunc lamentor genus hominum, quod audeat loqui vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis, & in his teneo mentem meam luctum meditans, indignum me cælo & terra iudicans.* Utinam vero atque iterum utinam ecclesiarum ministri in *novissimis* hisce, cumprimis vero in *pœnis infernalibus* populo inculcandis & exaggerandis frequentiores essent! Maiori certe cum auditorum emolumento illud foret coniunctum, quam si controversias vel iamdudum sopitas vel ecclesiæ nunquam auditas ingenii ostentanti causa pro concione toties tractarent. Ελεγχον errorum, a quibus auditoribus impendet periculum, non improbamus; sed interim frequentiorem novissimorum mentionem in concionibus fieri merito optamus. Utinam atque iterum utinam nosmetipsi in pœnis infernis earum tum *atrocitate* tum *aeternitate* quotidie expendenda essemus diligentiores! *Atrocitatem* istarum pœnarum velut in tabella quadam depictam & per partes expositam superius exposuimus, quam utinam quilibet nostrum pia contemplatione singulis horis imo momentis intueretur! De *aeternitate* vero istarum pœnarum quid dicemus? infinita illa est, proinde etiam finito intellectu comprehendi, ac verbis humanis mensurari nequit. Post innumerabilia atque infinita annorum millia semper cogitare cogentur, hæc esse duntaxat suppliciorum suorum initia. O *aeternitas, aeternitas*, tu sola ultra omnem modum ac cogitationem damnatorum supplicia exaggeras! Sine ullo fine torquendum esse ultra omnes desperationis fertur terminos. Quid enim gravius, quid molestius, quid durius, *quam semper velle, quod nonquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? semper vivere nolle, & tamen mori, semper mori nolle, & tamen vivere?* Tanta profecto sunt æternitatis spatia, ut si damnatus aliquis millesimo quoque anno unam ex oculis emitteret lacrimulam, plus aquæ effluereret, quam totus mundus capere posset? Confer meditat. nostram XLIX. &. L.

LXXXIX. II) Usus practicus *specialis* est vel παιρευτικος vel παρακλυτικος. 1) Παιδευτικος est vel επανορθοτικος vel παραινετικος. a) Επανορθοτικος, *correctorius* in eo consistit, quod infernalium tormentorum meditatio revocat nos, 1) in *genere* ab *impietate & securitate, a peccatis contra conscientiam & proclivitate ad culpam.* Parata sunt peccatoribus æterna tormenta; eccur adhuc nos delectant peccata? Qui peccat contra conscientiam, ædificat ad gehennam; eccur igitur conscientiæ lumen peccatorum tenebris obruere, ac internam eius admonitionem respuere pergimus? Quid aliud devorabit ille ignis, quam peccata nostra? quanto magis in peccatis pergimus, tanto uberiorem ignis illius materiam colligimus. Chrysostomus homil. III. in 2 epist. Thessal. Μη φυγωμεν την της κολασεως μνημην, ινα μη κολασθωμεν. *Ne fugiamus pœnae memoriam, ne in pœnam incidamus.* Augustinus in enarrat. Psalm. 49. *Si possemus facere ut dies iudicii non veniret, puto, quia nec sic erat male vivendum. Si non veniret ignis*

II) Specialis.
1) παιδευτικος.
a) Correctorius.

nis Dei iudicii, & sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia delitiarum, non videntes eum, a quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius; in quali et aeternitate & impunitate peccati plangere se deberent. Sed haec amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiae & veritatis utcunque sentire cœperunt, noverunt, quanta pœna sit tantummodo a facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant quem praemia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce, quod minatur &c. Amplexaris peccata tua & delitias carnis tuae, stipulas ad te congeris. Veniet ignis, ignis in conspectu eius ardebit. Non est iste ignis sicut focus tuus, quo tamen si manum mittere cogaris, facies, quidquid voluerit, qui hoc minatur. Si tibi dicat, scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum. Nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum, facies ne ardeat manus, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, & facis malum, minatur Deus aeternum malum, & non facis bonum &c. Minis Dei, minis ignis aeterni prohiberis a malo, invitaris ad bonum. Prosper libro III. de vit. contemplat. cap. 12. *Inferni tormenta libenter audire vel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere, cogitare, quale malum sit ab illo gaudio divinae contemplationis excludi &c. haec, inquam cogitare nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare. & omnia blandimenta carnalia refrenare.* Hugo libro III. de anim. *Si amor Dei tenere non potest, saltem teneat & terreat timor iudicis, metus gehennae, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea & omnia mala.*

§. XC. 2) In *specie*, a) a *libidine & omnibus carnis voluptatibus.* Memoria ignis æterni exstinguat in nobis ardorem libidinis, amorem carnalis voluptatis, fervorem illicitæ cupiditatis. Si durum ac difficile tibi videtur carnis concupiscentias refrenare & voluptatum amorem exstinguere, cogita, longe durius ac difficilius fore inferni ignem tolerare, & in mediis flammis æternum ardere. Augustinus sermon. CLXXXI. de tempor. *Haec recordare, & ignem illum gehennae his, quae te nunc exagitant flammis libidinis & cupiditatis oppone.* Bernhardus sermon LXVII. de modo bene vivend. *Memoria ardoris gehennae exstinguat in te ardorem vitiorum.* b) *a luxuria.* Multi hic devorant, quod in æterno igne concoquant. *Die Saeuffer gewohnen am gepichten Bier und schwefflichten Wein, des Fewers, Pechs und Schweffels in der Hœllen.* Dives epulo in his terris quotidie vixerat *splendide*, in ebrietate & ingluvie, Luc. XVI. 19. sed in inferno nec guttulam aquæ, qua linguam suam irroraret, poterat impetrare v. 24. Sonet perpetuo in auribus nostris vox prophetæ Esai. V. 11. *Vae, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & usque ad vesperam, ut vino aestuetis.* v. 14. *Propterea dilatavit infernus animam suam.* c) Ab *avaritia.* Quid prodest avaris, *si totum lucrentur mundum, animae vero suae detrimentum patiantur? quidnam dare poterunt in commutationem pro anima sua?* Matth. XVI. 26. *Plorate divites in miseriis vestris, quae advenient vobis, aurum & argentum vestrum aeruginem contraxit, & aerugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis,* Iacob. V. 1 &c. 3. Confer ea, quæ de obiecto in-

infernalium pœnarum diximus superius; ex illis enim integer catalogus peccatorum, a quibus memoria inferni nos revocare debet, constitui potest. d) *A praepostero ab hominibus timore.* Matth. X. 28. *Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna*, in quæ verba sic commentatur Hilarius canon. X. in Matth. *Constanter ingerenda est Dei cognitio, & profundum evangelicae doctrinae secretum lumine praedicationis revelandum, non timendo eos, quibus eum sit licentia in corpora tantum, in animam ius nullum est.* Ambrosius libro I. officiorum: *Omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine.*

§. XCI. Usus παραιτητικος, sive *exhortatorius* is est, ut infernalium tormentorum meditatio verum Dei timorem cordibus nostris instillet, & ad pœnitentiam mature agendam, eamdemque per studium bonorum operum demonstrandam nos impellat Matth. III. 7. *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira.* v. 8. *Facite fructus pœnitentia dignos.* v. 10. *Iam enim securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur, & in ignem mittitur.* Omnes res viventes arcano naturæ instinctu mortem temporalem horrent ac fugiunt, unde ergo est, quod homo ratione praeditus ac fide divina edoctus sempiternam mortem non horret nec fugit? Si unus tantum vel duo vel tres universo genere humano damnandi essent, merito timere deberet quisque nostrum, ne ex illorum numero esset, iam vero constat ex sacris literis innumera hominum millia damnationi fore obnoxia, unde ergo est, quod timoris omnis expertes, in securitate carnali infixi hæremus? Chrysostomus homil. XLIV. in Matth. *Oro atque obsecro, quando de gehenna quidquam audimus, compungamur. Nihil enim certe hoc sermone iucundius est, quandoquidem nihil sit his rebus amarius. Et quomodo, inquies, de gehenna quidquam audire ac dicere iucundum esse adseris? quippe quoniam res tristis est in gehennam incidere, idcirco qui ab ea re procul amovent, sermones suavissimi sunt.* Homil. X. in 2 Cor. *Si ingressi in carcerem, & videntes alios pallidos, alios vero vinctos & esurientes, alios vero in tenebris conclusos, concutimur, horrescimus, & omnia, ne illuc incidamus, facimus; quando adducti trahemur in gehennae carceres quales futuri erimus?* Idem homil. V. ad popul. Antioch. *Confert nos pueris, qui larvas timent, non ignem; ita nos larvas malorum, puta temporalia damna & aerumnas timemus, ipsum vero malum, id est, peccatum ignemque aeternum, quo nos ducit peccatum, non formidamus.* Homil. III. in 2 Thessal. *Si legum, quae hic latae sunt, metus tantam vim habet, ut nos a pravis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, pœna sempiterna. Si metus regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus aeterni regis? si mortuus, etiam si solum videatur, animum nostrum ita reprimit, quanto magis gehenna & ignis, qui nequit exstingui, quanto magis vermis, qui non moritur?* Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animæ: *Gehennam timeo, quippe interminatam; exhorreo tartarum, ut cui nimium insit caloris; paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis; formido pestiferum vermem, quoniam est perennis.* Hieronymus epist. XXII. ad Eustoch. *Ille ego, qui ob gehennae metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum &c.* Gregorius libro IX.

b) *Exhortatorius.*

IX. moralium cap. 40. *Quid prodeſt iſta* (tormenta inferni) *praenoſſe, ſi non contingat evadere? tota ergo intentione curandum eſt, ut cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi ſtudio malorum ultricia tormenta fugiamus.* Bernhardus ſermon. de converſ. ad cleric. capite quinto: *Haec mala, qui pavet, cavet; nam qui negligit, incidit.* Idem ſermon. XVI. in Cant. *Paveo gehennam, contremiſco a dentibus beſtiae infernalis, horreo vermem rodentem & ignem torrentem, fumum & vaporem, & ſulphur & ſpiritum procellarum, horreo tenebras exteriores.* Gerſon lect. XXXIII. in canonem: *Felix terror tranſitorius, qui timorem aeternum excludit.* Thomas de Kempis libr. I. de imit. Chriſti cap. 24. *Una hora illic gravior erit in poena, quam hic centum anni in poenitentia. Exhorreſcamus ergo gehennam, timeamus cultum iudicis ipſis quoque angelicis tremendum poteſtatibus, contremiſcamus ab ira potentis, a facie furoris eius, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempeſtate valida, a voce archangeli, a verbo aſpero; contremiſcamus a dentibus beſtiae infernalis, a ventre inferni, a rugientibus praeparatis ad eſcam; horreamus vermem rodentem, ignem comburentem & torrentem fumum & vaporem, ſulphur & ſpiritum procellarum, tenebras mortis, portas inferni. Quis dabit oculis & cordibus noſtris fontem lacrimarum, ut praeveniamus fletibus fletum & ſtridorem dentium, manuum pedumque dura vincula & pondus catenarum prementium, ſtringentium, urentium & nunquam finientium?*

2) παραμυθητικος

§. XCII. Vſus παραμυθητικος, ſive *conſolatorius* in eo conſiſtit, ut in quibusvis adverſis & perſecutionibus, adeoque in ipſo martyrio patientes ſimus, cogitantes paſſiones huius temporis nullam habere comparationem cum aeternis impiorum ſuppliciis, quae peccatis noſtris eramus promeriti; ſed Deus propter Chriſti meritum ab illis nos liberat, & ferreum aeternarum poenarum flagellum in paternam temporariae caſtigationis virgam benigne commutat. Quemadmodum paſſiones huius temporis *non ſunt condignae ad futuram gloriam*, quae promittitur, Rom. VIII. 18. ita nihil quidquam aeſtimandae ſunt ad aeternam poenam, quae a piis auferetur, impiis vero & eccleſiae perſecutoribus, iuratis piorum hoſtibus immittitur; 2 Theſſal I. 6. *Iuſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem illis, qui vos affligunt.* Quidquid terribile, quidquid formidabile minantur perſecutores, ludus ac iocus erit, ſi inferni poenas apoſtatis paratas cogites; cave igitur ne minis poenarum fractus a veritate coeleſti divortium facias. At o ſtoliditatem: *timetur carcer, & non timentur aeterna tormenta; timetur flamma, & non timentur aeterna incendia!* Sed diſcamus rectius ſapere, ac quoties videmus impios in hoc mundo florere, animis propterea efferri, & inſtar hoedorum oviculas conculcare, cogitemus, brevi ſecuturam inſignem rerum commutationem, ac pios in aeternae vitae ſepta colligendos, impios vero in die iudicii anima & corpore in gehennam perdendos. Cumprimis vero quoties guſtus aliquis dolorum infernalium ſalutari Dei conſilio nobis propinantur, cogitemus, quae & quanta Chriſtus tempore paſſionis ſuae pro nobis toleraverit, a quibus & quantis malis benigne nos liberaverit, ac certo ſtatuamus fore, ut ex anguſtiis & doloribus illis eluctati in hac & aeterna vita perpetuis laudum praeconiis ipſum celebremus. B. Lutherus graviter pronunciat, *cuilibet vere pio aliquid de*

de doloribus infernalibus esse gustandum, ut reipsa experiatur, a quo malo Christus ipsum liberaverit, ac quid peccatis suis quilibet nostrum promeritus fuerit. Hic gustus, si non prius, tamen in agone mortis obtingit, satius autem est, eumdem anticipare &c. Constituti in illis angoribus respiciamus Christum in horto olivveti agonizantem, pro nobis pugnantem ac triumphantem, & devote oremus cum Psalte regio in hac palæstra probe exercitato: Psalm. XXVIII. 1. *Ad te Domine clamabo, o petra mea, ne taceas; ne si tacueris, similis fiam illis, qui descendunt in puteum.* XXX. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descentibus in puteum.* v. 6. *Momentum in indignatione eius & vita in voluntate eius.* XLIX. 16. *Deus redimet animam meam de manu inferi, quia suscepit me.* LXXXVI. 4. *Laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.* v. 13. *Misericordia tua magna super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori.* LXXXVIII. 4. *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno adpropinquavit.* CXLIII. 7. *Ne abscondas faciem tuam a me, ne similis fiam descendentibus in lacum.*

CAPVT XIII.

DE DEFINITIONE INFERNI.

Definitio inferni.

§. XCIII. Ex illis, quæ dicta sunt hactenus, talis colligi potest inferni descriptio: Infernus *subiective* de τῶ πᾶ damnatorum acceptus, est locus tormentorum obscurus, squalidus, horridus, abominabilis, fœtore & igne sulphureo plenus, iusto Dei iudicio diabolis & hominibus finaliter incredulis præparatus, in quo animæ ipsorum statim post mortem, eædemque corporibus redunitæ, proinde totum compositum post resurrectionem & iudicium cum omnibus diabolis, graviſſimis & ineffabilibus cruciatibus æternum sustinendis in anima & corpore torquebitur, ut impii debitas peccatorum suorum pœnas percipiant, ac flagrantissima Dei ira adversus peccata omnibus creaturis innotescat. Infernus *formaliter* pro ipsa damnatione acceptus, est separatio a Deo, per quam diaboli & homines finaliter impii a facie Dei abiecti, ac proinde a vita, felicitate & gloria sempiterna exclusi in tenebras exteriores & cruciatus horribiles nullis seculorum spatiis finiendos abiicientur. *Mors aeterna* est horribilis, ineffabilis & interminabilis damnatorum pœna, per quam diaboli & homines impii finaliter increduli a beatifica Dei visione excluſi, in corpore & anima cruciatus sustinebunt sempiternos; a quo *infinito malo* Deus, qui est *infinitum bonum*, ex *infinita misericordia* propter *infinitum Christi meritum* nos custodiat, ut *infinitas & aeternas* laudes cum omnibus beatis angelis & hominibus pro hoc beneficio ipsi offeramus; Amen!

Iesu, redemtor unice,
Ab inferis nos protege!

LOCVS XXXII.

DE VITA ÆTERNA.

PROOEMIVM.

§. I.

Fidei noſtrae finis vita aeterna.

Divus Petrus 1. epiſt. I. 9. τελος της πιστεως ημων vocat σωτηριαν ψυχων. Vox τελος ſignificat 1) *finem & exitum* Matth. X. 22. XXIV. 6. 13. 14. Marc. XIII. 13. &c. 2) *perfectionem*, quia τελος, finis eſt rei perfectio, ac τελεω eſt *perficio*, *conſummo*. Sic Chriſtus Rom. X. 4. dicitur *finis ac perfectio legis*, quia Chriſtus eam noſtri loco implevit, & quia lex ad quærendum Mediatorem Chriſtum nos deducit, 1 Tim. I. 5. τελος, *finis ac perfectio legis eſt caritas; qui enim diligit, legem implevit*, Rom XIII. 10. 3) *Mercedem*, quæ Hebraice dicitur אחרית *finis*, quia datur in fine operis ſeu opere peracto, Rom. VI. 21. τελος eorum, *de quibus nunc erubeſcitis*, *mors*. v. 22. *Liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, τελος autem vitam aeternam.* 2 Cor. XI. 15. ων το τελος κατα εργα, id quod ſic exponitur Apoc. XXII. 12. *Ecce venio, & merces mea mecum, ut reddam unicuique ſecundum opera ſua.* Confer Rom. II. 6. 7. & 8. Hæ ſignificationes omnes & ſingulæ in dicto apoſtolico certa ratione locum habent. Nam *ſalus animarum*, id eſt, actualis poſſeſſio ſalutis ſive vita æterna eſt 1) *finis & exitus* noſtræ fidei tum θεωρητικως tum πρακτικως. Θεωρητικως propterea, quia ultimus fidei noſtræ articulus in ſymbolo apoſtolico fidei ſummam complectente eſt *vita aeterna*, quippe ad quam reliqui omnes tanquam ad τελος σκοπιμωτατον & ad ſcopum unice referuntur. *Deus Pater* nos creavit non tantum ad hanc, ſed etiam imo præcipue ad futuram vitam. *Chriſtus Dei Filius*, nos redemit non unice nec præcipue ob hanc, ſed ob futuram vitam. *Spiritus ſanctus* nos regenerat & ſanctificat, in eccleſiæ conſortium vocando, in communionem ſanctorum aſſumendo & peccatorum remiſſionem in verbo evangelii offerendo non propter hanc, ſed propter futuram vitam. *Tota ſacroſancta Trinitas* ex morte nos reſuſcitabit non propter hanc ſed æternam vitam. Utique ergo omnes fidei articuli vitam æternam, ut finem & ſcopum ultimum reſpiciunt. Πρακτικως propterea, quia *qui* in fide *perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit*, id eſt, conſequetur vitam æternam, Matth. X. 22. XXIV. 13. &c. hunc ergo finem, hunc exitum habet fides noſtra, ut per eam ſalutis participes reddamur, Iohan. XX. 31. 2) *Perfectio* ac πληρωσις noſtræ fidei, quia *videmus nunc per ſpeculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem*, 1 Cor. XIII. 12. Nunc *per fidem ambulamus*, tunc *autem per ſpeciem*,

ciem, 2 Cor. V. 7. in vita æterna *fidei succedet visio ac spei fruitio*, quæ est utriusque mpletio ac perfectio. 3) *Merces fidei nostrae*, id quod tamen dextre & iuxta fidei analogiam explicandum, eo scilicet modo, a) ut nomine vitæ æternæ non intelligatur *essentialiter* ipsa vita æterna, sed *accidentaliter* distincta præmia credentibus in vita æterna promissa, in qua significatione nomen vitæ æternæ sive futuræ ponitur 1 Tim. IV. 8. *Pietas habet promissionem praesentis & futurae vitae*, id est, præmiorum in præsenti & futura vita. Ipsa enim vita æterna in promissionibus evangelicis non vocatur merces, sed præmia illa, quæ in vita æterna credentibus promissa, mercedis nomine veniunt, unde Christus notanter dicit, Matth. V. 12. Luc. VI. 23. *Merces vestra erit copiosa* εν τοις ουρανοις, *in coelo*, ubi inter coelum ipsum seu vitam æternam, & inter mercedem in coelo distinguit. Confer loc. de bon. operib. §. CXIII. b) Ut mercedis nomen accipiatur non in sensu *strictiore pro mercede meriti*, in qua est proportio inter mercedem & meritum, qualem proportionem esse inter nostram fidem per opera se exserentem & vitam æternam, difertis verbis negat apostolus Rom. VIII. 18. sed in significatione *latiore* pro *mercede gratiae*, ut significet gratuitam compensationem profectam a promissione Dei, quæ merces vocatur χαρισμα, *gratuitum donum*, Rom. VI. 23. χαρις, *gratia*, Luc. VI. 32. ανταποδοσις της κληρονομιας, Col. III. 24. Quia enim pii in hac vita *certant*, *bonum certamen fidei*, 1 Tim. VI. 12. ac εργον της πιστεως, sive πιστιν της εργυ, τετειν, ενεργουμενην πιστιν arcte tenent, 1 Thess. I. 3. 2 Thess. I. 11. Gal. V. 6. ideo etiam in illis laboribus, quos ex fide suscipiunt & in illis passionibus, quas ob fidei confessionem sustinent, vitam æternam respiciunt, eamdemque iuxta gratuitam & infallibilem Dei promissionem exspectant, ac Deus operosam ipsorum fidem non tantum temporalibus, sed etiam æternis & coelestibus præmiis remuneratur, non ex merito, sed ex gratia, ac proinde vita æterna credentibus est merces *non dignitatis aut meriti*, *sed liberalitatis & gratuiti promissi*. Augustinus tract. III. in Ioh. *Si fides gratia est & vita aeterna quasi merces fidei*, *videtur Deus quidem vitam aeternam tanquam debitam reddere. Cui debitam? fidei*, *quia ipsa fides gratia est*, *& vita aeterna gratia est pro gratia.* Confer Lyranum in Ioh. X. & b. Lutherum in libr. de serv. arbitr. tom. III. Lat. pag. 192. Si quis tamen ad φλυαριας Pontificiorum eo fortius elidendas in primis duabus vocabuli τελος acceptionibus malit adquiescere, ac nomen illud non *ethice* sed *physice*, id est, non pro præmio vel mercede, sed pro ultimo rei exitu accipere, sensu eo, quod quemadmodum clausula finalis in peccato est mors & interitus, ita fidem & opera iustitiæ ex fide facta subsequatur tandem velut ultima & exoptata clausula vita æterna, non refragabimur. Nobis hoc loco sufficit, quod *finis*, *scopus*, *exitus ac perfectio fidei* nostræ sit vita æterna; ex eo enim colligimus, æquum esse, ut inter reliquos fidei articulos etiam hunc ipsum diligenter tractemus, & in quotidiana meditatione pie expendamus.

Commendatio doctrinae de vita aeterna.

§. II. *Commendatio* huius articuli ex iisdem fontibus peti debet, ex quibus præcedentibus commendatio fuit petita, videlicet 1) ex *utilitate*, 2) ex *necessitate*. *Utilitas* demonstratur tum a priori, videlicet ex *divina revelatione* in verbo proposita, tum a posteriori, videlicet ex con-

consequente fructificatione piis a quotidiana eiusdem meditatione exspectanda. Est enim vita æterna *omnium beneficiorum Christi* coronis & *complementum*, pia eiusdem meditatio est saluberrimum *adversus peccata* προφυλακτικον, & ab impietate *avocamentum efficacissimum*, bene agendi ορμητηριον, & ad *pietatem incitamentum*, *omnis solidae consolationis* in quibusvis adversis basis ac *fundamentum*, uberrima *divinae glorificationis* materia & *irritamentum*, ut in usu practico inferius monstrabitur. *Necessitas* adparet 1) ex *divino mandato*, tum *generali* de noviſſimis perpetuo ruminandis, tum *speciali*, quod colligitur ex omnibus scripturæ dictis, quæ de gaudiis vitæ æternæ agunt. 2) Ex *muneris ecclesiastici debito*; incumbit enim ecclesiæ ministris, non tantum comminationibus pœnarum infernalium a peccatis homines avocare, sed etiam promissionibus præmiorum cœlestium ad bene agendum & mala patienter ferenda eos invitare. 3) Ex *prophetarum, Christi & apostolorum exemplo*. Illi enim non solum doctrinam de sempiterna impiorum pœna & ignominia, sed etiam de æterna piorum gloria auditoribus suis proposuerunt. 4.) Ex *carnis nostrae torpore ac veterno*. Cum enim pii in hac vita cruci sint subiecti, & maioribus adversitatibus quam homines huius seculi plerumque obnoxii, ideo animi ipsorum in spem cœlestium præmiorum erigendi, ne carnis infirmitate animum despondeant &c.

CAPVT I.

DE ONOMATOLOGIA VITÆ ÆTERNÆ.

§. III. Postquam igitur de *inferno* seu æterna impiorum morte actum fuit hactenus, consequens est, ut de *cælo* ac vita æterna, sive piorum glorificatione in cœlo exspectanda imposterum agamus, & felicem clausulam huic locorum theologicorum ἐργασια imponamus. Ordiemur vero hanc tractationem ab *onomatologia*, ad quam pertinet 1) ετυμολογια. Vocatur futura piorum gloria 1) *vita*, 2) *aeterna Vita* adpellatur, ut distinguatur ab infelicissimo & miserrimo damnatorum statu, qui mortis nomine exprimitur, ut in præcedenti articulo vidimus. Intelligitur autem *vitae* nomine non *nuda viventis existentia*, ab animæ & corporis unione dependens, ea enim & piis in cœlo & damnatis in inferno erit communis; sed beatissima & *felicissima viventis conditio*, quæ a beatifica Dei visione & corporis & animæ glorificatione dependet, per quam pii a damnatis vel maxime distinguuntur. Quemadmodum enim Dei vivere non est nudum esse & existere sed beatissime, tranquillissime & felicissime vivere; sic piorum in cœlis triumphantium vivere non per nudam existentiam; sed per beatissimam, tanquillissimam ac felicissimam vitam definiendum. Augustinus in enchirid. ad Laur. cap. 92. *Non moveat nos, quomodo in damnatis erit corpus incorruptibile, si dolore poterit, aut quomodo incorruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa*

Ονοματολογια, *ad quam pertinet* 1) ετυμολογια, 1) *Vita aeterna.*

ipsa non moritur, & ubi dolor perpetuus non interemit, sed adfligit, ipsa corruptio non finitur. Serm. LXIV. de verb. Domini: *Non magnum est diu vivere aut semper vivere, sed magnum est beate vivere. Non est vivere vita, sed valere;* canit poeta. Huc pertinent dicta scripturæ; in quibus חי *vivere* usurpatur, pro felicem ac prosperum esse, lætari, prospere agere. 1 Reg. I. 25. *Vivat rex!* Targum: יצלח *felix fit, prosperetur.* Psalm. XXII. 27. *Laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivet cor eorum in seculum;* illud sic exponitur LXIX. 33. *Videbunt adflicti, & lætabuntur quaerentes Deum, vivet cor vestrum.* Ioh. IV. 50. *Filius tuus vivit*, id est, sanus est, bene se habet. Interim tamen Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 11. censet, cum additamento quodam statum beatorum vocandum esse vitam æternam, ut a damnatorum æterna duratione distinguatur. *Quia*, inquit, *vita aeterna ab eis, qui familiaritatem non habent cum scripturis sanctis, potest accipi etiam malorum vita, vel secundum quosdam etiam philosophos propter animae immortalitatem, vel etiam secundum fidem nostram propter pœnas interminabiles malorum, qui utique in aeternum cruciari non poterunt, nisi vixerint in aeternum, profecto finis civitatis huius, in quo summum habebit bonum, vel pax in vita aeterna vel vita aeterna in pace dicendus est, ut facilius ab omnibus intelligi possit.*

§. IV. *Æterna* ac permanens vita dicitur ut a præsente, quæ temporalis est fugiens & momentanea, distingua tur, 1 Tim. IV. 8. Duplicis enim vitæ scriptura meminit. Una est *temporalis & naturalis*, qua non solum homines tam mali quam boni, sed etiam quævis viventia irrationalia in hoc seculo vivunt, donec ad præstitutum durationi suæ terminum perveniant. Vocatur alias *vita animalis*, ab anima, præstantiore viventis parte, ac quamdiu corpus huius vitæ particeps nutritur, vegetatur, crescit, somnum capit &c. vocatur *animale*, 1 Cor. XV. 45. homines, qui non sunt alterius quam huius naturalis & animalis vitæ participes, vocantur ψυχικοι, *animales*, 1 Cor. II. 14 ubi Syrus emphatice reddidit: בר נשא רנפש הו, *filius hominis, qui in anima est*, id est, qui nihil in se habet eximium præter animam rationalem, qui nondum Spiritu Dei regeneratus, qui secundum hominem & ex proprio ingenio sapit &c. Vocatur etiam *vita corporalis*, *vita praesens*, *vita naturae*, cui opponitur mors temporalis ac naturalis, respectu naturæ non *institutae*, sed *destitutae* sic dicta, quæ est animæ a corpore separatio, sive animæ & corporis solutio. Quidam huius vitæ naturalis duas constituunt species sive gradus. Prior est *animalis vita*, quæ homini communis cum brutis & omnibus animatis creaturis. Posterior est *rationalis*, quæ omnibus hominibus communis est, per quam homo a reliquis animatis distinguitur. Altera est *spiritualis ac supernaturalis*, per quam homo ultra vitam naturæ in altiorem vitæ gradum elevatur. Ea vero iterum duplex est. Prior vocatur *vita gratiae*, qua homines in peccatis per naturam mortui Spiritu Dei vivificantur, filii Dei viventis fiunt, & vera ac viva membra in corpore Christi mystico per communicationem Spiritus facti spiritualiter vivunt ac sapiunt. Hæc vocatur *vita Dei*, Gal. II. 19. Ephes. IV. 18. non tantum, quia a Deo est, illud enim hæc vita commune habet cum naturali & animali: sed etiam ac vel maxime, quia Deus sua gratia suoque Spiritu in cordibus credentium eam efficit, ac peream-

dem in credentibus vivit, & ad omne opus bonum efficax est, adeoque habitationem & mansionem in illis sibi parat. Itemque *vita Christi*, Gal. II. 20. *Vivo autem iam non amplius ego, sed vivit in me Christus*; quia Christus per Spiritum suum hanc vitam in credentibus efficit, ut per eam Deo vivant, & ad praescriptam divinae voluntatis normam vitam suam conforment. Ratione vitae *naturalis* omnes homines in Deo *vivunt, sunt ac moventur*, Actor. XVII. 28. sed ratione vitae *spiritualis* in solis piis ac credentibus Deus vivit, efficit ex illis *novas creaturas*, 2 Cor. V. 17. Gal. VI. 15. *renovat eos spiritu mentis*, Ephes. IV. 23. & vitam aeternam in illis inchoat. Huic vitae spirituali ac vitae gratiae opponitur mors spiritualis impiorum, qua *in peccatis mortui*, & *a* vera illa *vita*, quae Dei & *in Deo est*, *separati* dicuntur, Matth. VIII. 22. Luc. XV. 24. Iohan. V. 25. 1 Tim. V. 6. Ephes. II. 5. Col. II. 13. &c. Posterior vocatur *vita gloriae*, qua piorum animae tum a corporibus suis separatae, tum iisdem in resurrectione iterum unitae in coelesti gloria ac laetitia cum Deo, Christo, beatis angelis & omnibus electis in aeternum vivunt. Sic sancti patriarchae, Abraham, Isaac & Iacob post mortem *Deo* adhuc *vivere* dicuntur Matth. XXII. 32. Luc. XX. 38. in coelesti scilicet gloria & vita aeterna, ac de omnibus vere & perseveranter credentibus dicitur Ioh. III. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Haec vita dicitur *abscondita cum Christo in Deo*, Col. III. 3. quia in novissimo die demum revelabitur, quando *vita Christi* in corporibus piorum *manifestabitur*, 2 Cor. IV. 10. cuius vitae postquam corpora ex mortuis resuscitata erunt participia facta, vocabuntur & erunt πνευματικα sive *spiritualia*, 1 Cor. XV, 44. utpote glorioso *Christi corpori conformia*, Phil. III. 21. De discrimine *vitae gratiae*, quam ecclesia militans agit in terris, a *vita gloriae*, quam ecclesia triumphans agit in coelis, eleganter sic differit Augustinus tract. CXXIV. in Ioh. circa medium: *Duas vitas sibi divinitus praedicatas & commendatas novit ecclesia, quarum una est in fide, altera in specie; una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una declinat a malo, & facit bonum, altera nullum habet, a quo declinet, malum, & magnum habet, quo perfruatur, bonum; una cum hoste pugnat, altera fine hoste regnat; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi; una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat; una est vincendi cura solicita, altera victoriae pace secura; una in tentationibus adiuvatur, altera fine ulla tentatione in ipso adiutore laetatur; una subvenit indigenti, altera ibi est, ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata, ut sua sibi ignoscantur, ignoscit, altera nec patitur, quod ignoscat, nec facit, quod sibi poscat ignosci; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo, ut fine ulla tentatione superbiae cohaereat summo bono; una bona & mala discernit, altera, quae sola bona sunt, cernit. Ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior & beata. Tota hic agitur ista usque in huius seculi finem, & illic invenit finem, differtur illa complenda post huius seculi finem, sed in futuro seculo non habet finem.* De hac *vita gloriae* non solum a *vita naturae*, quae & temporalis est & omnibus hominibus com-

communis, sed etiam a *vita gratiae*, quæ piorum quidem propria, interim cum hac vita desinit, distincta, quæque ob perpetuam sui durationem æterna adpellatur, hoc loco unice agimus, cui in scripturis opponitur *mors aeterna*, Ioh. VI. 50. VIII. 51. XI. 26. sive *secunda*, Apoc. II. 11. XX. 14. de qua in præcedente tractatu late egimus.

2) *Cæli.* §. V. Cæterum cum beatam illam vitam & gloriam in *cælo* nobis promissam exspectemus, ideo eius quoque ετυμογογιαν subiungemus. Ambrosius lib. II. hexaëm. cap. 4 cœlum ex eo dictum statuit, *quod impressa stellarum lumina velut signa habeat, unde cælum quasi cælatum adpelletur.* Plinius lib. II. natur. hist. cap. 4. *Cælum haud dubie cælati argumento diximus.* Quidam deducunt a *celando*, quia *intra cælum continentur & occultantur res omnes.* Alii malunt deducere ex Græco κοιλον, quod *concavitatem* significat, quia concava cœli superficies instar cameræ adfabre exstructæ & exornatæ oculis nostris sese conspiciendam exhibet, convexam autem non videmus. Ουρανον Græcum quidam derivant ab οραω, ut ουρανος sit quasi ορανος, eo quod sit πασιν ορωμενος, vel quod cœlum sit visui pervium & minime densum, sicut aqua & terra, quæ etymologiæ ratio proprie convenit cœlo pro aëris regione accepto, vel quod ολην την γην α ωθεν οραν videatur, ut placet Ambrosio d. l. Aristoteles in lib. de mundo mavult deducere ab ορος, ουρανον ait, ετυμως καλουμενον απο του ορον ειναι των ανω. Aristotelem sequitur Philo in lib. de mundo sic scribens: Των εντος ορον τε και φυλακτηριον τιθεις τον αιθεριον εν κυκλω τοπον, αφ ου και ουρανος ωνομασθαι δοκει. Quidam formant παρα το ουρω, quia omnia circumdat & conservat. Sed hæ etymologiæ proprie conveniunt adspectabili isti cœlo, quod sideribus variegatum & exornatum in sublimi conspicimus, non autem invisibili *beatorum cælo*, id est, isti πυ, in quo electi æternam lætitiam & gloriam aliquando participabunt, quod cœli nomine videtur insignitum 1) propter *pulchritudinem.* Neque enim quidquam novimus pulchrius visibili isto cœlo, in quo siderum faculæ una cum duobus magnis luminaribus, sole & luna perpetua luce fulgent. 2) Propter *altitudinem.* Ut enim cœlum in sublime elatum ab hac terra longissimo intervallo distat; sic gaudia beatorum a terrenis huius mundi gaudiis longissime sunt separata. 3) Propter *magnitudinem.* Ut enim cœlum illud est amplissimum & augustissimum ædificium, quod vel ex eo colligi potest, quod solis globus, qui tam exiguus nobis videtur, sexcenties sexagies sexies terræ globo maior sit; sic cœlum beatorum est satis amplæ capacitatis; ac multas habet *mansiones* Ioh. XIV. 2. 4) Propter *maiestatis celsitudinem.* Ut enim cœlum inter omnes creaturas corporeas inanimatas est nobilissimum ac perfectissimum; sic locus beatorum est nobilissimus & perfectissimus. Considerari etiam potest illud, quod Deus dicitur *in cælis habitare*, quia suam maiestatem & gloriam in pulcerrimo & magnificentissimo cœli palatio maxime manifestat, quodque Christus *adscendit in cælum* ingressurus in suam gloriam. Quia igitur beati cum Deo & Christo in vita & gloria æterna sunt victuri; ideo felicissimum illud πυ, in quod pii post mortem recipiuntur, & in quo cœlestis gloriæ & lætitiæ participes fiunt, quin & ipsa beatorum gloria ac lætitia merito coelum adpellatur. Bona-

naventura lib. II. sent. dist. 2. *Cœlum est contentivum, secretum & quietum. Et quia haec triplex proprietas reperitur in celsitudine divinitatis, ideo dicitur cœlum. Est enim ampla immensitate virtutis, secreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate dilectionis. Hoc est cœlum, ad quod lucifer adscendere voluit* Esai 14. adscendam in cœlum, *id est, ad aequalitatem Dei.* Huc referri potest, quod rabbinis Deus dicitur השמים quod desumtum videtur ex modo loquendi scripturis usitato.

§. VI. II) Ομωνυμια.

II.) Ομωνυμια 1) *vita aeterna.* Vita æterna accipitur dupliciter 1) *proprie* felicissimo piorum statu ac beatissima ipsorum sorte, in qua post huius vitæ decursum constituti, eadem fruentur in æternum, Ioh. III. 16. & 36. Tit. III. 7. &c. 2) *Metonymice*, idque dupliciter a) pro ipso *Christo*, vitæ æternæ auctore ac datore, 1 Ioh. I. 2. *Adnunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem.* V. 20. *Hic est verus ille Deus & vita aeterna.* Photiniani pugnant, *verba illa non ad Christum, sed ad Deum Patrem esse referenda.* Socinus in comm. 1. Ioh. V. p. 561. & in animadv. ad adsert. XII. Posnan p. 55, catech. Racov. p. 76. Sed nostram sententiam confirmat 1) *textus connexio.* Sic enim loquitur apostolus: *Scimus, quoniam Filius Dei venit & dedit nobis mentem, ut cognoscamus verum, & simus in vero, in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus ille Deus.* Oecumenius monet, ουτος poni pro ος, *hic* pro *qui.* Arabes legunt: *Et hic est verus Deus.* Quidam codices addunt γαρ *hic enim est verus Deus*, quæ duæ particulæ copulativa *et* ac ratiocinativa *enim* ostendunt, sequentia verba iungi debere immediate præcedentibus. 2) *Apostolica expositio.* v. 11. præmittitur, *vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita est in Filio eius.* v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Ne quis vero cogitet vitam esse in Filio *accidentaliter*, ideo vocat eum ipsam vitam 1 epist. I. 2. η ζωη εφανερωθη, ex quo sic inferimus: qui est ipsa vita, is etiam ο αληθινος θεος. Filius est ipsa vita. Ergo. 3) *Aliorum scriptura locorum collatio.* Ut enim Christus hic vocatur ο αληθινος θεος, ita Tit II. 13. vocatur *magnus Deus*, Rom. IX. 5. *Deus super omnia benedictus.* Ut hic vocatur *vita aeterna*, ita Ioh. XI. 25. XIV. 6. vocatur ipsa *vita* Ioh. V. 26. dicitur *habere vitam in seipso, sicut Pater habet vitam in seipso.* 4) *Adversariorum tergiversatio.* Photiniani non possunt evidentem aliquam rationem adferre, propter quam relativum ατος nolint ad Filium referre. Quidam hoc urgent, *quod alia quoque suppetant exempla, in quibus relativum non ad proxime praecedens, sed ad remotius sit referendum*, Actor VII. 19. X. 6. 2. Ioh. v. 7. sed hoc procedit a particulari; non enim sequitur, in quibusdam scripturæ locis relativum ad superius pertinet, ergo etiam hoc ipso in loco. Res ipsa ostendit, in reliquis locis illud necessarium esse, hic vero nulla ad id necessitate urgemur. Quidam urgent articulum ο αληθινος θεος, *qui verum natura Deum notat, ideoque Christo tribui nequit.* At hoc est το εν αρχη λαμβανειν, ex hoc ipso enim loco evidenter deducitur, Christum esse verum natura Deum. Quidam se eo recipiunt, quod *Christus non sit a seipso, proinde nec* ο αληθινος θεος. Atqui generatio Filii a Patre tantum abest, ut veræ & perfectæ Christi deitati quidquam deroget, ut eam potius fortissime confirmet, est enim generatio *aeterna*, per quam Pater Filio divinam suam essentiam communicavit. Merito igitur Athanasius in disputatione

ne cum Ario in concilio Niceno hoc testimonium adpellat εγγραφον αποδειξιν *scriptam demonstrationem*, & subdit: *Sicut* Ioh. XVII. 3. *Christus dixit*: hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; *ita apostolus hic de filio dicit*: Hic est verus Deus & vita æterna, *ut utriusque, Patris scilicet & Filii, vera deitas stabiliatur.* Confer tract. de Deo Patre & Filio §. XXXVI. Dicitur autem Christus vita æterna non secundum alterutram duntaxat, sed secundum utramque naturam. Secundum naturam *divinam* dicitur vita æterna ουσιωδως και κυριως, *essentialiter ac principaliter*, quia est ipsa vita, æternum vivens, æterni & vivi Dei æternus ac vivens Filius, Ioh. V. 26. XI. 25. XIV. 6. Secundum *humanam* naturam est vita æterna υποστατικως και οργανικως, *personaliter & instrumentaliter*, quia enim adsumta caro est verbi omnia vivificare valentis propria caro, ideo ipsa quoque in personæ unitate est vivifica & organum vivificationis non separatum, sed unitum, non αεργον, sed ενεργητικον per vivificandi virtutem a λογω sibi personaliter communicatam. Secundum *utramque naturam* Christus est vita æterna 1) υλαστικως και καταλλακτικως, *meritorie & expiatorie*, quia *mortem destruxit & vitam ac incorruptionem reduxit*, 2 Tim. I. 10. 2) υλικως, *materialiter* quia in Christi carne expiatum est peccatum, quod est causa mortis, & in vivifica Christi carne residet fons vitæ spiritualis & æternæ; 3) ενεργητικως και κοινωνικως, *effective & communicative*, quia *dat credentibus vitam aeternam*, Ioh. X. 28. carnem suam vivificam dat nobis manducandum VI. 51. *Hic est panis ille vivus, qui de cælo descendit, si quis ex ipso manducaverit, vivet in aeternum.* IV. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo illi, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*; prædicari mandat evangelium, quod est *verbum vitae*, Ioh. VI. 68. donat nobis remissionem peccatorum in qua consistit γνωσις σωτηριας, Luc. I. 77. ac Spiritum sanctum, qui est Spiritus vitæ προγευσιν quamdam vitæ æternæ in nobis accendens, qua ratione in credentibus etiam in hac vita inchoatur vita æterna. Ubi notandum, a) Christum inde atque ideo esse vitam ενεργητικως, quia est vita υλικως και ιλαστικως, inde atque ideo esse vitam υλικως και ιλαστικως quia est vita υποστατικως και οργανικως, denique inde atque adeo esse vitam υποστατικως και οργανικως, quia est vita ουσιωδως, ut sic gradus posterior priorem semper præsupponat, Ioh. VI. 57. *Vivo ego propter Patrem, & qui ederit me, vivet propter me;* b) falsum esse, quod quidam Calviniani disputant, *Christum duntaxat secundum divinam naturam efficienter esse vitam, ac secundum humanam naturam nonnisi secundario & organice esse vitam.* Bucanus loc. XXXIX. p. 441. Alstedius in lex. theol. p. 421. quæ adsertio ex negata idiomatum divinorum communicatione carni facta profluit.

§. VII. b) Pro *via vitae aeternae*, id est, pro ratione ac modo ad cœlestem gloriam perveniendi. Ioh. XII. 50. *Mandatum Dei est vita aeterna.* Ioh. XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quidam statuunt, *nomen vitae aeternae in propria significatione hic accipi* pro glorioso beatorum statu & cœlesti ipsorum felicitate, quæ in beatifica Dei & Christi cognitione, id est, in notitia Dei intuitiva consistit. Sic ergo adpellatio vitæ æternæ acciperetur

non *causaliter* sed *formaliter*, non pro *adquisitione* sed *fruitione* alterius vitæ hoc sensu: In eo consistit vita beatorum æterna, ut perfecte cognoscant summum bonum, *ibi enim erit Deus sine fine laudatio, ubi erit plena Dei cognitio, & quia plena cognitio, ideo summa glorificatio.* Hoc sensu dictum Christi accipit Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 24. *Cum venerit, quod perfectum est, tunc erit vita aeterna, ut cognoscamus unum verum Deum.* Lib. eiusdem cap. 33. *Cum siniștri* inquit, *abierint in ambustionem aeternam, iusti ibunt in vitam aeternam, quia haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum &c. illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animae desiderium.* Confer lib. I. de Trinit. cap. 13. lib. II. de lib. arbit. cap. 2. lib. I. de morib. eccles. cathol. cap. 25. in soliloq. cap. 36. Eodem modo accipiunt Lyranus, Thomas, Dionysius Carthusianus &c. Sed series textus ostendit, Christum principaliter ac præcipue hic loqui de via seu modo perveniendi ad cœlestem beatitudinem, ac proinde adpellationem vitæ æternæ accipi μετωνυμικως, qualis metonymia etiam alibi occurrit, Deut. XXX. 15. Ioh. III. 19. Rom. VIII. 6. &c. præcedit enim v. 1. *Pater clarifica Filium, ut Filius tuus clarificet te.* v. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam;* sequitur v. 4. *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam*, quibus in verbis medium salutaris illius cognitionis videlicet prædicatio; evangelii, per quam Spiritus sanctus in cordibus hominum ad fidem efficax est, exprimitur, quo sensu etiam plerique veterum Christi verba exponunt. Hilarius lib. IX. de Trin. *Si vita aeterna est, in Deum solum credidisse, sed non sine Christo, separato Christo a solo vero Deo, in confessione solius veri Dei vita aeterna non capitur &c. ad vitae aeternae meritum hoc proficit, ut cum credatur solus verus Deus, credatur & Christus.* Lib. V. contra Iulian. *Nihil conferendum censeo cum certa cognitione & subtili ac exacta comtemplatione Dei, non pecuniarum substantiam, non mundanum splendorem, non dignitatum gloriam, non sapientiae terrenae, animalis & diabolicae existimationem &c. optima gloriatio Dei cognitio.* Ambrosius lib. V. de fide cap. 2. *Idem praemium, unum honorem nobis dat Patris Filiique cognitio, quoniam mercedem habere non poterit, nisi qui & Patrem cognoverit & Filium. Sicut enim Patris, ita Filii cognitio vitam adquirit aeternam.* Huic interpretationi adfinis est ea, qua dictum Christi de *radice & origine*, sive προποτισμω vitæ æternæ, qui in hac vita credentibus obtingit, accipitur, quia prægustus ille vitæ æternæ consistit in salutari ac salvifica Dei & Christi cognitione ex verbo evangelii per Spiritus sancti operationem hausta. Cyrillus lib. XI. in Ioh. 16. *Radicem atque originem aeternae vitae fidem & verae pietatis virtutem Dominus esse adfirmat &c. Cum enim origo & quasi pronuba dictorum omnium bonorum cognitio Dei veri esse inveniatur, recte a Domino nostro Iesu Christo vita aeterna est adpellata quasi mater & radix virtute naturaque sua vitam aeternam parient.* Iansenius in comm. concord. evang. cap. 136. p. 976. utramque explicationem coniungit; statuit enim, *Christum loqui de vita aeterna ut est communis huic & futurae vitae*; unde monet, Christum non dicere, *ut videant te*, sed *ut cognoscant te.* Vita enim æterna inchoative & imperfecte hic habetur cognoscendo Deum per *fidem*, habetur autem in cœlo perfecte cognoscendo Deum per *visionem.*

Sed

Sed, uti oſtendimus, proprie & principaliter agit Chriſtus de modo perveniendi ad vitam æternam, ubi tamen notandum 1) particulam *ſolum* non excludere a deitate *Filium*, cum in cognitione vita æterna conſiſtere dicatur, nec Spiritum ſanctum utpote unius cum Patre & Filio eſſentiæ, ſed creaturas & fictitia nomina. 2) Intelligi non nudam γνωσιν θεωριτικην, ſed πρακτικην cum vera cordis fiducia coniunctam non literalem, ſed ſpiritualem notitiam, uſitatam regulam, quod *verba notitiae apud Hebraeos etiam connotent adfectum cordis*, qua de re alibi plenius. Bucanus d. l. metonymiæ huius ſignificationis exemplum ſtatuit in dicto Chriſti Ioh. III. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Sed præſtat adpellationem vitæ æternæ in propria ſignificatione ibi accipere. Quamvis enim pii in hac vita nondum habeant vitam æternam *conſummatam*, habent tamen *inchoatam*; quamvis nondum habeant *ius in re*, tamen habent *ius ad rem*, ex quo dulciſſima illa conſequentia profluit: *Deus dedit nobis Filium ſuum unigenitum, in hoc Filio eſt vita aeterna, & Filius eſt vita aeterna.* Ergo *Deus nobis in Filio dedit vitam aeternam. Qui credit in Filium, habet Filium in ſe per fidem habitantem. Qui habet Filium, habet vitam aeternam. Ergo qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Ioh. III. 16. & 36. Eph. III. 17. 1 Ioh. V. 11. 12. & 13.

§. VIII. *Cæli* nomine monet philoſophus lib. I. de cœlo cap. 9. text. 96. adpellari 1) *ultimam ſphaeram*, 2) *totum adgregatum ex orbibus cæleſtibus*, 3) το ολον και το παν, *totum univerſum.* Scriptura ſacra τα τριτα ερανα mentionem faciens 2 Cor. XII. 2. triplex cœlum nobis inſinuat. Eſt enim 1) *cælum naturae*, quod eſt tum *aëreum*, videlicet tota aëreæ regionis ab aquis & terra ad lunæ uſque orbem expanſio tum *aethereum*, videlicet firmamentum omnes ſphæras cœleſtes comprehendens, de quo Levit. XXVI. 19. Deut. XXVIII. 23. Matth. VI. 26. Luc. VIII. 5. *volatilia cæli.* 2) *Cœlum gratiae* quod eſt eccleſia, quæ in his terris Deo colligitur, de quo Matth. XX. 1. *Simile eſt regnum cœlorum patrifamilias.* 3) *Cœlum gloriae*, quod eſt ſanctiſſimum & beatiſſimum illud habitaculum, in quo Deus gloriam ſuam angelis & electis hominibus manifeſtat, in quod apoſtolus dicto loco ſeſe raptum eſſe adſerit, ac v. 4. nomine *paradiſi* εξηγητικως illud exponit. Notandum vero; 1) vocari illud tertium cœlum non ratione *ſitus*, vel διαταχτικως, ut volunt Calviniani, quaſi quemadmodum illud cœlum æthereum, in quo ſtellæ curſus ſuos peragunt, id eſt, firmamentum eſt ſupra cœlum aereum, in quo volucres verſantur: ita cœlum illud, in quo Chriſtus cum beatis angelis & electis verſatur, ſit proxime ſupra firmatum, ſed ratione *numeri* ac διακριτικως, ut a primis duobus cœlis, videlicet cœlo naturæ & gratiæ diſtinguatur, vel etiam ratione *perfectionis* atque εξοχικως, ut reliquis cœlis non tam loco quam dignitate ſublimius ſtatuatur. Diſtinguendum enim inter *beatorum ſedem & ſtatum. Sedes* eſt in certo quodam, που quod ubi ſit, definire non poſſumus, ut infra demonſtrabitur. *Status* eſt, ubicunque Deus ſe & gloriam ſuam ſanctis manifeſtat, ut adparet ex transfiguratione Chriſti, Matth XVII. 4. & ex dicto Salvatoris XVIII. 10. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris, qui in cœlis eſt.* 2) Aliter hoc cœlum dici de Deo & Chriſto, aliter vero

2) *Cæli.*

de creaturis, angelis scilicet ac beatis hominibus. *Cœlum gloriae*, quod Deo tribuitur, non significat locum aliquem creatum, sed increatam, æternam, invisibilem, infinitam & omnipotentem Dei maiestatem ad quam significationem reducitur ea, qua μετωνυμικως pro ipso Deo usurpatur. Cœlum gloriæ, quando de beatis accipitur, πρωτως significat gloriam cœlestem æternamque beatitudinem in beatifica Dei visione consistentem, δευτερως autem illud πᾶ, in quo beati cœlites existunt & summam illam gloriam ac lætitiam participant, ad quam significationem itidem reduci potest ea, qua pro ipsis angelis & beatis cœli incolis usurpatur. Inde quidam melioris distinctionis causa malunt quintuplex cœlum statuere 1) *aereum*, quod est aer terram ambiens, ad sphæram usque lunæ pertingens, 2) *fidereum*, quod est corpus cœleste, elementa claudens & ambiens, 3) *maiestaticum*, quod significat maiestatem, potentiam & gloriam divinam, quo sensu Deus dicitur habitare in cœlo, quod subdistinguitur in cœlum *potentiae*, *gratiae*, *gloriae* & *irae*, 4) *beatificum*, id est habitaculum seu πᾶ illud angelorum & beatorum in quo Dei visione fruuntur, 5) *mysticum*, quod significat statum beatorum, id est, vitam & lætitiam sempiternam. Vide Meisnerum part I. phil. sobr. sect. 3. cap. 4. q. 1. p. 819.

§. IX. Possumus autem διχοτομως sic progredi. Cœlum est vel φυσικον, *naturale*, vel πνευματικον, *spirituale*. Naturale est vel *aereum*, in quo aves volitant, vel *fidereum*, in quo sunt orbes cœlestes, de quorum numero discrepantes sunt sententiæ. Ut enim hæreticorum somnia gerris Siculis inaniora omittamus, puta Basilidis, qui 365. cœlos confingebat, tot scilicet, quot sunt dies in anno, ut testantur Tertullianus de præscript. p. 113. Epiphanius hæres. XXIV. Theodoretus lib. I. hæret. fabul. cap. 5. Augustinus lib. de hær. cap. 4. ac Valentini, qui septem intellectuales cœlos exstruebat teste Irenæo lib. I. adv. hæres. cap. 1. p. 9. Manichæorum, qui decem cœlos statuebant &c. inter ipsos saniores theologos & philosophos magna occurrunt opinionum divortia. Chrysostomus homil. IV. in Genes. col. 21. *unum solum orbem cœlestem* videtur agnoscere, cui hoc opponi solet, quod in cœlo plures sint motus quam unus, iam vero unius corporis simplicis unicus solummodo est motus, lib. XII. metaphys. cap. 1. & lib. I. de cœlo cap. 2. ergo in cœlo plura distincta corpora, plures scilicet dandi sunt orbes. Origenes lib. VI. contra Celsum f. 75. & 76. *cælorum sive sphaerarum cœlestium numerum aliquem praefinitum scriptiones, sacras, quibus in ecclesia utimur, haudquaquam designare* adserit, quod verissimum esse quilibet intelligit. Ex philosophis igitur & astronomis numerus orbium cœlestium petendus. Sed & illi plurimum variant. Plato in Timæo & Epinomide, Aristoteles lib. II. de cœlo cap. 12. *octo tantum orbes* omnesque stellatos posuerunt, Timocharis vero, Hipparchus & Ptolemæus, observantes in omnibus orbibus stellatis præter modum diurnum, quo feruntur ab ortu versus occasum, insuper adhuc aliam, quo quasi proprio feruntur ab occasu in ortum, *nonam sphaeram* ponere coacti fuerunt, cui proprius esset motus diurnus. Sed illorum etiam diligentiam sequentium temporum astronomi superarunt. Nam Thebit Ben Corath Iudæus, qui quadraginta annis in sublimi monte habitasse dicitur, ut motum octavæ sphæræ exactius deprehenderet,

item

item Alphonsus, Castiliæ & Hispaniarum rex, qui convocatis ex omnibus regnis & provinciis viris astronomiæ peritissimis, Arabibus, Iudæis, Mauris, Ægyptiis, Hispanis circa annum Christi 1251. tabulas cœlestium motuum Toleti confici curavit, & ex recentioribus Georgius Purbachius in theor. planet. pag. 132. & alii eorum sequaces deprehenderunt tres octavæ sphæræ motus. Unum *diurnum*, alterum, quem in tabulis *augium & stellarum fixarum* nominant; tertium, quem vocant *motum accessus & recessus vel trepidationis*, ex qua observatione colligunt, non solum nonum sed & *decimum* orbem esse concedendum, ne uni corpori duos motus naturales tribuere cogamur. Verum de his uberius agere huius nec loci est nec instituti. Cœlum *spirituale*, est vel *gratiae*, quod ecclesiæ in his terris militanti, vel *gloriae*, quod vel *Deo creatori* vel *creaturis*, beatis scilicet angelis & hominibus, puta ecclesiæ in cœlis triumphanti tribuitur, idque significat beatorum vel sedem vel statum, de quo hoc loco proprie agitur. Confer Flacium in clavi scriptur. in voce *cœlum*. (*)

§. X. Ex his facile intelligitur, quid de aliorum distinctionibus in defectu vel excessu peccantibus sit statuendum. Pantheologia veterum dicit, *cœlum aliud esse materiale, aliud spirituale, aliud substantiale, in quod Christus usque ad qualitatem Patris adscenderit.* Thomas part. I. q. 68. art. 4. quinque modis cœlum usurpari adserit 1) pro *corpore cœlesti*, quod in *fidereum*, *crystallinum & empyraeum* partitur, 2) pro *participatione proprietatis alicuius cœlestis*, veluti totum spatium, quod est ab aquis usque ad sphæram lunæ, vocatur cœlum, quod alii nominant *aereum*, 3) per metaphoram & iuxta sensum mysticum pro *incomprehensibili sublimitate & inaccessibili luce divinae maiestatis*, quam adfectaverit lucifer Esai. XIV. 13. 4) pro *tribus generibus supernaturalium visionum corporalis, imaginariae & intellectualis*, secundum quam cœli significationem Augustinus raptum Pauli in tertium cœlum, per quod visionem intellectualem intelligit, interpretatur lib XII. de Genes. ad lit. cap. 29. 5) pro *spiritualibus bonis*, in quibus futura remuneratio sanctorum. Bonaventura lib. II. sentent. dist. 2. *Secundum maiorem computationem novem numerantur cœli largissime accipiendo, scilicet* 1) *aereum, quod est regio aeris inferior*, 2) *aethereum, quod est regio aeris superior*, 3) *olympium, quod est inferior regio ignis*, 4) *igneum, quod est superior regio ignis*, 5) *cœlum planetarum*, 6) *firma-*

(*) Alii brevius: cœlum φυσικον accipitur 1) pro rudi & indigesta materia in principio a Deo creata, Genes. I. 1. 2) pro cœlo fidereo & adspectabili, quod omnia reliqua inferiora suo circuitu claudit & ambit, Genes. I. 14. 3) pro aere totum illud interstitium quod est a terra ad sphæram usque lunæ, carepante, Genes. I. 28. VIII. 2. 4) pro universitate omnium corporum materialium a supremo orbe ad infimas usque terræ partes sive toto universo, Aristoteles lib. I. de cœlo cap. 9. text. 96. Cœlum πνευματικον accipitur 1) μετωνυμικως pro ipso Deo Dan. IV. 34. Luc. XV. 21. XX. 4. Ioh. III. 27. 2) pro infinita gloria, celsitudine, potentia ac sublimitate & inaccessibili divinae maiestatis luce, Esai. XIV. 13. vocatur cœlum maiestaticum, LXVI. 1. Luc. XI. 2. Actor. III. 21. XVII. 24. Hebr. IX. 24. 3) pro statu beatorum felicissimo seu vita æterna & gaudio sempiterno. Phil. III. 20. 4) pro habitaculo beatorum, id est, πα angelorum & omnium beatorum, Luc. XVI. 26. 2. Cor. XII. 2. & 4.

mentum, 7) *aqueum*, 8) *empyraeum* & 9) *cælum Trinitatis*. Inter Calvinianos Alstedius in theolog. didact. sect. III. cap. 4. p. 273. has enumerat significationes: *Cælum proprie notat totum illud expansum a superficie terrae ad extrema usque cælorum culmina*, Genes. II. 1. *improprie tum accipitur metonymice* pro *ipso Deo*, Dan. IV. 34. Matth. XXI. 25. Luc. XV. 18. pro *angelis & spiritibus beatis*. Iob. I. 15. Psalm LXXXIX. 6. LXIX. 35. item pro *ecclesia militante*, *cuius ortus est e cælo*, & πολίτευμα *locusque triumphi est in cælo*, Dan. VIII. 10. Apoc. IX 1. XII. 7. LXVI. 22. Luc. X. 18. pro *nubibus denique & meteoris*, Levit. XXVI. 19. *tum synecdochice* vel pro *cælo supremo*, Marc. XVI. 19. vel pro *cælo stellifero*, Psalm. XIX. 7. vel pro *aere*, Gen. I. 26. quæ uti solet, transscripsit ex Polano lib. V. syntagm. theol. cap. 8. p. 272. Timplerus lib. I. absychol. cap. 3. probl. 1. tres duntaxat significationes vel species cœli admittit, videlicet cœlum 1) *aereum* 2) *sidereum*, 3) *empyraeum*, cum scriptura nomine coeli indigitet modo *regionem aeris*, modo *regiones stellarum*, modo *locum beatorum*, quam divisionem declarat comparatione coeli cum templo Salomonis, quod fuit distinctum in tres partes *atrium* scilicet, *sanctum*, & *sanctum sanctorum*, quæ transscripsit ex Zanchio part I. de operib. sex dier. lib. 1. cap. 4. p. 63. &c. Auctores concordantiarum edit. Francof. anno 600. significationes coeli hoc ordine enumerant: Coelum 1) *est tota aeris & aetheris regionis ab aquis & terra ad lunae usque orbem expansio*, 2) *quod omnes sphaeras cæleſtes continet*, 3) *Dei habitatio beatorum sedes*, *quod supra cæleſtes orbes collocatum*, 4) *tota illa compages mare & terram circumplectens*, *quae aerem*, *aethereum regionem & cælos continet*, 5) *lucida illa pars a crassiori & terrea longo intervallo distincta*, 6) *Dei mandatum & adprobatio*, 7) *cælum novum*.

§. XI. III) *Synonyma* epitheta & encomia tam coeli quam vitæ æternæ, id est, tam sedis quam status beatorum in scripturis occurrunt complura, quorum quædam sunt *propria*, quædam vero & quidem pleraque omnia sunt *tropica*, eademque vel *metonymica*, vel *metaphorica* vel *synecdochica*. Vocatur enim 1) *beatorum sedes* a) *cælum* absolute & simpliciter Matth. V. 12. Marc. X. 21. &c. ad excellentiam illius denotandam. Membra comparationis coeli beatorum cum coelo visibili exposuimus superius §. V. Item *tertium cælum* 2 Cor. XII. 2. rationem adpellationis exposuimus paulo ante §. VIII. *Coelum coelorum*, Deut. X. 14. Psalm. CXV. 16. &c. quia reliquis coelis adspectabilibus est sublimius non tam situs quam dignitatis ratione. *Coelum novum ac terra nova*, Esai. LXV. 17. LXVI. 22. 2. Petr. III. 13 Apoc. XXI. 1. Albertus in comm. Matth. V. *Licet sit coelum respectu terrae*, *in qua habitant morientes*, *tamen terra dicitur respectu superioris coeli*, *in quo Trinitas habitat*, *quod dicitur coelum Trinitatis*. b) *Paradisus*, Luc. XXIII. 43. 2. Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. quia paradisus terrestris, in quem primi homines erant collocati, fuit typus coelestis illius paradisi, in quem omnes electi introducentur, ut infra demonstrabitur. c) *Manus Dei*, Sap. III. 1. d) *Sinus Abrahae*, Luc. XVI. 22. Rationem adpellationis exposuimus in tractat. de morte §. CLXI. e) *Domus Patris coelestis*, Psal. LXXXIV. 5. Ioh. XIV. 2. *domus* ἀχειροποίητος *aeterna in coelis*, 2. Cor. V. 1. *habitaculum sanctitatis Dei*, Deut. XXVI.

III) συνωνυμία.

1) *ratione sedis.*

15. *habitaculum sessionis Dei*, Psalm. XXXIII. 14. in qua adpellatione respectus habetur tum in genere ad domum quamlibet, quæ hominibus in hac vita præbet domicilium, tum in specie ad tabernaculum & templum Hierosolymitanum, quæ domus Dei in scripturis solent adpellari, Exod. XXIII. 19. Deut. XXIII. 18. 1. Reg. II. 36. Luc. VI. 4. Ioh. II. 16. &c. Quemadmodum enim homo habitat in sua domo; sic Deus dicitur *habitare in coelo*, Psalm. II. 4. Quemadmodum patersamilias familiariter cum suis in domo conversatur, ita coelestis Pater in hac domo sua gloriam suam angelis & electis manifestat, ac familiarissime cum illis agit. Quemadmodum ad domum non admittuntur peregrini, sic soli *domestici Dei* in domum coelestem colliguntur, Eph. II. 19. Hoc tempore soli angeli & animæ sanctorum versantur in illa domo, nos autem *peregrinamur a Domino*, 2. Cor. V. 6. sed veniet tempus, quo recipiemur inter Dei domesticos, tunc domus Dei erit etiam nostra domus. Quemadmodum sua cuique domus est tutissimum receptaculum; sic in domo Dei pacatissima requies & summa securitas nobis parata. In specie ac peculiariter typus huius domus coelestis fuit templum Hierosolymitanum, ut infra ostendemus. f) *Repositorium*, ἀποθηκη, quod vulgata versio reddidit *horreum Dei*, Matth. III. 12. Luc. III. 17. *Mundabit Christus aream suam, & congregabit triticum in horreum suum.* Quemadmodum grana a paleis separata in locum tutum reponuntur; sic Deus pios ab impiis sequestratos in coeleste granarium colliget. g) *Tabernacula pacis*, Esai. XXXII. 18. *tabernacula aeterna*, Luc. XVI. 9. Tabernacula, in quibus pii patriarchæ olim habitarunt, fuerunt transitoria & portatilia, sed coelestia illa tabernacula, in quæ pii congregabuntur, erunt æterna. Vocatur etiam *tabernaculum Dei*, Psal. XV. 1. quia in coelo erit *tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, Apoc. XXI. 3. h) *Mons Domini*, Psal. XV. 1. Quemadmodum templum Hierosolymitanum exstructum erat in monte *Moria*, qui ob id *mons Domini, mons sanctus, mons domus Domini* adpellatur; sic ecclesia triumphans, cuius typus fuit illud templum, in coelo ab omni terrena conditione remoto colligetur. Quidam de ecclesia militante, quæ est triumphantis quasi προθυρον atque atrium, malunt hoc intelligere, ea enim sæpissime in scripturis per montem Sion describitur, Psalm. II. 6. Esai. II. 3. Mich. IV. 1. &c. sed constat ex aliis scripturæ locis, non tantum militantem sed & triumphantem ecclesiam in monte Domini collocari, Psalm. XXIV. 3. Heb. XII. 22. Apoc. XIV. 1. i) *Templum Dei*, Psalm. XI. 4. *Dominus in templo sancto suo Dominus in coelo sedes eius*, XVIII. 7. *Dominus exaudivit de templo suo vocem meam.* Quidam malunt de templo Hierosolymitano intelligere, in quo Deus τυπικως respectu peculiaris & gratiosæ præsentiæ habitare dicebatur; sed potest haud incommode ad ipsum etiam αντιτυπον referri, de quo Apoc. XXI. 22. *Templum non vidi in illa civitate, Dominus enim Deus omnipotens templum illius & agnus.* III. 12. *Faciam illum columnam in templo Dei mei.* k) Τα αγια, *sanctuarium vel sacrarium*, Hebr. IX. 12. X. 19. quia sacrarium templi Hierosolymitani fuit typus coelestis illius domicilii ac templi. l) *Hierusalem absque muro habitabilis*, Zach. II. 4. *Hierosolyma, quae sursum est*, Gal. IV. 26. *Hierusalem coelestis*, Hebr. XII. 22.

His-

Hierusalem nova, propter perfectam animarum & corporum innovationem, *civitas sancta descendens de cælo a Deo parata*, Apoc. XXI. 2. & 10. *civitas Dei viventis*, Heb. XII. 22. *civitas habens fundamenta*, *cuius δημιουργος Deus*, Heb. XI. 10. & 16. *civitas futura*, Heb. XIII. 14. quia typus illius fuit Hierusalem terrena Israelitici populi metropolis, templi sedes, ecclesiæ nov. test. mater, civitas Dei ἐξοχικως dicta. Sicut in vita humana nihil pulchrius civitate optimis legibus munita; sic in vita æterna erit pulcerrima societas *των θεω συμπολιτων*, quam sanctissimis legibus Christus reget. *Hierosolyma* significat visionem pacis; atqui in cœlesti illa civitate pax & quies felicissima locum habebit. m) *Patria*, Heb. XI. 14. quia pii in terra sunt peregrini & advenæ, *non habent hic civitatem manentem, sed futuram inquirunt*, Heb. XIII. 14. n) *Regio viventium*, Psal. CXVI. 9. *terra viventium*, Psalm. XXVII. 13. ob causam mox explicandam &c.

§. XII. 2) *Status* beatorum adpellatur a) *vita* simpliciter & absolute Ezech. XVIII. 9. Matth. VII. 14. XVIII. 8. &c. quia hæc vita mortalis potius mors est, quam vita, cum quotidie propius ad terminum eius sive mortem accedamus; sed futura illa vita beatorum vere erit vita, tum propter *felicitatem* tum propter *aeternitatem*, erit enim in ea *aeterna felicitas & felix aeternitas*, quæ sola veram vitam efficit. *Vita aeterna* cuius προσδιορισμε rationem superius exposuimus §. IV. Ioh. III. 16. Gal. VI. 8. Tit. III. 7. 1 Ioh. II. 25. &c. Hebræis dicitur חיי עולם in *plurali*, Dan. XII. 2. ubi quidam quærunt emphasin, quod plures quasi vitas propter æternam durationem complectatur, sed Hebræum חיים est *plurale* tantum, quia vita plures annos vel gradus complectitur. b) *Regnum cælorum*, Matth. V. 20. VII. 21. VIII. 11. Iohan. III. 5. *regnum Dei*, Matth. VI. 33. Marc X. 23 Act. XIV. 22. *regnum Dei cæleste*, 2 Tim. IV. 18. Rom. XIV. 17. 1 Cor. VI. 10. &c. *regnum Patris*, Matth. XIII. 43. XXVI. 29. *regnum Christi*, Luc. XXIII. 42. Apoc. I. 9. *regnum aeternum Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi*. 2 Pet. I. 11. Quidam addunt locum Eph. V. 5. sed *ibi regnum Christi a regno Dei* distinguitur, ac per regnum *Christi* intelligitur modus regiminis, quo Christus ecclesiam in his terris militantem per verbum & sacramenta colligit, gubernat & adversus hostes defendit; per regnum autem *Dei* intelligitur modus regiminis, quo ecclesiam in cœlis triumphantem devictis & prostratis omnibus hostibus in æternum reget, ut ostendimus in tract. de consumm. sec. §. XC. *regnum paratum a constitutione mundi*, Matth. XXV. 34. *regnum* absolute & simpliciter, Luc. XII. 32. &c. quia electi in summa & ineffabili gloria cum Christo in cœlis regnabunt, Apoc. XX. 6. abolitis omnibus hostibus, diabolo, morte, peccato, mundo, inferno &c. Quot & quibus modis alias regnum & regnum cœlorum in scripturis accipiatur, alibi exponitur. c) *Hereditas*, Act. XX. 32. Gal. III. 18. Eph. I. 14. &c. *divitiae hereditatis Christi*, id est, quam Christus promeruit ac donat, Eph. I. 18. *hereditas in regno Dei*, Eph. V. 5. *retributio hereditatis*, Col. III. 24. *hereditas salutis*, Hebr. I. 14. *hereditas aeterna*, Hebr. IX. 15. *hereditas αφθαρτος και αμιαντος και αμαραντος τετηρημενη εν ουρανοις*, 1. Petr. I. 4. ubi in singulis epithetis est magna emphasis.

2) *Ratione status.*

Est

Est *hereditas incorruptibilis*, ergo non habet finem vel terminum; est *incontaminata*, ergo gaudium illius nulla tristitia vel dolore contaminabitur, aut perturbabitur; est *immarcescibilis*, ergo nulla eiusdem non capiet satietas, sed illius felicitas in pleno flore ac vigore perpetuo durabit, qua ratione a terrena hereditate etiam amplissima ac vere regia distinguitur, quæ & perire potest & contaminari & marcescere. Quare autem vita beatorum æterna hereditatis nomine insigniatur, facile cuivis adparet. Pii non obtinent eam operum suorum meritis tanquam debitam mercedem, sed Christus promeruit eis ius υοθεσιας, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioh. I. 12. quod *& filii, utique & heredes*, Rom. VIII. 17. filii Dei per Christum, ergo & heredes Dei per Christum. Interim ut hereditas simul est largissima compensatio obedientiæ, quam filius patri præstat; ita quoque cœlestis hereditas ratione sequelæ est omnium operum bonorum a piis præstitorum, & omnium passionum ab ipsis toleratarum amplissima remuneratio. Adde quod hereditas μετωνυμικως usurpetur pro *quavis re grata & accepta*, quia in populo Israëlitico hereditas utpote a Deo ipso inter tribus distributa erat perquam grata & pretiosa. Ecquid vero pretiosius, gratius & acceptius piis esse potest, quam vita æterna. Hæc hereditas *non minuitur copia possessorum, nec fit angustior heredum numerositate sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.* Augustinus in Psalm. 49. d) *Gaudium piorum*, Ioh. XVI. 24. ratione subiecti, *gaudium Domini*, Matth. XXV. 23. ratione causæ efficientis & obiecti, *satietas gaudiorum*, Psalm. XVI. 11. ratione adiuncti, *gaudium in Spiritu sancto*, Rom. XIV. 17. ratione causæ efficientis & formalis simul, erit enim gaudium a Spiritu & in Spiritu, non terrenum & transitorium, sed spirituale, cœleste & æternum. Confer Esai. XXXV. 10. e) *Pax*, Rom. XIV. 17. Luc. I. 79. *requies*, 2 Thess. I. 7. *refrigerium*, Act. III. 20. *sabbatum ex sabbato*, Esai. LXVI. 23. σαββατισμος, Heb. IV. 9. καταπαυσις, v. 11. quia pii requiescent ab omni labore & dolore. Apoc. XIV. 13. festos dies perpetuo agent, in meditatione beneficiorum & operum divinorum semper occupati erunt &c. f) *Salus*, σωτηρια, *beatitudo*, μακαριοτης, Esai. XXXIII. 16. Act. IV. 12. 1 Thess. 5. 9. &c. *salus aeterna*, Esai. XLV. 17. Hebr. V. 9. παραδοξον της σωτηριας, Sap. V. 2. quia pacis ac salutis nomine Hebræi omnis generis bona, quorum in vita æterna copia erit uberrima, exprimunt. g) *Corona*, Apoc. III. 11. *corona iustitiae*, 2 Tim. IV. 8. *corona vitae*, Iac. I. 12. Apoc. II. 10. *corona gloriae*, Psalm. VIII. 6. 1 Petr. V. 4. quia beati sunt victores omnium suorum hostium, sunt sponsæ agni. h) *Gloria filiorum Dei*, Rom. V. 2. VIII. 21. *futura gloria*, Rom. V. 2. *aeterna gloria*, 1 Petr. V. *aeternum pondus gloriae*, 2 Cor IV. 17. *divitiae gloriae*, id est, dives gloriæ hereditas, Eph. I. 18. *gloria* absolute & simpliciter, Rom. IX. 23. Phil. IV. 19. Col. I. 27. 1 Thess. II. 12. &c. *gloria cœlestis*, 2 Tim. II. 10. *aeterna Dei gloria*, 1 Petr. V. 10. quia quos Deus ab æterno prædestinavit, & in tempore vocavit ac iustificavit, illos in futura vita glorificabit, Rom. VIII. 30. in summum honoris & gloriæ fastigium eos evehendo, gloriosis animæ & corporis dotibus exornando, ab omnibus infirmitatibus liberando, a mundi ignominia vindicando, coronam gloriæ donando &c. i) υοθεσια *adoptio*

in filios, Rom. VIII. 23. In hac vita per fidem reddimur Dei filii, & in actu iustificationis ac regenerationis obtingit nobis adoptio, Ioh. I. 12. sed consummata adoptio, id est, ipsa possessio hereditatis, ad quam & in quam adoptati sumus, obtinget in cœlo. De his vitæ æternæ adpellationibus ac denominationibus sic differit Andreas Cæsarienſis in Apoc. XIX. *Cum varia & magna futuri seculi sint bona, quae omnem mentem & cogitationem multis partibus superant, illorum usus & participatio variis multisque nominibus exprimitur. Quandoquidem propter incomparabilem gloriae splendorisque magnitudinem beatorum merces aliquando regni cœlestis nomine designatur. Nonnunquam vero quod bonorum omnium copia quae nunquam deficiunt, adfluat, & esculentorum spiritualium omnium adparatu abundat, paradisus vocatur. Quandoque autem sinus Abrahae adpellatur, ea fortasſis de causa, quod vita defuncti ibi fortiantur requiem. Interdum denique thalami & nuptiarum vocabulo insinuantur, idque ut nobis videtur, non modo propter continuam laetitiam & oblectationem, verum etiam propter sinceram & inexplicabilem Dei ad servos suos coniunctionem, quae tantum excedit corporum copulam quantum lumen tenebras & pretiosum unguentum cuiusque cadaveris fœtorem & graveolentiam.* Guilielmus Alvernus de retribut. sanctor. cap. 1. *Retributio sanctorum dicitur secundum suum principale imo secundum suum totum gloria animarum &c. Nominatur etiam beatitudo, quia ipsa est desideriorum omnium plenitudo. Dicitur & vita aeterna, quia multum contraria est temporali.*

§. XIII. Huc referri possunt periphrasticæ piorum veterum descriptiones, quibus vitæ æternæ felicitatem utcunque adumbrant. Gregorius Nyſſenus orat. I. de pauperibus amand. vitam æternam sic describit, quod sit *vita beata, nullum finem habitura, nullis malis obnoxia, in summis & admirandis, quaeque hic a nobis cognitione comprehendi non possunt, versans gaudiis & voluptatibus.* Basilius in enarr. Psalm. 45. *Vita aeterna est primogenitorum ac descriptorum in cœlis congregatio stabilis ac perpetua.* Ambrosius in Galat. VI. *Haec est vita aeterna vivere sine poena & habere gloriam.* Augustinus lib I. de morib. eccles. cathol. cap. 25. *Vita aeterna est totum praemium, cuius promissione gaudemus. Æterna vita est ipsa cognitio veritatis.* Lib. I. de Trinit. cap. 13. *Vita aeterna est illa contemplatio, qua non ad poenam videtur Deus, sed ad Gaudium sempiternum.* Lib. VI de civit. Dei cap 12. *Æterna vita est, ubi vera & plena felicitas est.* Et postea: *Eam vitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas.* Gerson lib. IV. de consol. theol. prosa. V. *Beatitudo est status omnium bonorum adgregatione perfectus.* Plura adducentur inferius, quando de forma vitæ æternæ dissertatio instituetur.

CAPVT II.

AN SIT VITA ÆTERNA?

An sit vita aeterna? Adfirmativa probatur.

§. XIV. Ab ονοματολογια transitum facimus ad πραγματολογιαν, in qua primo loco occurrit quæstio, *an sit vita aeterna?* Adfirmativa probatur 1) ex *manifestis scripturae dictis* in vet. & nov. test. *1) ex dictis scripturae a) vet. test. a) ex Mose.*

ma-

magno numero occurrentibus, quorum plurima collegit Augustinus lib. XIX. contra Faustum Manich. cap. 80. Dicta vet. test. petuntur 1) ex *Mose*. Gen. II. 7. *Inspiravit Deus in faciem hominis a se conditi spiraculum vitae*, id est, animam rationalem immortalem, ac proinde homo non solum ad hanc animalem & certo tempore desituram, sed etiam ad cœlestem & æternam vitam a Deo fuit conditus, id quod etiam colligitur ex subiecta comminatione v. 17. *quacunque die comederis ex hac arbore, morte morieris;* id est, morti obnoxius redderis & vita æterna privaberis. Nisi enim homo ad vitam æternam fuisset a Deo conditus, non potuisset transgressioni statui mortis æternæ pœna. Idem colligitur ex creationis hominis ad imaginem Dei, Gen. I. 27. quippe cuius pars est beata immortalitas, ad quam post expletum vitæ animalis cursum fuisset homo sine mortis interventu translatus, Sap. II. 23. Quin & cum homo per inobedientiam a Deo aversus spe & vitæ æternæ penitus excidisset, Deus ex immensa misericordia propter promissum semen mulieris ipsum in spem vitæ æternæ iterum erexit, Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*; id ed, destruet regnum satanæ, auferet mortem, reducet perfectam iustitiam & vitam æternam. Prolapsi erant primi parentes per & propter peccatum in æternam mortem, exciderant beata immortalitate, ad quam creati erant, utique ergo promissione de restitutione vitæ æternæ in Christo & per Christum erant iterum erigendi. Confer tractat. de resurrect. § VI. Gen. IV. 7. dicit Deus ad Cainum: *Nonne si bene feceris, erit levatio vel venia?* Illud targum Hierosolymitanum sic reddidit: *Si emendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur & remittetur tibi in futuro seculo*, & addit, Abelem cum Caino, inter cætera de *futuro seculo* disceptasse, illo quidem id adfirmante, hoc vero proterve illud negante. Et sane testatur ipse eventus, promissionem illam de gratia Dei & retributione benefactorum piis datam non esse de temporali mercede unice vel potissimum intelligendam, quia Abel paulo post a fratre occiditur; sed *sanguis eius clamat ad cœlum*, id est, anima ipsa ad cœlestem gloriam evecta, vindictam expetit, & corpus suo tempore ad vitam suscitabitur &c. Gen. XII. 3. *In te*, hoc est, in semine tuo, in promisso Messia ex semine tuo nascituro, *benedicuntur omnes gentes*, quæ promissio repetitur XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. Psal. LXXII. 17. complectitur autem restitutionem vitæ æternæ per lapsum amissæ, Gal. III. 14. Opponitur enim hæc benedictio maledictioni, per quam temporali & æternæ morti homo factus fuit obnoxius, unde apostolus benedictionem illam a Christo nobis partam sic exponit Eph. I. 3. quod *benedixerit nos Deus in omni beneдictione spirituali εν τοις επουρανιοις, in cælestibus*; ac Iacob patriarcha in promulgatione huius promissionis vidit scalam a terra ad cœlum adscendentem, Gen. XXVIII. 12. ut per Christum in cœlum nobis reditum comparari intelligeret. Gen. XV. 1. dicit Dominus ad Abrahamum: *Ero merces tua magna nimis;* non tantum in hac, sed etiam ac vel maxime in futura vita, 1 Tim. IV. 8. potest enim hæc promissio intelligi tum *causaliter*, quod Deus largissimam mercedem sit daturus Abrahamo, tum *formaliter*, quod Deus ipse per beatificam sui visionem sit futurus ipsius merces, quia Deus *erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. Sensus ergo est: Ego, qui sum Deus summum & infinitum bo-

bonum, omnium bonorum mare inexhauſtum, ero merces, præmium & beatitudo tua. Spreviſti bona terrena a rege Sodomorum oblata, ego ipſe ero merces tua æterna. Gen. XLIX. 18. Iacobus morti vicinus dicit: *Salutare tuum*, vel *ſalutem tuam exſpecto Domine*, non temporariam & tranſitoriam, dicebat enim Gen. XLVIII. 21. *en ego morior*; ſed æternam, quam propter promiſſum Meſſiam ſibi dandam firmiſſime credebat & exſpectabat. Confer Chald. paraph. illius loci. Exod III. 6. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob*; ex quo Chriſtus colligit, Abrahamum, Iſaacum & Iacobum poſt mortem adhuc vivere, & ad vitam æternam ipſorum corpora eſſe reſcuſcitanda, *cum Deus non ſit Deus mortuorum ſed viventium*, Matth. XXII. 32. Marc. XII. 26. Luc. XX. 37. Confer tract. de morte §. CXLV. Levit. XVIII. 5. *Cuſtodite leges meas & iudicia, quae faciens homo vivet in eis.* Huc pertinent omnes promiſſiones legales, in quibus legem perfecte præſtantibus vita & ſalus promittitur, Exod XX. 6. Deut. IV. 1. V. 33. XXX. 15. 19 Ezeh. XX. 13. 21. &c. quia lex promittit non ſolum huius vitæ bona, ſed etiam vitam & præmia æterna, verum perfecte eam implentibus. Luc. X. 25. quærit legis peritus. *Quid faciendo vitam aeternam poſſidebo?* huic Chriſtus reſpondet, *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis?* cumque ſummam legis de dilectione Dei & proximi legis peritus recitaſſet, ſubiungit Chriſtus v. 28. *recte reſpondiſti, hoc fac & vives.* Utique ergo promiſſio legi addita non de huius duntaxat vitæ præmiis, ſed etiam de æterna vita accipienda eſt. Rom. II. 13. *factores legis iuſtificabuntur*, id eſt, iuſtitiam & vitam æternam conſequentur. VII. 10. *Mandatum quod erat mihi ad vitam*, beatam & ſempiternam conſequendam, *datum, hoc eſt ad mortem*, X. 5. Gal. III. 12. *Iuſtitia legis haec eſt, qui fecerit ea, vivet in eis.* Unde verba legis vocantur, λογια ζωντα, Actor. VII. 38. ſed quia in hac vitæ infirmitate nemo hominum perfecte legem præſtat, ideo *promiſſiones legis nobis reddunturinutiles*, Rom. VIII. 4. non quidem legis ſed noſtro vitio, quo reſpiciens apoſtolus negat, *legem eſſe datam, quae poſſit vivificare*, ſive vitam æternam dare, Galat III. 21. ex quo tamen ipſis promiſſionibus legalibus abſolute & in ſe conſideratis nihil quidquam decedit, quo minus vitam æternam iudicentur offerre obedientibus, unde notanter dicit apoſtolus: *Si data eſſet lex, quae poſſet vivificare*, ουτως vere ex lege eſſet iuſtitia, & conſequenter etiam vita æterna.

§. XV. 2) ex *Iobo & pſalmis.* Iob XIX. 26. *Videbo Deum in carne mea.* Pſalm. I. 1. *Beatus vir, qui non abit in conſilio impiorum.* Huc pertinent reliqua dicta, in quibus agitur *de beatitudine.* Pſalm. II. 12. *Beati omnes, qui confidunt in Meſſia.* XXXII. 1. *Beati quorum remiſſae ſunt iniquitates.* XXXIII. 12. *Beata, gens, cuius eſt Dominus Deus.* XXXIV. 9. *Beatus vir, qui ſperat in Domino.* XLI. 2. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum &c.* Plura eiuſmodi paſſim in pſalmis occurrunt ibi enim intelligitur non tantum huius, ſed etiam ac vel maxime futuræ vitæ felicitas piis promiſſa, quod colligitur 1. ex *phraſi.* In Hebræo enim eſt plurale, *beatitudines viri illius*, id eſt, vir ille omni beatitudinum genere implebitur, erit maxime beatus, id vero cœleſti & æternæ beatitudini duntaxat congruit. 2) Ex *ſorte pio-*

2) *ex Iobo & pſalmis.*

piorum in hoc mundo, quia pii in hac vita præ reliquis cruci sunt obnoxii, impiis contra in hoc mundo florentibus Psalm CXLIV. 15. *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt, beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* 3) Ex *promissionibus tam legalibus quam evangelicis*, quæ qiis & in Messiam credentibus factæ, utræque enim beatitudinem æternam complectuntur, 1 Tim. IV. 8. 4) Ex *beatitudinis illius descriptione*. Statuitur enim illa beatitudo in peccatorum remissione, in spe & fiducia &c. atqui fructus remissionis peccatorum & finis fidei est vita æterna, Psalm. XXXI. 2. *Inte Domine speravi, non confundar in aeternum.* Atqui non debet confundi in æternum, is sperat æternam beatitudinem. Ubi tamen notandum, dicta illa, in quibus *subiectum* id est, qualitas & actiones beatorum describuntur, prudenter distinguenda esse ab illis dictis, in quibus *forma & modus* beatitudinis impetrandæ describitur; neque enim omnia, quæ descriptionem subiecti continent, ad modum & formam beatitudinis statim pertinent. Psalm. XVI. 5. *Dominus pars hereditatis meae.* v. 6. *Hereditas praeclara est mihi.* v. 9. *Propter hoc laetatum est cor meum.* v. 11. *Notas mihi facies vias vitae, abundantia gaudiorum est cum vultu tuo, delectationes in dextra tua usque, in aeternum.* XVII. 15. *Ego in iustitia videbo faciem tuam, satiabor cum excitatus fuero ad imaginem tuam* XXII. 27. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi.* XXVII. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Augustinus tract. CXXIV. in Ioh. *Hic tolerantur mala huius mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona Domini in terra viventium.* Psalm. XXXVI. 8. *Quam pretiosa est misericordia tua Deus, filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* v. 9. *Inebriabuntur a pinguedine domus tuae, & torrente voluptatis tuae potabis eos.* v. 10. *Quoniam apud te est fons vitae & in lumine tuo videbimus lumen.* Petrus Cluniacensis lib. VI. epist. 40. *Quae iucunditas illa miseris mortalibus ignota? qua torrente voluptatis ipsius potatae insatiabili satietate eb illo, apud quem est fons vitae post has tam densas, tam odibiles Ægypti tenebras in lumine eius videbitis lumen?* Theodoretus in comment. refert hunc locum ad præsentium spiritualium bonorum adfluentiam, quam a Deo sancti recipiunt, quæ torrenti comparatur, eo quod instar torrentis in æstate ad tempus fluat, & parum duret, videlicet brevi huius mortalis vitæ decursu; sed rectius de sempiterna piorum felicitate accipitur, quæ duplici nomine *torrens* dicitur, tum propter impetum & copiam, tum quia sicut torrens aquarum vi & impetu omnia obstacula secum devolvit, ita superna voluptas omnia delectationi contraria in æternum tollit ac destruit. Quoniam vero similitudo torrentis, qui cito defluit, videbatur diuturnitatem ac æternitatem beatitudinis evertere, ideo addit propheta regius, quia *apud te est fons vitae*, quo dicit: nemo existimet, beatorum felicitatem aliquando desituram, eo quod torrentis similitudine eamdem expressi, quia hic torrens ortum habet ex fonte quodam perenni, qui nunquam potest deficere. Augustinus in comment. notat, verbo *inebriandi* significari summam vim illius dulcedinis. Quemadmodum enim homines cum vinum immoderate bibunt, de potestate mentis deturbantur: sic cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, humana mens a cœlesti dulcedine inebriata & absorpta quodammodo deficere vi-

detur. Sicut ebrietas ponit hominem extra se, ita divinus amor ecstasin facit, inebriabuntur igitur beati dilectione & hoc ex abundantia bonorum, quæ sunt in domo Domini. In lumine gloriæ videbunt lumen divinitatis. Weidnerus de loc. fid. præcip. tract. II. p. 562. Psalm. XXXVII. 6. *Educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem;* tam clara lux erumpentis iustitiæ in die novissimo æternæ vitæ exordio demum orietur. Psalm. XLV. introducit propheta regius ecclesiam ut sponsam Christo sponso *a dextris adstantem, splendide ornatam, ad nuptias regis cœlestis deducendam, communione bonorum cœlestium donandam*, chorum virginum & amicarum, id est, fidelium animarum instar cœlestis gynæcei secum adducentem, lætitia inenarrabili exsultantem &c. Psalm. LXVIII. 4. *Iusti gaudeant & exsultent in conspectu Dei, & delectentur in laetitia.* LXXXIV. 5. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Primario & principaliter agit de statu ecclesiæ ac vere piorum, in hac vita, sed potest hoc ipsum recte adcommodari ad statum ecclesiæ in vita futura quia felicitas illa in hac vita duntaxat incipit, ac multis adversitatibus obtecta latet, sed in vita æterna demum erit consummata; unde v. 12. subiungitur, *gratiam & gloriam dabit Dominus;* in hac vita est regnum gratiæ, in futura vero gloriæ. v. 13. *Non privabit ullo bono eos, qui ambulant innocentia, Domine exercituum, beatus homo qui sperat in te.* Psalm. CXVI. 9. *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* CXXV. 3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum;* liberatio illa a tyrannide hostium incipit in hac vita, unde additur, *ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas*, sed perficietur demum in vita futura. CXXII. 7. *Sit prosperitas in muris tuis, & abundantia in turribus tuis.* Hebræum: *sit salus in palatiis tuis.* Bernhardus serm. de triplici genere bonorum, hoc refert ad Hierosolymam cœlestem. *Fiat*, inquit *abundantia in illis turribus, quae iuxta prophetam alium gemmis aedificabuntur, ubi adipe frumenti non cortice sacramenti satiabit nos Deus.* Psalm. CXXVI. 5. *Qui seminant in lacrimis, cum exsultatione metent* v. 6. *Euntes ibant & flebant, portantes pretiosum semen. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.* Matth. XIII. 39. *Messis est consummatio seculi.* Galat. VI. 9. *bonum operantes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Psalm. CXLIII. 14. *Qui posuit finis tuos pacem, & confortavit seras portarum tuarum;* hoc Bernhardus d. l. itidem ad cœlestem Hierosolymam adcommodat, quæ tam firmiter erit munita, ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Quid timendum illi civitati, cui pro finibus & mœnibus ipsa pax data? Psalm. 150. Augustinus in commentariis totum de beatis exponit, quos mystice expressos esse statuit, *in tubis, psalteriis, cytharis, tympanis, choraeis, organis & cymbalis, bene sonantibus*, in quibus omnibus multitudo & varietas cum summa harmonia contentuque coniuncta, reperitur. *Habebunt*, inquit, *etiam tunc sancti differentias suas consonantes, non dissonantes, id est, consentientes non dissentientes, sicut concentus suavissimus fit ex diversis quidem, sed non adversis sonis.* Dictis Psalmographi regis coniungi possunt, ea, quæ petuntur ex proverbiis Salomonis filii. Prov. III. 13. *Beatus homo, qui invenient sapientiam*, spiritualem & cœlestem ex verbo Dei discendam; v. 18. *qui tenuerint eam, beati.* Confer VIII. 32. & 34.

Sic

Sic XIV. 21. *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* XVI. 20. *Qui sperat in Domino, beatus est.* XXIX. 18. *Qui custodit legem, beatus est &c.* In his & similibus dictis non temporalem tantum. sed etiam ac vel maxime æternam beatidudinem promitti ostendimus superius. XI. 18. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* v. 19. *Iustitia est ad vitam, sectatio malorum ad mortem.* In his & parallelis eiusmodi dictis intelligitur non vita ac mors temporalis, quippe quarum utraque communis est piis & impiis, sed vita æterna piis promissa & mors æterna impios manens.

§. XVI.

3) *Ex prophetis.*

3) Ex *prophetis.* Esai. XXV. 6. *Faciet Dominus Deus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum.* v. 8. *Absorbebit Deus mortem in sempiternum, & auferet omnem lacrimam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra.* Eusebius Cæsariensis lib. IV. demonstrat. evangel. cap. 12. hunc locum Esaiæ interpretatur de *redemtione facta* per Christum, in qua Christus peccatorum nostrorum maculas abstersit, sed dubium nullum, quin possit hoc oraculum prophetieum ad *statum futurae gloriae* adcommodari, ut constat ex Apoc. VII. 17. & XXI. 4. perinde ut apostolus 1 Cor. XV. 54. ad resurrectionem idipsum adplicat. Quamvis enim per verbum evangelii in ecclesia militante hæc beneficia inchoentur, tamen in vita demum æterna perfecte consummabuntur. In hac vita Deus piis convivium parat, sed illi pro ratione ac statu præsentis temporis aliquid amari est admixtum, verum in vita æterna exhibet ipsis *convivium pinguium medullatorum*, vinum, quod in hac vita piis porrigitur, hoc est, divina consolatio, quæ piorum cordibus immittitur, habet admixtum aliquid acidi ac turbidi, quia crucem & mortem nondum penitus aufert, sed in vita æterna exhibebitur ipsis *convivium vini defecati, in quo nihil erit turbidi vel feculenti.* v. 9. *Et dicent in illa die: Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, & salvavit nos iste, est Dominus. Speravimus in eum, exsultamus & laetamur in salute eius;* post difficiles ac longas huius vitæ ærumnas sequetur tandem liberatio ac salus, ob quam perpetuis laudum canticis ecclesia Deum Salvatorem suum celebrabit. Esai. XXX. 18. *Beati omnes, qui exspectant eum* v. 26. *Erit lux lunae sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die, qua adligaverit Dominus vulnus populi sui.* Quidam allegoriam hanc ad recreatum & florentem populi Iudaici in hac vita statum adcommodant, quia ut nox & tenebræ adflictionem ita lux lux & dies pro felicitate ac lætitia in prophetis usurpantur; sed Hieronymus & Lyranus haud absurde ad futuram vitam, in qua piorum felicitas demum erit plena & perfecta, adcommodant, cum in sequentibus æterna impiorum supplicia describantur. Expositio huius vaticinii habetur Apoc. XXI. 23. *Civitas* superna *non indiget sole nec luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* Esai. XXXII. 17. *Erit opus iustitiae pax, & cultus iustitiae quies & securitas usque in sempiternum.* v. 18. *Et sedebit populus meus in habitatione pacis & in tabernaculis fiduciae & in requie securitatis;* illa tranquillitas & abundantia in vita demum æterna piis perfecte obtingunt XXXV. 10. *Redemti a Domino convertentur, & venient in*

in Sion cum laude, & laetitia sempiterna super caput eorum, gaudium & laetitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. XLIX. 10. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos aestus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum ducet eos.* In sensu literali agitur de vocatione gentium ad ecclesiæ consortium, adeoque de pascuis evangelicis, ad quæ a Christo pastore adducuntur, sed Apoc. VII. 17. mystice hoc vaticinium ad statum beatorum in cœlis adcommodatur, quia ex ecclesia militante patet transitus ad ecclesiam triumphantem, in qua plena & perfecta securitas, consolatio ac lætitia tandem sequetur. Esai. LIV. 11. *Ecce ego ponam in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in saphiris* v. 12. *Ponam smaragdum fenestras tuas, & portas tuas in lapides rubinos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles;* confer Apoc. XXI. 19. v. 13. *Universos filios tuos doctos a Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.* v. 14. *Paraberis in iustitia, procul abfutura es a calumnia, quia non timebis, & a pavore, quia non adpropinquabit tibi.* Esai. LVI. 2. *Beatus, qui facit hoc.* v. 5. *Dabo illis nomen sempiternum, quod non peribit.* LVIII. 8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & incrementum tuum cito germinabit, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colligit te.* LX. 11. *Apertae erunt portae tuae iugiter, die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.* Proprie de statu ecclesiæ nov. test. in hac vita propheta vaticinatur, sed Iohannes Apoc. XXI. 25. adplicat ad cœlestem Hierosolymam ob causam modo expositam. v. 18. *Vocabis salutem muros tuos, & portas tuas hymnum.* v. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam* v. 20. *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* v. 21. *Populus autem tuus omnes iusti in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae, ut glorificer.* Apoc. XXI. 23. XXII. 5. hoc ad cœlestem Hierosolymam adplicatur, in illa enim demum complebuntur dies luctus, & ad illam pii in hac vita toto pectore adspirant, quippe quæ militantis ecclesiæ est consummatio. Esai. LXI. 3. *Dabit Deus ornatum pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, & vocabuntur in ea arbores iustitiae, plantatio Domini, ut glorificetur.* v. 7. *Pro confusione vestra duplicia, & pro conviciis iubilatio erit pars eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis;* hæc lætitia & gloria in hac vita inchoatur, in futura consummabitur. LXIV. 4. *A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te.* 1. Cor. 2. 9. ad gloriam vitæ æternæ hoc vaticinium adplicatur, quia Christus, de cuius adventu propheta loquitur, eam nobis promeruit, & clausas ob peccatum cœli ianuas nobis iterum aperuit. Esai. LXV. 14. *Ecce servi mei laetabuntur, & vos confundemini, ecce servi mei iubilabunt prae exsultatione cordis, & prae contritione spiritus ululabitis.* v. 16. *Oblivioni traditae sunt angustiae priores.* v. 17. *Ecce enim ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non adscendent super cor.* v. 18. *Sed gaudebitis & exsultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exsultatio-*

tienem & populum eius gaudium. v. 19. *Et exsultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris.* Confer 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. & 8. atque ea, quæ de hoc loco prophetico dicta sunt in tractat. de consummatione secul. §. LXXXVII. Esai. LXVI. 12. *Ecce ego declinabo super Hierosolymam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis, ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* v. 13. *Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini* v. 14. *Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini servis eius &c.* v. 22. *Sicut cæli novi & terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.* v. 23. *Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* v. 24. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me.* Quomodo singula huius vaticinii membra ad sempiternam beatorum gloriam accommodari possint, ex dictis nov. test. erit manifestum. Confer Apoc. XXI. 24. Luc. XVI. 23. & 2^c. Iohan. XVI. 22. Hebr. IV. 9. &c. Ezech. XVIII. 23. XXXIII. 11. *Non delector morte sed ut convertatur impius & vivat;* in æterna scilicet felicitate, quia per conversionem homo non liberatur a morte temporali, ac prosperitas temporalis piis & impiis communis est. Daniel. II. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet & consumet universa regna haec, ipsum autem stabit in aeternum.* VII. 26. *Iudicium sedebit.* v. 27. *Regnum & potestas & magnitudo regni, quae est subter omne cœlum, dabitur populo sancto altissimi, cuius regnum sempiternum est.* XII. 2. *Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, in ignominiam sempiternam.* v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudierunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Ose. VI. 2. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius.* XIII. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* v. 14. *De manu inferni redimam eos &c. haec consolatio abscondita est ab oculis meis.* XIV. 6. *Ero quasi ros Israeli, florebit ut rosa & erumpet radix eius ut Libani.* v. 9. *Ego quasi abies virens, ex me fructus tuus inventus est.* Ioel. III. 5. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, quia in monte Sion & in Ierusalem erit salvatio;* id est, vera ecclesiæ membra damnationem effugient. Mich. VII. 19. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Mal. III. 18. *Videbitis, quid sit inter iustum & impium, & inter servientem Deo & non servientem ei,* IV. 1. *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes facientes iniquitatem stipula &c.* v. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae & sanitas in pennis eius, & egredietmini & crescetis sicut vituli qui saginantur.* v. 3. *Et calcabitis impios, quia erunt cinis sub planta pedum vestrorum in die, quam ego facio, dicit Dominus.* Hoc perfecte demum implebitur in die extremi iudicii, quando impiis dicetur: *Ite maledicti in ignem aeternum*; piis vero: *venite, possidete regnum;* tunc orietur ipsis *sol* gratiæ, iustitiae ac lætitiæ, tunc, æterna sanitas, tranquillitas & incolumitas ipsis conferetur, tunc perfectam ab omnibus hostibus victoriam reporta-

bunt, quæ omnia sunt æternæ vitæ bona. Huc referri debent ex Mose, psalmis & prophetis omnia dicta 1) in quibus *promissiones legales* continentur. Ut enim comminationes legales præcipue spectant æterna supplicia inobedientibus proposita, sic promissiones legales præcipue spectant æterna præmia perfecte obedientibus promissa. 2) In quibus vaticinia de *beneficiis Messiae*, quæ sunt condonatio peccatorum, reconciliatio cum Deo, perfecta iustitia, salus & vita, proponuntur; ea enim beneficia primario, si non unice, æternam vitam spectant. 3) In quibus *status animarum piarum post mortem* describitur; illæ enim vivunt in cœlesti lætitia & gloria. 4) In quibus agitur de *resurrectione piorum*; illi enim evigilabunt ad vitam æternam. 5) In quibus de *consummatione seculi* agitur; illi enim succedet novum cœlum ac terra. 6) In quibus *de aeternis impiorum supplicüs* agitur; illis enim opponuntur æterna piorum præmia.

§. XVII.

4) *Ex libris Apocryphis.*

4) Ex *libris apocryphis*. 4. Esdr. II. 11. *Dabo eis tabernacula aeterna, quae praeparaveram illis.* v. 12. *Lignum vitae erit illis in odore unguenti, & non laborabunt neque fatigabuntur.* v. 13. *Paratum est vobis regnum.* v. 18. *Paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus, & totidem fontes fluentes lac ac mel & montes immensos septem habent rosam & liliam, in quibus gaudio implebo filios tuos.* v. 43. *Requiem aeternitatis dabit vobis.* v. 35. *Parati estote ad praemia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per aeternitatem temporis.* v. 42. *Vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum.* v. 43. *Et in medio eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur &c.* v. 44. *Tunc interrogavi angelum & dixi: Qui sunt hi Domine?* v. 45. *Qui respondens dixit mihi: Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumserunt, & confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur & accipiunt palmas.* v. 46. *Et dixi angelo: Ille iuvenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit?* v. 47. *Et respondens dixit mihi: Ipse est Filius Dei, quem in seculo confessi sunt.* VII. 43. *Dies iudicii erit finis temporis huius & initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela.* v. 44. *Soluta intemperantia, abscissa est incredulitas, crevit autem iustitia, orta est veritas.* v. 45. *Tunc enim nemo poterit salvare eum, qui periit, neque demergere, qui vicit.* v. 49. *Promissum est nobis immortale tempus.* v. 50. *Praedicta est nobis perennis spes.* v. 51. *Repositae sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis.* v. 52. *Reposita est gloria altissimi.* v 53. *Ostendetur paradisus, cuius fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas & medela.* v. 55. *Super stellas fulgebunt facies eorum, qui abstinentiam habuerunt.* v. 61. *Futurum est gaudium super eos, quibus persuasa est salus &c.* VIII. 1. *Hoc seculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.* v. 2. *Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.* v. 52. *Vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitae, praeparatum est futurum tempus, praeparata est abundantia, aedificata est civitas, probata est requies, perfecta est bonitas, & perfecta sapientia,* v. 53. *Radix mali signata est a vobis, infirmitas, & tinea a vobis absconsa sunt, & in infernum fugit corruptio in oblivione.* v. 54. *Transierunt dolores & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.* IX. 15. *Plures sunt qui pereunt, quam qui salvabuntur.*

Tob.

Tob. II. 18. *Vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo* Sap. III. 7. *Fulgebunt iusti & tanquam scintillae in arundineo discurrent.* v. 8. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* V. 2. *Mirabuntur impii επιτω παραδοξω της σωτηριας.* v. 5. *Dicent de sanctis: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* v. 16. *Iusti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum* v. 17. *Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos, & in brachio sancto suo defendit illos.* XV. 3. *Scire virtutem tuam, radix est immortalitatis* Sir. XIV. 1. *Beatus, qui non est stimulatus in tristitia delicti*, quia a voluntariis peccatis abstinet, ne conscientiæ morsus incurrat. XXXIV. 17: *Timentis Dominum, beata est anima eius.* L. 30. *Beatus, qui in istis bonis versatur &c.* 2. Maccab VII. 9. *Rex mundi nos defunctos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* v. 36. *Fratres mei, modico dolore sustentato, sub testamento aeternae vitae effecti sunt.*

§. XVIII. In *nov. test.* testimonia occurrunt longe plurima, cum in singulis fere capitibus quædam solis radiis scripta exstent. Apud *Matthaeum* potiora hæc sunt: Matth. III. 12. *Congregabit Christus triticum in horreum suum.* V. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* v. 4. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* v. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, novam, in qua iustitia habitat. v. 6. *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, quoniam ipsi saturabuntur, cœlestibus & æternis bonis. v. 7. *Beati misericordiam consequentur.* v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur &c.* v. 12. *Merces vestra copiosa est in coelis.* v. 19. *Qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno coelorum.* v. 20. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Pharisaeorum &c. non intrabitis in regnum coelorum.* VI. 20. *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.* v. 33. *Quaerite primum regnum Dei.* VII. 14. *Angusta porta & arcta est via, quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* v. 21. *Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum coelorum &c.* VIII. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno coelorum;* antithesis v. 12. ostendit, non de consortio in regno gratiæ, ut quidam volunt, sed in regno gloriæ cumprimis hic sermonem esse. XI. 12. *Regnum coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, qui non franguntur adversis, non repelluntur scandalis, non cedunt minis diaboli & organorum eius sed fide omnia perrumpunt. XIII. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* XVIII. 3. *Nisi converti fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* v. 8. *Melius tibi ad vitam ingredi debilem &c.* XIX. 23. *Dives difficile intrabit in regnum coelorum.* v. 24. *facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum coelorum*, illud v. 25. exponitur per το v. 29. *Qui reliquerit domum vel fratres &c. possidebit vitam aeternam.* XXII. 30. *In resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli Dei in coelo.* XXIII. 13. *Clauditis regnum coelorum coram hominibus.* XXV. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* v. 34. *Venite benedicti,*

ex nov. test.

possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi v. 26. *Ibunt in vitam aeternam.* Similia apud reliquos evangelistas & in epistolis apostolicis, cumprimis vero in apocalypsi Iohannæa ubivis occurrunt, adeo ut vix ullum ex libris nov. test. adferri possit caput, in quo non clarissimum aliquod de vita æterna exstet testimonium, ut proinde vitam æternam negare nemo possit, nisi fundamentum Christianismi labefactare & divinam sacrarum literarum auctoritatem prorsus abnegare velit. Conferantur synonyma vitæ æternæ superius enumerata, ut & dicta scripturæ, quæ in sequentibus ad probandam quamlibet huius articuli partem adferemus, ac magnus divinorum testimoniorum de vita æterna in promtu ac parato erit numerus.

§. XIX. II) Ab *exemplis* 1) *primorum parentum ante lapsum.* Nondum quidem ad vitam spiritualem & cœlestem statim post creationem perducti erant, sed vitam animalem & naturalem in terris adhuc agebant, interim præludium quoddam vitæ futuræ in semetipsis circumferebant. Conditi erant *ad imaginem Dei*, Gen. I. 27. *in iustitia & sanctitate vera*, Eph. 4. 24. fulgebat in mente lux sapientiæ & cognitionis, per quam creatorem & creaturas satis clare ac perspicue cognoscebant, voluntas ipsorum divinæ legi erat plene conformis, flammæ adfectuum in corde erant purissimæ ac sanctissimæ, familiariter colloquebantur cum Deo & sanctis angelis, pax conscientiæ in cordibus vigebat, aberat mors, luctus, morbi, omnia adversa &c. hæc omnia in gradu longe perfectiori in vita æterna locum habebunt. 2) *Animarum piarum*, quæ a corporibus separatæ dicuntur *vivere*, in cœlesti scilicet lætitia & gloria, utpote *Habelis*, Genes. IV. 10. Hebr. XI. 4. *patriarcharum*, Exod III. 6. Luc. XX. 38. *martyrum* Apoc. VI. 9. & omnium vere piorum. Confer ea, quæ in tract. de morte in quæst. de stat. anim. dicta. 3) *Eorum*, qui animabus & corporibus suis in cœlum translati sunt, utpote in prima mundi ætate *Henochi*, Genes. V. 24. Sirach. XLIV. 16. XLIX. 16. Heb. XI. 5. quem *aeternitatis candidatum* appellat Tertullianus lib. adv. Iudæos cap. 3. p. 93. alii ex veteribus vocant *obsidem ac testem vitae aeternae.* In secunda mundi ætate *Eliae*, 2 Reg. II. 11. Sirac. XLVIII. 9. 1 Maccab. II. 58. In tertia mundi ætate *ipsius Christi*, Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 51. Actor. I. 9. ac *resuscitatorum* cum ipso sanctorum, Matth. XXVII. 52. quibus aliqui coniungunt *Mosen* in transfiguratione Christi una cum Elia adparentem, Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4. Luc. IX. 30. Confer ea, quæ dicta sunt in tract. de resurrect. mort. §. XXVII. 4) *Pauli, qui raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quae non licet homini eloqui* 2 Cor. XII. 4. unde post gustatam vitæ cœlestis dulcedinem magno spiritus robore pronunciat Rom. VIII. 18. *Existimo, quod non sint condignae passiones futura gloria* &c. 5) *Iohannis*, cui nova ac cœlestis Hierosolyma in visione fuit præfigurata, Apoc. XXI. 22. 6) *omnium vere piorum*, qui in hac vita ex doloribus inferni Dei beneficio eluctantur, Psalm. XXX. 4. XLIX. 16 LXXXVI. 13. &c. ac προγευστισμον quemdam vitæ æternæ in cordibus suis sentiunt. Psal. XXXIV. 9. *Gustate & videte, quoniam bonus est Dominus.* Heb. VI. 5. *Qui gustaverunt bonum Dei verbum virtutesque futuri seculi.* Ideo enim hunc æternæ vitæ prægustum dilectis suis Deus confert,

II) Ab exemplis.

ut

ut de certitudine secuturæ felicitatis & gloriæ confirmati, quævis adversa æquo animo tolerent.

§. XX. III. Ex *rationum momentis*, quarum quædam spectant *Deum salvantem*, quædam vero *homines salvandos*. Ad *priorem* classem pertinent, quæ ducuntur 1) a *Dei misericordia & bonitate*, Deus est summum & infinitum bonum, fons omnis boni, ideo bonitatem suam communicat creaturis ad imaginem suam conditis, quæ communicatio perfecte sequetur in vita æterna. Natura boni est aliis sese communicare, & sese in alios quasi effundere, quare cum Deus sit summum bonum, ideo etiam in summo gradu sese piis a se dilectis seque diligentibus communicabit. 2) *A Dei aeternitate*. Cum Deus sit æternus, idemque *perpetuo vivens* & summe beatus, Dan. IV. 31. XII. 7. sequitur necessario, esse vitam ac beatitudinem æternam, in cuius consortium adsumet, quotquot fide & dilectione ipsi adhærentes facti sunt *unus spiritus cum ipso*, 1 Cor. VI. 17. 3) *A divinae iustitiae aequitate*. Iustitia divina requirit, ut piis & obedientibus reddantur præmia, ea vero cum in hac vita quandoque differantur, ac pii ob confessionem veritatis gravissima sustineant supplicia, ideo necesse est restare aliam vitam, in qua promissa recipiant pietatis suæ præmia; 2 Thess. I. 7. *Iustum est apud Deum tribuere illis, qui adfligunt, requiem nobiscum in revelatione Domini Iesu de cœlo*. 2. Tim. IV. 8. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Heb. VI. 10. *Non est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*. Ubi tamen notandum, non intelligi hoc loco iustitiam strictam, sed misericordia temperatam, ac respectum haberi ad meritum Christi fide nobis imputatum, nec nostri meriti sed gratuiti promissi divini ratione ex iustitia præmia dici dari, confer, quæ dicta sunt in tract. de bon. operib. §. CXVIII. 4) *A divinarum promissionum veritate*. Deus verax est, imo ipsa veritas, iam vero Deus credentibus in Christum & fide sibi obedientibus in verbo promisit vitam æternam; Tit. I. 2. *Deus ἀψευδὴς promisit vitam aeternam*. 1 Ioh. II. 25. *Haec est promissio illa*, singularis ac præcipua, *quam ipse pollicitus est nobis*, nempe vita illa æterna. Ergo certo & veraciter illud suo tempore implebit. 5) *A Dei potestate*. Deus est potentissimus, imo ipsa omnipotentia, ergo promissum suum poterit implere, dilectos suos ex faucibus mortis revocare, & vitam æternam ipsis donare. Ioh. X. 28. *Ego vitam aeternam do ovibus meis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam e manu mea* v. 29. *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest eas rapere e manu Patris mei*. 2. Tim. I. 12. *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est servare depositum meum usque ad diem illum*. 6) *A meriti Christi dignitate*. Christi meritum est infiniti ponderis, valoris ac dignitatis, ob personæ, quæ illud præstitit, dignitatem & infinitatem. Ergo etiam æterna & infinita bona, non autem temporalia duntaxat præmia, membris suis promeruit. 7) *Ab officii Christi efficacitate*. Christus *sedet ad dextram Patris, & interpellat pro nobis*, Rom. VIII. 34 *vult, ut ubi ipse est, ibi quoque sit minister eius*, Ioh. XII. 26. XVII. 24. hanc Christi intercessionem impossibile est non exaudiri, Ioh. XI. 42. 8) *A correlatorum natura & qualitate*. Christus est *rex aeternus*. Ergo etiam habebit in æternum quos-

III) Ex rationum momentis.

dam ſubditos, a quibus colatur & glorificetur. Chriſtus eſt *aeternus ſponſus*. Ergo eccleſiam ſponſam ſuam glorificabit, & ad ſe in cœleſtium nuptiarum gaudia adſumet. Chriſtus eſt *Salvator*. Ergo etiam credentes in ſe ſalvabit. Chriſtus eſt *ipſa vita*. Ergo credentibus dabit vitam æternam.

§. XXI. Ad *poſteriorem* claſſem pertinent, quæ ducuntur 1) ab *hominis creatione*. Deus hominem primum condidit ad imaginem ſuam, ac proinde non ad hanc duntaxat terrenam & tranſitoriam, ſed ad cœleſtem & æternam vitam. Geneſ. I. 27. Sap. II. 23. Quamvis vero *invidia ſatanae mors intraverit in mundum*, tamen noluit Deus finem illum creationis penitus interverti, ideo per Chriſtum vitam reparavit, & ad primam integritatem omnia iterum redegit. Confer tract. de reſurrect. §. XXIII. 2) Ab *animae natura & conditione*. Anima hominis eſt a Deo condita immortalis, quare non exſtinguitur una cum corpore, ſed a corpore ſeparata adhuc vivit, in gloria & lætitia cum Deo, ſi fidelis & pia fuit; in ignominia & pœna cum diabolo, ſi infidelis atque impia exſtitit. 3) *A piorum cruce ac tribulatione*. Pii præ reliquis hominibus in hac vita cruci ſunt ſubiecti. Herodias tripudiat ac ſaltat, Herodes regnat, Iohannes baptiſta interficitur. Ergo neceſſe eſt reſtare aliam vitam, in qua fiat rerum commutatio. 1. Cor. XV. 19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperamus, miſerrimi omnium ſumus*. Heb. XI. 9. *Fide commoratus eſt Abraham in terra promiſſionis tanquam in aliena*. v. 10. *Exſpectabat enim fundamenta habentem civitatem*. 4) *A conſcientiae interna teſtificatione*. Omnium cordibus per naturam inſcriptum eſt, reſtare aliud ſecuum, in quo bonis bene, malis autem uturum ſit male; inde tyranni etiamſi in terris neminem ſuperiorem agnoſcant, tamen ob facinora ſua metu pœnarum futurarum exagitantur, contra vero qui recta agunt, in mediis adverſis conſcientiæ bonitate & alacritate ſe ſuſtentant. Cicero lib. Tuſcul. *Maximum hoc argumentum naturam ipſam de animorum immortalitate tacitam iudicare, quod omnibus curae ſunt & maxime quidem, quae poſt mortem futura ſunt*. Ex hoc principio orta ſunt, quæcunque de Elyſiis campis, ad quos pii poſt mortem ducantur, apud gentiles occurrunt, cum enim rem ipſam videre non potuerint, umbram tamen rei ſectari voluerunt. Plato libr. X. de republica his verbis politiam ſuam concludit: Νομιζοντες αθανατον την ψυχην και δυνατην παντα μεν κακα ανεχεσθαι παντα δε αγαθα, της ανω οδȣ αει εξωμεθα, και δικαιοσυνην μετα φρονησεως παντι τροπω επιτηδευσωμεν, ινα και ημιν αυτοις φιλοι ωμεν και τοις θεοις, αυτȣ τεμενοντες ενθαδε και επειδαν τα αθλα αυτȣ κομιζομεθα, ωσπερ οι νικηφοροι και ενθαδε και εν παντι τω αιωνι ευ πραττωμεν. *Immortalem eſſe animam ſtatuentes, talemque ut & mala poſſit & bona omnia ſuſtinere, viam ſemper ad ſuperiora ducentem ſequamur, iuſtitiamque cum prudentia omni ratione colamus, ut & nobis ipſis ſimus & Deo amici, dum hanc ducimus vitam, & poſtquam virtutis praemia reportaverimus, tanquam potiti victoria & triumphantes & hic & in perpetuum feliciter habeamus*. Et paulo ante: Ουτως αραυποληπτεον περι τȣ δικαιȣ ανδρος, εαν τ εν πενια γιγνηται, εαν τ εν νοσοις η τινι αλλω των δοκȣντων κακων, ως τȣτω ταυτα εις αγαθον τι τελευτησει ζωντι η και αποθανοντι, ȣ γαρ δη υπο γε θεων ποτε αμελειται. ος αν προθυμεισθαι εθελη δικαιος γιγνεσθαι και επιτηδευων αρετην εις οσον δυνατον ανθρωπω ομοιȣσθαι θεω.

Sic

Sic existimandum est de homine iusto, sive cum paupertate conflictetur sive cum morbis, sive aliis, quae videntur mala, quod haec boni aliquid ei tandem paritura sint, sive viventi, sive morienti. Non enim unquam negligitur a Deo, qui propositum habet iuste vivendi, ac virtutem colendi, ut, quantum homini possibile est, Deo similis evadat. Pherecydes Assyrius, cum disputasset de vita post mortem futura Pythagoram ex athleta in philosophum vertit. Augustinus epist. III. ad Volusianum, ubi etiam addit, *Christum ad capessendam sempiternam salutem venisse hominibus in magisterium & adiutorium; magisterium quidem, ut ea, quae ante dicta sunt utiliter vera, non solum a prophetis sanctis, quia omnia vera dixerunt, verum etiam a philosophis atque ipsis poetis & huiuscemodi auctoribus literarum, quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat? illius etiam in carne praesentata confirmaret auctoritas propter eos, qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere atque discernere.* 5) Ex *nostra regeneratione, sanctificatione, peccatorum condonatione, Spiritus sancti in cordibus nostris habitatione &c.* Haec enim beneficia spiritualia & coelestia confirmant nos de secutura glorificatione in vita aeterna. In sacra coena corpore & sanguine Christi pascimur ad vitam aeternam, Ioh. VI. 54. &c. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei & haeredes vitae aeternae*, Rom. VIII. 16. ac praegustum quemdam futurae felicitatis nobis confert. 6) *A piorum resurrectione*; ideo enim resurgent, ut animae corporibus unitae percipiant vitam aeternam, Dan. XII. 2. Ioh. V. 30. 7) Ab *extremi iudicii administratione*, ideo enim pii *stistentur tribunali Christi*, ut recipiant praemia bonorum, quae per corpus gesserunt, 2 Cor. V. 10. 8) Ex *absurdorum consecutione*. Sublata spe vitae aeternae tollitur omnis in adversis consolatio, labefactatur martyrum in ipsa morte constantia, evertitur totus Christianismus, subruitur omnis Dei cultus, exstinguitur pietatis studium, homo ipsis brutis statuitur miserior & indignior, quippe quae in hac vita non sunt tot calamitatibus & miseriis subiecta, quam homo.

§. XXII. IV) Ex *typis & parabolis*. Illorum vero quidam sunt *primarii*, quidam *secundarii*. Primarii sunt duo 1) *Christi transfiguratio*. 2) *coelestis Hierosolymae praefiguratio*. 1) Transfigurationem Christi describunt Matthaeus 17. Marcus IX. & Lucas 9. Petrus 2 epist. I. 16. in qua picturam coelestis gloriae nobis proponi docent apostoli, Paulus Phil. III. 21. *Christus μετασχηματισει corpus nostrum humile, ut fiat συμμορφον corpori suo glorioso*; & 1 Cor. XV. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portabimus etiam imaginem coelestis.* Et Iohannes 1 Epist III. 2. *Cum adparuerit, similes ei erimus.* Collatio consistit in his membris. 1) *Tempus post dies sex* adsumit Christus discipulos videlicet postquam de sua passione fuerat concionatus, & ad crucem tollendam eosdem exhortatus, statim secuta fuit haec transfiguratio, ut ostenderet se *per passionem intrare in gloriam*, Luc. XXIV. 26. ac discipulos in hac via ipsum debere sequi, Actor. XIV. 22. Vt post dies sex Christus coram discipulis transfiguratur; sic exacto huius vitae sextiduo succedet aeternum sabbatum, in quo piorum corpora clarificabuntur. Quid tota haec vita aliud est quam sex dies laboris, illos sequetur quies sabbati & piorum gloria

IV) Ex typis & parabolis primariis, qui sunt
1) *Christi transfiguratio.*

aeter-

æterna. Veteres addunt, quod sex dies intermedii sex millia annorum, quibus hic mundus durabit, dies septima erit dies iudicii & auspicium vitæ æternæ. 2) *Testes & spectatores.* Adsumit Christus ex omnibus discipulis Petrum, Iacobum & Iohannem, non quod reliqui a spe gloriæ cœlestis in transfiguratione proponendæ debeant esse excluſi, sed quod hi tres idonei & sufficientes testes gloriæ Christi a se conspectæ esse poterant. 2 Petr. I. 16. fuimus *επόπται της ἐκείνης μεγαλειότητος*. Eosdem etiam suæ in horto *ἀγωνίας* testes & spectatores esse voluit, Matth. XXVI. 37. Marc. XIV. 33. Si & nos cupimus aliquando cum Christo in regno cœlesti glorificari, simus fideles eius discipuli, sequamur ipsum, quando nos ad locum *ἀγωνίας* secum deducit, tollamus crucem nostram, per quam imagini eius conformamur, Rom. VIII. 29. *si compatimur, etiam conregnabimus*, 2 Tim. II. 12. *συγκληρονόμοι ἐν θλίψει* sequitur *συγκοινωνοὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ*, Apoc. I. 9. *Petrus* significat saxeum ac fortem, qualis est petra, tales simus, per *fidei firmitatem. Iohannes* significat gratiosum, tales simus, per *seriam caritatem. Iacobus* significat subplantatorem, tales simus per *veram pietatem*, qua carnis nostræ vitia supplantemus. 3) *Locus.* Deduxit eos *in montem excelsum*, quem pii veteres constanter adserunt esse montem Thabor; facta enim hæc sunt in Galilæa, iam vero Thabor est altissimus mons Galilææ, mira rotunditate sublimis, in summitate planitiem viginti stadiorum habens, teste Iosepho lib. IV. de bell. Iudaic. cap. 2. Montana illa vocat nos ad cœlestia. Si aliquando cum Christo cupimus glorificari, non debemus animis nostris adfixi esse rebus terrenis, sed *quaeramus ea, quae sursum sunt*, Col. III. 1. corde habitemus in cœlo, ubi etiam est *noster thesaurus*, Matth. VI. 21. & nostrum *πολίτευμα*, Phil. III. 20. Loth servabatur in monte, Sodoma conflagrante, Gen. XIX. 30. sic in extrema totius mundi conflagratione illi solum servabuntur, qui corde suo non adhæserunt terrenis. In monte Thabor manifestavit sese Christus discipulis post resurrectionem, Matth. XXVIII. 16. in cœlo manifestabit se omnibus electis, Ioh. XIV. 21. Iohannes in spiritu abducitur *in montem magnum & excelsum*, cum ipsi cœlestis Hierosolyma esset ostendenda, Apoc. XXI 10. *Ex montibus venit nobis auxilium*, Psal. CXXI. 1. ex montibus puta divinæ providentiæ, misericordiæ, omnipotentiæ sapientiæ &c. quia cœlum, in quo Deus habitat, montibus quasi incumbere videtur. Templum Hierosolymitanum, cœlestis gloriæ typus, exstructum erat super montem Moria &c. 4) *Forma.* Μετεμορφώθη a Patre cœlesti & a seipso, non quod essentialis quædam transmutatio fuerit facta, quia eadem caro, quæ postea passionis ignominiam sustinuit, hoc in loco claritatis gloriam percipit; sed quia *species vultus fuit alterata, το εἶδος τοῦ προσώπου ἐγένετο ἕτερον*, Luc. IX. 29. *splenduit facies eius sicut sol*, Matth. XVII. 2. formæ igitur facta fuit mutatio, non naturæ abolitio, *μεταμορφωσις* non *μετασιωσις*, lux divinæ maiestatis & gloriæ in adsumta carne & per eam radios suos exseruit, ac per ipsa etiam vestimenta resplenduit, quia *vestimenta eius facta sunt στίλβοντα splendentia ac rutilentia, candida nimis sicut nix, qualem candorem ac nitorem nullus fullo super terram potuisset illis inducere*, Matth. XVII. 2. Marc. IX. 3. *vestitus factus fuit λευκὸς καὶ ἐξαστράπτων fulgura quasi emittens*, Luc. IX. 29. qualis facies ac ve-

vestis tribuitur angelis in resurrectione Christi adparentibus, qui ex regione lucis cœlestis in has terras venerant, Matth. XXVIII. 3. Marc. XVI. 5. Luc. XXIV. 4. Hic vestium candor ab ipsa corporis claritate originem ducebat, perinde ut sol per fenestras lumen infundit, ac ignis per chrystallum lumen traiicit. Speculum hic videmus claritatis in vita cœlesti nobis olim exspectandæ Dan. XII. 3. Matth. XIII. 43. Phil. III. 21. Apoc. XIX. 8. &c. Damnati proiicientur *in tenebras exteriores*, Matth. VIII. 12. sed beati habebunt *partem sortis sanctorum in lumine*, Col. I. 12. videbunt enim Deum, qui *inhabitat lucem inaccessibilem*, 1 Tim. VI. 16. inde eximia lux in animas & corpora ipsorum redundabit, quæ summam gloriam & lætitiam illis conferet. Ut enim luce nihil purius, nihil clarius, nihil splendidius, oculis nihil gratius, sic corporum glorificatorum claritas erit purissima, splendidissima, exoptatissima; sed & amicti erunt beati *vestimentis albis*, per quæ summa ipsorum puritas denotatur, Apoc. III. 18. VII. 13. &c. Neque tamen diversa erit corporum nostrorum substantia, sed duntaxat qualitas, sicut etiam de Christi corpore diximus. 5) *Collocutores.* Adparuerunt illis Moses & Elias cum Christo loquentes de exitu, quem completurus erat Hierosolymis. Ex cœlo Pater cœlestis adducit Mosen & Eliam insignes vet. test. prophetas, Christus ex his terris in montem illum secum adducit Petrum, Iacobum & Iohannem. Hæc fuit augustissima & sanctissima societas, qualis etiam erit in vita æterna, in qua *videbimus Deum a facie ad faciem*, videbimus Christum, videbimus patriarchas, propheras, apostolos & totum electorum chorum. Moses & Elias dicuntur adparuisse ἐν δόξῃ, ergo electi etiam erunt participes claritatis ex corpore Christi refulgentis, sed cum insigni discrimine. Facies Christi splendet sicut sol, qui est rex & dux reliquorum siderum, & cuius splendor superat omnes stellas; sic gloria & claritas Christi est plane ἐξαίρετος, *in ipso enim habitat tota plenitudo deitatis*, & sic etiam divinæ claritatis *corporaliter*, Col. II. 9. nos participes reddemur illius claritatis *in tanto* non *in toto*. Sicut Moses & Elias colloquuntur cum Christo *de exitu*, id est, de Christi passione & morte, sic in vita æterna mutuos eosque suavissimos sermones conferemus de redemtionis ac salutis mysterio, quod in hac vita non possumus perfecte intelligere; ideo in cœlesti academia erit æterni colloquii & gaudii materia. 6) ἑπόμενοι, *consequentia.* Discipuli somno erant gravati, per quem denotatur nostra somnolentia, quod gloriam vitæ æternæ non satis digne æstimamus ac meditamur. Fuit hoc infirmitatis humanæ, sed gratiae divinæ opus fuit, quod Mosen & Eliam, quos nunquam viderant, primo statim intuiti agnoverint, quodque gaudio incredibili perfusi dicunt, *Domine, bonum est hic habitare, faciamus tria tabernacula.* Sic in vita æterna sanctos nunquam antea visos agnoscemus, omnium terrenorum obliviscemur, & ineffabili perfruemur gaudio, recepti scilicet *in aeterna tabernacula*, Luc. XVI. 9. *in domum non manufactam aeternam in cœlis*, 2 Cor. V. 1. Sicut etiam lucida nubes obumbrat discipulos, sic Spiritu sancto, cœlesti illa luce, in vita æterna toti implebimur &c. Cyprianus de resurr. Christi. cap. 3. *Vestimenta Christi candorem omnem superantia apostolorum hebetavere conspectum, sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem; similitudinem,*

non ſubſtantiam ; partem, non plenitudinem, transformationis mirifice explicavit. Dilata eſt claritatis illius, quam nobis pollicitus eſt plenitudo &c. Chryſoſtomus epiſt. V. ad Theodor. Lapſum: *Ad montem illum oratione pergamus, ubi Dominus transformatus eſt, contemplemur eum ſplendentem, ſicut reſplenduit, quamquam neſic quidem univerſum nobis futuri ſeculi ſplendorem exhibuit, quia fuit, quod tunc adparuit, attemperatio quaedam pro captu noſtro, neutiquam adcurata rei demonſtratio, quod a verbis evangeliſtae manifeſtum eſt. Splenduit*, inquit, *ſicut ſol. Caeterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neque talem eiuſmodi oculi mortales capere ſufficiunt. Ad hanc quidem viſionem oculi requiruntur incorruptibiles & immortales, verum in monte tum adparuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra laeſionem aciei atque adflictionem oculorum contuentium in illud &c.* Gregorius lib. XXXII. moral. cap. 5. *In hac transfiguratione quid aliud quam reſurrectionis ultimae gloria nunciatur? In monte enim veſtimenta eius ſicut nix facta ſunt, quia in ſupernae claritatis culmine ſancti omnes illi luce iuſtitiae fulgentes adhaerebunt.* Beda homil. de transfig. *Octava die Dominus promiſſam futurae beatitudinis gloriam diſcipulis manifeſtat, ut & oſtenſa caeleſtis vitae dulcedine cunctorum, qui haec audire poſſint, corda refoveat, & octonario dierum numero verum tempore reſurrectionis gaudium doceat eſſe venturum &c. In montem transfiguraturus ſic adſcendit, ut oſtendat eos, qui fructum reſurrectionis exſpectant qui regem in decore ſuo videre deſiderant, mente in excelſis habitare &c. Veſtimenta Domini recte ſancti eius accipiuntur, teſte apoſtolo, qui dicit:* Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Quae videlicet veſtimenta Domino in terris conſiſtente deſpecta altorumque ſimilia videbantur, ſed ipſo montem petente novo candore refulgent, quia* nunc quidem filii Dei ſumus, ſed nondum adparuit, quid erimus. Scimus autem, quia cum adparuerit, ſimiles ei erimus *&c. Unde bene de eiſdem veſtimentis ſubditur:* Qualia fullo non poteſt facere candida ſuper terram. *Nam quia ille hoc loco intelligendus eſt fullo, quem poenitens pſalmiſta precatur:* Amplius lava me ab iniquitate, *&c. non poteſt ſuis fidelibus in terra dare claritatem, quae eos conſervata manet in caelis.* Damaſcenus in orat. de transfig. *Octonarius idcirco adhibetur, quia futuri aevi figuram gerit, etenim ſeptem ſeculis vita praeſens concluditur &c. Ut enim ille divinus vere divinarum rerum interpres Dionyſius dixit, ſic Dominus a perfectis famulis ſuis conſpicietur, quemadmodum in monte Thabor ab apoſtolis conſpectus eſt &c.* Vide ibidem plura.

§. XXIII. 2.) *Caeleſtis Hieroſolymae* pictura ac praefiguratio proponitur Apoc. 21. & 22. Filius Dei, qui Moſi *figuram tabernaculi* in monte Sinai oſtenderat, idem hoc loco Iohanni *figuram caeleſtis Hieroſolymae* per angelum oſtendit. Deſcribitur autem 1) *adpellatio. Vidi ſanctam civitatem Ieruſalem novam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Apoc. XXI. 2. *Civitas ſancta* vocatur, quia eſt ſocietas ſanctiſſima civium caeleſtium, & ſanctis ac aeternis a Deo regitur legibus. Eſt in ea civium ſupernorum perfectiſſima unio & aeternae increataeque Dei pacis guſtatio. *Hieroſolymae* confertur caeleſtis illa civitas, quia terrena Hieroſolyma fuit eiuſdem typus, *Sponſae* comparatur tum ob *ardentiſſimum amorem*, quo

2) *Caeleſtis Hieroſolymae praefiguratio.*

quo Christus cœlestis illius Hierosolymæ cives complectitur, & quo ipsa vicissim ei adhærent, tum ob *gaudia cœlestium nuptiarum*, in quæ introducetur tum ob *ornatum & decorem virtutum* immortalitatis, claritatis, &c. 2) *Origo. De cœlo a Deo descendere dicitur*, ut divina & cœlestis eius origo designetur. Augustinus lib. XX. de civit Dei cap. 17. *De cœlo descendere civitas illa dicitur, quoniam coelestis est gratia, qua Deus eam fecit; & de cœlo quidem ab initio sui descendit, ex quo per huius seculi tempus gratia Dei desuper veniente per lavacrum regenerationis in Spiritu sancto misso de cœlo subinde cives eius adcrescunt, sed per iudicium Dei quod erit novissimum per eius Filium Iesum Christum, tanta eius, & tam nova de Dei munere claritas adparebit, ut nulla remaneant vetustatis vestigia, quandoquidem corpora ad incorruptionem & immortalitatem novam ex vetere corruptione atque mortalitate transibunt.* Descendit autem in visione tantum, ut Iohanni ostenderetur, quia in cœlo perpetuo manebit. 3) *Structura* ipsa, ad quam pertinet eius tum *materia*, tum *forma*. *Materia* statuuntur gemmæ, aurum, margaritæ &c. quia nos nihil pretiosius & carius illis æstimamus. Quæ a nobis in hac vita æstimantur pretiosissima & pulcerrima, illis Deus velut rudi quodam carbone utitur, quo gloriam cœlestis Hierosolymæ utcunque nobis adumbret. *Forma* est quadrata, quæ pulcerrima, capicissima, firmissima, sed de his paulo specialius agendum. Pertinent igitur ad structuram huius civitatis a) *situs. Sustulit me in montem magnum & excelsum & ostendit mihi civitatem sanctam*, v. 10. Denotatur eius firmitas, quia fundata est super petram immobilem, quæ est Christus, 1 Cor. X. 4. *Fundamenta eius in montibus sanctis, non commovebitur*, Psalm. LXXXVII. 1. b) *Claritas.* Magnum urbi conciliat decus, si in loco montano & illustri sita aere salubri ac luce fruatur perpetua, unde commendatur *civitas super montem posita*, Matth. V. 14. Cœlestis illa civitas *habet claritatem Dei*, v. 11. ornata est cœlesti & divina claritate; sic enim exponitur v. 23. *Civitas non eget sole nec luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. Lumen eius o φωσηρ*, lumen ex ea resplendens *simile est lapidi pretioso tanquam lapidi iaspidi crystallizanti*, v. 11. per hanc gemmam pellucidam ac viridem adspectu iucundam intelligitur cœlestis claritas, lux, gloria & maiestas, itemque vigor & pulchritudo illius civitatis. 5) *Murus. habebat murum magnum & altum* v. 12. Denotatur inexpugnabilis Dei protectio & civitatis securitas, quod nihil periculi ei immineat ab hostibus. Deus ipse circa eam est *murus igneus.* Zach. II. 5. Habet hic *murus fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim apostolorum agni*, v. 14. Unicum est ecclesiæ fundamentum Christus, 1. Cor. III. 11. apostoli dicuntur fundamenta ratione doctrinæ de Christo, quam prædicarunt, & super quam ecclesia est exstructa, Matth. XVI. 18. Eph. II. 20. Observa etiam quod unicus duntaxat fuerit murus. Templum Ezechieli ostensum triplici cingebatur muro, quia ecclesia militans triplici indiget protectione, videlicet *divina, angelica & humana*, sed triumphans divina tantum protectione erit secura. d) *Portae. Habebat portas duodecim.* Per has intelligi possunt *duodecim patriarchae vet. test.* filii scilicet Iacobi, a quibus populus Israeliticus est progenitus, ac per eosdem propagatus, sicque ingressum in cœlestem Hierosolymam mediante circumcisionis

sacramento accepit, ac *duodecim apostoli Christi*, per quos ecclesia nov. test. spiritualiter genita, & quorum fidem, doctrinam & exempla sequendo in hanc civitatem introimus. In portis habebat *angelos duodecim* additos huic civitati custodes ac vigiles, Psal. XXXIV. 8. & *nomina* singulis portis inscripta, quæ sunt *nomina duodecim tribuum filiorum Israel*, per quas tota electorum multitudo intelligitur, Apoc. VII. 4. quæ cum angelis familiariter conversabitur, erunt enim συμπολῖται. *Ab oriente erant portae tres, ab aquilone portae tres, ab austro portae tres, & ab occasu portae tres*, v. 13. Ideo autem portæ huius civitatis respiciunt quatuor mundi plagas, *quia ab oriente & occidente venient, qui cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cælorum recumbent*, Matth. VIII. 11. & Christus electos suos *colliget a quatuor ventis*, Matth. XXIV. 31. e) *Figura* Civitas, *in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo, & longitudo, & altitudo, & latitudo eius aequalia sunt*, v. 16. Figura illa quadrata signum est perfectionis, nihil obliqui vel curvi in civitatis huius incolis deprehendetur, sed omnia erunt τετράγωνα. Potest etiam figura quadrangularis ad pulchritudinem ac stabilitatem huius civitatis adcommodari. Omnes beati erunt *stabiles ac firmi in Deo*, ut nec averti, nec concuti, nec felicitate sua excidere possint. f) *Quantitas. Angelus, qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundinem auream, ut metiretur civitatem & portas eius & murum*, v. 15. *& mensus est civitatem arundine per stadia duodecim millia*, v. 16. Sicut ecclesia militans in hac vita ædificatur iuxta regulam ac gnomona verbi, ut omnia sint apta & conformia; sic ecclesia triumphans erit mensurata, hoc est perfecte conformis divinæ voluntati. Longitudo cuiusque lateris habebat *duodecim mille stadia*, hoc est ultra trecenta milliaria Germanica, cumque civitas in quadro fuerit, & longitudo eius fuerit tanta, quanta & latitudo, ex eo intelligitur, quod ambitus eius complexus fuerit plura quam mille ducenta milliaria Germanica. Denotatur huius civitatis amplitudo, quod non sit defuturus habitatoribus locus, quod non sint compingendi in angusta gurgustia, sed amplissima habituri sint palatia, quia in domo Patris cœlestis *mansiones multae*. Ioh. XIV. 2. Quia vero spatium civitatis hic descriptum consueta urbium spatia plurimum excedit, ideo hac descriptionis parte insinuatur, quod electorum patria omnem viatorum habitationem incomparabili capacitate transscendat. Æqualitas longitudidis latitudinis & altitudinis cubi formam repræsentat, ac proinde stabilitatem, firmitatem ac perpetuitatem triumphantis ecclesiæ denotat: *Mensura muri secundum spissitudinem fuit centum quadraginta quatuor cubitorum iuxta mensuram hominis, quae est etiam angeli*, hoc est, tales cubiti intelligantur, quales sunt hominis a cubito usque ad extremitatem digiti, qua etiam angelus in forma hominis Iohanni adparens hic fuit usus. Spissitudo ista muri securissimam huius civitatis custodiam denotat, quod ab hostibus nec transscendi, nec expugnari possit. g) *Materiae*, ex qua exstructa *est, pretiositas. Structura muri erat iaspis, ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo*, v. 18. hoc est, murus ex iaspide & pavimentum urbis erat ex auro puro, *platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum*, v. 21. *Aurum mundum* denotat puritatem, sinceritatem ac sanctitatem electorum & quia pellu-

lucidum est, ideo eorum etiam claritatem exprimit. Fulgebit in beatis caritatis fervor & cœlestis sapientiæ splendor, erunt toti pellucidi, intus ac foris divinæ lucis participatione repleti. Aurum, hoc est, divitias mundi in hac vita per contemtum terrenorum calcarunt, ideo in cœlesti vita introducentur in eiusmodi civitatem, cuius pavimentum est ex auro, hoc est in qua aurum nihili æstimatur præ cœlestium divitiarum copia & abundantia. In hac vita per spinas ac vebres calamitatum ambularunt, tunc vero via auro erit strata, in qua incedent. Gregorius lib. XVIII. moralium cap. 27. *Adpellatione auri in sacro eloquio aliquando splendor supernae civitatis accipitur. Aurum namque, ex quo civitas illa constat, simile vitro dicitur, ut per aurum clara & per vitrum perspicua designetur. Auri quippe metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere, vitri vero natura est, ut extrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quicquid intrinsecus continetur, absconditur; in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur, & ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid igitur aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam beatorum civium societatem, illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent? Quia enim omnes sancti in aeterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas sibi invicem in alterni is cordibus patet, & cum uniuscuiusque vultus ostenditur, simul & conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe unius cuiusque mentem alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit animus, patebit corporalibus oculis, ipsa etiam harmonia corporis &c.* Pergit Iohannes in symbolica descriptione: *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso erant ornata*, v. 19. hoc est ordines lapidum in fundamento muri erant variis ac pretiosis gemmis ornati. *Fundamentum primum, iaspis; secundum, saphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; quintum, sardonyx sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus, duodecimum, amethystus*, v. 20. Denotantur varia & insignia Spiritus sancti charismata, quibus apostoli & omnes electi in vita æterna erunt exornati. *Iaspis* gemma viridis & pellucida, adspectu grata & iucunda, quin & oculos confortans denotat *caritatem* Deo & hominibus gratam. *Saphirus* cœliformem colorem habens, corpus vegetans ac radiis solaribus tactus ardentem ex se mittens fulgorem, significat donum *sapientiae*, quod angelicis mentibus pios comparat, ac vires animæ in Deo defigit. *Chalcedonius* est pallidi coloris & fortissimæ resistentiæ, ita ut in eo quis sculpere queat, significat donum *intellectus*, quo ea, quæ fidei sunt, in cœlesti patria perfecte intelligentur; interim quia ea, quæ fidei sunt, nullus intellectus creatus plane & plene comprehendit, ideo donum intellectus, quasi pallenti lapidi comparatur. *Smaragdus* eximiæ est viriditatis ac pulchritudinis, denotat donum *consilii*, quod in se decorum erga alios se diffundit. Smaragdus resistit morbo comitiali, sic donum consilii contra peccati ruinam efficax est. *Sardonyx* denotat donum *fortitudinis*, dicitur enim illa gemma pudicum & humilem efficere. *Sardius* rubei coloris timorem pellens & gaudium

pariens *scientiae* donum designat. *Chrysolitus* aurei coloris & ardentes scintillas diffundere visa, timoresque nocturnos depellens *pietatis* donum designat. *Beryllus* eximiæ claritatis gemma cœruleum colorem admixtum habens, faciens invictum in bello & mitem, est donum *timoris*. *Topazius* gemma regibus carissima contra iram ac lunaticam passionem valens est donum *iustitiae*. *Chrysoprasus* viridis coloris, & hinc inde quasi aureis guttulis distinctus contra lepram valens est donum *prudentiae*. *Hyacinthus* cærulæi coloris & cum facie cæli muratur, dat membris vigorem &c. est virtus *latriae*. *Amethistus* triformi ornatur colore, roseo, violaceo & purpureo designat *castitatem*, quæ est virginum, viduarum & coniugatarum. *Duodecim portae, duodecim margaritae sunt per singulas, & singulae portae erant ex singulis margaritis*, v. 21. Margaritæ candidæ & pellucidæ denotant candorem lucis æternæ, quo incolæ huius civitatis fulgebunt. Sed præstat in generali adplicatione persistere, quod scilicet per pretiosas illas *gemmas*, *aurum*, *margaritas &c.* gloria vitæ æternæ & copia cœlestium bonorum nobis adumbretur, quam ad specialem cuiusque gemmæ explicationem descendere. Andreas Cæsarius in comm. Apoc. XXI. cap. 66. *Cum una similitudine exacta cœlestis illius civitatis venustas, plenaque omnium bonorum eiusdem notitia tradi non possit, sed ad eam rem variis opus sit exemplis & similitudinibus, propterea civitatis illius plateas crystallo auroque mundo adsimilat, quo hinc quidem eius praestantiam colorisque elegantiam colligamus, inde vero eius munditiem & claritatem, quae duo apud nos in unum convenire haud facile solent.* Potest etiam hæc structura portarum adcommodari ad ministerium evangelii, quod unioni pretioso comparatur Matth. XIII. 46. ut enim per portam ingredimur civitatem, sic per ministerium evangelii in ecclesiam tum militantem tum triumphantem introducimur. h) *Templum. Non vidi in ea templum, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & agnus*, v. 22. In futuro seculo non opus erit materiali quodam templo, in quo instituantur conventus ecclesiastici, prædicetur verbum & administrentur sacramenta, quia sublatum erit ministerium ecclesiasticum, nullo amplius opus erit doctore externo, omnes electi erunt Θεοδίδακτοι, videbunt Deum a facie ad faciem, ac tradet Christus regnum Deo Patri, hoc est modum, quo ecclesiam in hac vita gubernavit, abolebit, ac fidei succedet visio, spei fruitio &c. Nec amplius locus erit visibilibus & externis signis, per quæ Deus populo suo in vet. nesti sese manifestavit, per templum scilicet & arcam fœderis, sed Deus coram intuendum se exhibebit.

§. XXIV. Atque hæc erit *structura* cœlestis Hierosolymæ. Quinam vero erunt illius *cives & incolae*, hoc iam 4) loco sequitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipse populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, v. 3. Ergo quod primum est, proponitur civium illorum *descriptio*, nnn solum *angeli*, sed etiam *homines* erunt in illa civitate, in quibus & cum quibus Deus habitabit, nec transitorium aliquod, sed perpetuum & æternum tabernaculum in eis sibi eriget. Num vero omnes omnino homines in eam introducentur? minime vero, *quia non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae agni*, hoc est,

est soli electi. In hac vita in externo militantis ecclesiæ cœtu sanctis mixti sunt hypocritæ, sed in die iudicii fiet separatio, postquam soli electi per fidem libro vitæ agni inscripti cœlestis Hierosolymæ cives erunt. Iidem denotantur per *duodecim tribus Israel*, quorum nomina dicuntur portis inscripta v. 12. intelliguntur enim spirituales Israelitæ, quos apostolus vocat *Israelem Dei*, Gal. VI. 16. *Iudaeos in abscondito*, Rom. II. 29. *filios promissionis*, Rom. IX. 8. *qui insistunt vestigiis fidei Abrahae*, sicque spirituales eius redduntur filii, Rom. IV. 12. Gentiles siquidem ab ingressu huius civitatis non esse excluſos, patet ex v. 24. *ambulabunt gentes, quae servatae fuerunt in lumine eius, & reges terrae adferent gloriam suam, & honorem suum in illam*, hoc est, qui ex gentibus ad verum Deum Israelis conversi Christum Salvatorem fide amplexi sunt, illi cœlestem Hierosolymam una cum piis Israelitis ingredientur. Quod vero *reges terrae gloriam suam in eam* dicuntur *illaturi*, non habet hunc sensum, quod cœlestis Hierosolymæ gloria futura sit mundana, terrena, transitoria, qualis est regum huius seculi, illud enim conditioni ac statui regni cœlestis prorsus repugnat; sed symbolice significatur, quod in ea sit omnium bonorum copia & abundantia, ac si in eam omnes reges terræ omnes suos thesauros contulissent. Significatur etiam pios reges & magistratus, qui Christo nomen dederunt, & ecclesiæ militantis pomœria dilatare studuerunt, collatis eam in rem bonis regnorum suorum, in cœlesti gloria præ reliquis fulsuros &c. Describuntur insuper cœlestis Hierosolymæ incolæ hoc modo, quod *vicerint*, v. 7. hoc est, quod in hac vita tentationibus diaboli, concupiscentiis carnis, vanitatibus mundi &c. spiritus robore restiterint, quod *pro fide semel tradita fortiter decertarint*, Iud. v. 3. nec ullis vel prosperis vel adversis a Christo se abduci passi fuerint &c. Item *quod fecerint mandata Christi*, Apoc. XXII. 14. hoc est, quod in Christum crediderint, & fide per dilectionem exseruerint, 1 Ioh. III. 23. Quid vero fiet de reliquis, qui ab ingressu cœlestis Hierosolymæ excludentur? Cap. XXI. 8. *Timidis & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in igne & sulphure, quod est mors secunda.* XXII. 15. *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidae, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* b) *Civium status & conditio.* Ea vero erit felicissima, lætissima & pacatissima. *Deus cum illis habitabit, erunt populus Dei*, XXI. 3. ab illo honorem, gloriam, lætitiam, protectionem, & omnia, quæ excogitari vel desiderari possunt bona, percipient. *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum*, v. 4. non quod lacrimas emissuri sint, quia statim additur, *mors ultra non erit nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra*; hoc est, nihil quidquam erit, quod eis molestiam creare, vel dolorem in illis excitare possit; sed quod largissima & uberrima consolatione perfundendi sint pro omnibus, quæ in hac vita sustinuerunt, adversis, ab illo, qui dicit: *prima abierunt*, v. 4. *ecce ego nova facio omnia*, v. 5. *novum* scilicet *cælum, novam terram*, v. 1. novum regnum, nova gaudia, novum statum &c. *qui vicerit, possidebit illa omnia, & ero illi Deus & erit mihi filius*, v. 7. Ergo beati introducentur in pleniſſimam cœlestium bonorum possessionem, erunt dilecti Dei filii & heredes omnium. *Portae civi-*

vitatis, in quam recipientur, non claudentur per diem, nox enim non erit illic, v. 25. nihil periculi a quoquam hostium erit metuendum, ideo portæ semper erunt apertæ, erit etiam una dies perpetua omnes tenebras & omnem dierum ac noctium vicissitudinem excludens, *quia Deus ipse*, qui est lux indeficiens & æterna, *eam illuminabit. Omne maledictum non erit amplius*, XXII. 3. hoc est, nullus in illa civitate habitabit, qui sit Deo exosus & ipsius ore maledictus, sed omnes erunt dilecti filii, nihil quicquam in ea erit, quod Deus abominetur. *Thronus Dei & agni in illa erit*, v. eod. hoc est, Deus & Christus regnabunt in ea in æternum, cuius cives & incolæ, Christi vero subditi erunt beati, in quibus Deus suum habebit thronum, suum domicilium, suum habitaculum perpetuum. *Nomen eius erit in frontibus eorum*, v. 4. hoc est, omnibus notum & manifestum fiet, quod sint Dei filii, Christi fratres & coheredes, Spiritus sancti templa; *nunc filii Dei sumus, sed nondum adparuit, quid futuri simus &c.* 1 Iohan. III. 2. In vet. test. laminæ sacerdotis inscriptum erat: *Sanctitas Domini.* In vita æterna omnes erunt Dei sacerdotes, nomen & gloriam eius in frontibus suis portantes. *Nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos*, v. 5. depulsis ignorantiæ, erroris, peccatorum & calamitatum tenebris luce perfectæ θεογνωσιας, iustitiæ ac lætitiæ perfruentur in æternum. *Lumen lucernae* est doctrina vet. test. *lumen solis* est doctrina nov. test. illa non amplius per ministerium verbi in vita æterna tradetur, sed *lumini gratiae* succedet *lumen gloriae*, lumini fidei succedet lumen visionis. c) *Civium actiones. Servient Deo & agno*, Apoc. XXII. 3. cultum perfectissimum & purissimum Deo præstabunt, æternis laudum encomiis eum glorificabunt, & ad nutum voluntatis divinæ omnes actiones suas conformabunt. *Videbunt faciem eius*, v. 4. non amplius per speculum in ænigmate, *sed a facie ad faciem* eum intuebuntur, 1 Cor. XIII. 12. perfecte eum cognoscent, ex qua cognitione perfectus Dei amor orietur. *Regnabunt in secula seculorum*, v. 5. erunt victores mortis, diaboli, inferni & omnium hostium, fruentur plenissima & pacatissima libertate, erunt reges in novo cœlo ac nova terra &c. d) *Civium cibus ac potus. Sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis*, Apoc. XXI. 6. hic fons aquae vivæ est ipse Deus, fons omnis boni, omnis lætitiæ, omnis consolationis, *qui potabit* electos *torrente voluptatis*, Psal. XXXVI. 9. ex hoc fonte qui bibit, *non sitit in aeternum*, Ioh. IV. 14. Hic est ille fons, ex quo promanat fluvius cœlestis de quo Apoc. XXII. 1. sequitur: *Et ostendit mihi fluvium purum aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & agni in medio plateae eius.* Fluvius ille purus est symbolum Spiritus sancti, qui a Patre & Filio procedit, Ioh. VII. 38. qui uberrimis suis donis velut flumine quodam cœlestem Hierosolymam irrigabit & exhilarabit, *hi sunt rivuli fluminis, qui laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes altissimi*, Psalm. XLVI. 5. qui largissimum flumen consolationis & omnium bonorum copiam secum deferunt, Ezech. XLVII. 1. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitae adferens fructum duodecim per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium*, v. 2. Quemadmodum in paradiso terrestri constituta erat *arbor vitae* vegetas hominis vires conservare potens; sic in pa-

paradiso cœlesti erit lignum vitæ diversos bonorum & gaudiorum fructus adferens. Lignum illud vitæ Christus est, a quo promanant universa, quæ ad plenam & perfectam electorum felicitatem pertinent. *Ibi electi, de puro sapientiae fonte bibent, & de puro caritatis lacte vivent. Duodecim fructus*, quos lignum vitæ singulis duodecim mensibus novos profert, hi sunt: *Sanitas absque infirmitate, iuventus sine senectute, satietas sine fastidio, libertas sine servitute, pulchritudo absque deformitate, impassibilitas sine dolore, abundantia sine indigentia, pax sine perturbatione, securitas absque timore, cognitio absque ignorantia, gloria sine ignominia, gaudium sine tristitia.* Bonaventura in diæt. salut. tit. X. cap. 4. Fructus illi veram & æternam animæ ac corporis sanitatem adferent, ac singulis mensibus renovabuntur, quia cœlestium bonorum nulla unquam satietas aut fastidium electos capiet, sed omnia erunt illis quasi subinde nova, & proinde singulariter grata. Aderit in cœlesti paradiso *arbor vitae*, sed non erit *arbor scientiae boni & mali*, ut quia electi in bono erunt confirmati, ut non possint amplius peccare, ac perceptis bonis excidere, ideo etiam mors non erit amplius, nec *culpae*, nec *miseriae*, nec *naturae*.

Secundarii.

§. XXV. Typi *secundarii* ac parabolæ minus principales sunt complures: 1) *Cœli & terrae creatio.* Cœlestis Hierosolyma vocatur *cœlum novum ac terra nova*, Esai. LXV. 17. LXVI. 22. 2. Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. quia cœlum illud, quod intuemur ac terra, cui insistimus, præludium aliquod futuræ gloriæ ac æternorum bonorum nobis exhibet. Cœlum lucem nobis præstat, terræ fructibus alimur, sic in novo cœlo ac nova terra lux & cibus electis abunde suppetet. Cœli ac terræ opificio nihil pulchrius, unde Græci illud vocant κοσμον ab ornatu, sed longe pulchrius ac præstabilius erit novum illud cœlum ac nova terra. *Sicut cœlum & terra initio quasi rudia corpora fuerant, priusquam lux esset addita; ita pii illam imaginem rudem in se habent, quam Deus perficiet in novissimo die in iis, qui verbo crediderunt.* Lutherus in enarr. Gen. I. Cœlum & terra testantur de divina omnipotentia, sapientia, bonitate, maiestate, &c. at longe clarius & luculentius testimonium de ea feret novum cœlum & nova terra, quam exspectamus. 2) *Septenarii numeri perfectio.* In descriptione septimæ diei hexaemeri creationis, in qua Deus dicitur *requievisse*, Gen. II. 2. non fit mentio vesperæ; sic post sex mundi millenarios dies vitæ æternæ sine fine durabit, *quia nox ultra non erit*, Apoc. XXII. 5. Enoch patriarcha septimus non moritur, sicut reliqui priores, sed anima & corpore vivus in cœlum transfertur, Gen. V. 22. epist. Iud. v. 14. sic per sex millenarios in mundo mors dominabitur, sed septimo millenario adpropinquante devicta erit mors, & electi anima & corpore glorificati in vita æterna *semper cum Domino erunt*, 1. Thess. IV. 17. Septimo die concidunt Hierichuntis mœnia, Ios. VI 15. sic septimo millenario mundi corruet ædificium. Septimus quisque annus erat annus quietis in populo Israelitico, & post septies septem annos sequebatur *iubilaeus*, Levit XXV. Septimo mense celebrabant Israelitæ *festum tabernaculorum & propitiationis*, Levit XVI. 29. sex hydriæ positæ erant, in quibus aqua commutabatur in vinum, Ioh. II. 6. hora septima sanabatur filius reguli, Ioh. IV. 52. hæc & similia pii veteres adplicant ad vi-

tam æternam, in qua post exactos sex millenarios mundi sequetur æterna quies, perfecta sanitas, festum iubilationis, vinum lætitiæ & consolationis &c. 3.) *Sabbatum.* Gen. II. 2. *Deus requievit die septimo, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Fuit illud sabbatum typus æterni illius sabbati in cœlis, in quo electi anima & corpore a peccatis, calamitatibus & miseriis huius vitæ requiescent, Deus in illis & ipsi in Deo requiescent, Esai. LXVI. 23. *Erit sabbatum ex sabbato.* Hebr. IV. 6. *Superest introire quosdam in requiem* v. 9. *Proinde relinquitur sabbatismus populo Dei.* In sabbato non inveniebant Israelitæ manna, sic in vita æterna cessabit ministerium verbi. Origenes homil. XXIII. in Num. *Ultra hunc mundum est veri sabbati observatio.* Chrysostomus homil. VI. in epist. ad Heb. dicit tres esse quietes: *Unam sabbati*, in qua Deus quievit ab operibus suis; *secundam palestinae*, in quam ingressi iudæi erant, quieturi a multa adflictione & laboribus; *Tertiam, quae vere est quies*, nempe regnum cœlorum, quam adsecuti vere quiescunt a laboribus & adflictionibus. Hesychius lib. VI. in Lev. 19 *Docere Iudaeos de intelligibili requie & fine mundi volens, quia illo tempore impossibile est cibum conquirere vel operari, nec circa corporale aliquid occupari, talia eis dicere Moses praecepit:* Sabbata hodie Domino, non invenietis illud in agro. *Non sabbatum sed sabbata, quia intelligibilis requies non ab uno quodam, sed ab omnibus carnalibus vocationem alienationemque possidet.* Radulphus Flaviacensis lib. XVI. in Levit. 1. *Triplex est sabbati figura; nam in praesenti vita duplicitер observatur, in futuro autem sabbatum sabbatorum Deo promittente speratur. Erit enim tunc, ut Esaias testatur*, mensis ex mense, sabbatum ex sabbato. *In mense siquidem fiet dierum collectio, dies autem virtus intelligitur, sicut & peccatum nox. Quantumcunque ergo iustus, dum hic vivit, virtutibus abundet, illi tamen virtutum plenitudini non valet aequari, cum replebimur in bonis domus Dei, quia mensis illic erit ex mense, id est, a mensium caeterorum exceptus numero & omnem vitae praesentis transscendens profectum sanctitatis perfectio. Erit & sabbatum ex sabbato, quia sanctorum quies hic inchoatur, illic vero qualibet ex parte perficitur.* 4.) *Paradisus.* Hortum paradisiacum, qui homini ante lapsum præbuit domicilium, fuisse typum vitæ æternæ, colligitur ex adpellatione paradisi eidem attributa Luc. XXIII. 43. 2. Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. Paradisus erat omnis pulchritudinis, omnis lætitiæ & voluptatis promtuarium, *universae sensibilis venustatis intelligentiam excedens*, Damascenus lib. II. orth. fid. cap. 11. sed paradisus cœlestis erit longe pulchrior, in illo enim liberi erimus a peccato, securi a morte, nulla creatura nobis nocebit, sed ex omnibus summam percipiemus voluptatem, familiariter cum Deo & angelis colloquemur, edemus *de ligno vitae*, bibemus *de fluvio aquae vivae, splendido tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni*, Apoc. II. 7. XXII. 1. &c. quorum omnium typus in terrestri paradiso primis parentibus fuit propositus. Voluit enim Deus, ut in terris esset aliquod corporeum & adspectabile, quod incomparabilem paradisi cœlestis pulchritudinem homini adumbraret. Sed cum homo per peccatum in seipso destrueret paradisum animæ internum, Deus a terreno & cœlesti paradiso ipsum expulit, a quo etiam æternum fuisset exclusus, nisi per sanguinem Christi aperta fuisset porta cœlestis paradisi, per quam latronem in cruce immittit. 5.) *Arbor vitae in paradiso*, Genes. II. 9. Per eam sym-

symbolice significatam fuisse beatam & immortalem in cœlo vitam, quam Deus Adamo promiserat, si præceptis eius obsequens mansisset, colligitur ex Prov. III. 18. Apoc. II. 7. & XXII. 2. quinimo fuit lignum illud vitæ non modo symbolum, sed etiam pignus & arrha vitæ æternæ, cuius intuitu primi homines confirmabantur, se æternæ beatitudinis fore participes, si in sancta erga Deum obedientia perstiterint. Confer dicta superius §. XIV. 6) *Arca Noae* requiescens in montibus Ararat, Gen. VIII. 4. Gregorius in epistol. *Arca cessante diluvio in monte requievit, quia vitae huius corruptione cessante, cum malorum operum fructus transierint, in cœlesti patria Ecclesia velut in celso monte requiescet.* 7.) *Tabernaculum.* Illud fuisse vitæ æternæ typum colligitur ex Psalm. LXXXIV. 1. Luc. XVI. 9. Psalm. XV. 1. Apoc. XXI. 3. Tabernaculum Mosaicum propter *pelles hyacinthinas* ipsum cooperientes cœlum e longinquo adspicientibus repræsentabat, ut auctor est Iosephus lib. III. antiquit. cap. 7. iure igitur optimo cœlestis gloriæ symbolum censetur, quod ipsum ostendit sacra supellex tabernaculi. α) Per *arcam fœderis* denotatur sacrosancta Trinitas, cuius beata visio electis in vita æterna continget. In arca erant *tabulae legis, urna aurea cum manna, & baculus frondens Aaronis.* In cœlo Deus Pater, qui nos sanctissimis suis legibus gubernat, Filius, qui est panis vitæ, verum & cœleste manna, quod *de cœlo descendit, & dat vitam mundo*, Iohannes VI. 33. quo electi in æternum satiabuntur, Apoc. II. 17. Spiritus sanctus qui perpetuis & æternum virentibus charismatibus nos replebit, & in hac vita per ministerium evangelii nos ducit: *Caritas ibi erit lex, Filius Dei erit rex, modus aeternitas.* β) Per *propitiatorium* exprimitur Christi Salvatoris bonitas, qui gratiam Dei & vitam æternam nobis promeritus est, Rom. III. 25. Ex propitiatorio Deus responsa dabat; sic in vita æterna familiarissime cum Deo loquemur. 8) Per *cherubin* significatur beatissima sanctorum angelorum societas; erimus enim ισαγγελοι, Matth. XXII. 30. ac unum cum illis constituentes chorum æternis laudum præconiis Deum concelebrabimus. δ) Per *altare* denotatur devotionis sanctitas; erimus enim *sacerdotes Dei*, Apoc. I. 6. *offerentes quotidie vitulos labiorum nostrorum, hostiam scilicet laudis*, Hebr. XIII. 15. In sanctum sanctorum solus summus sacerdos ingredi poterat; sed Christus per passionem suam in cœli sanctuarium ingressus, Heb. X. 19. hanc gratiam & gloriam nobis promeruit, ut in vitæ æternæ adita pateat nobis aditus ε) Per *candelabrum* denotatur beatæ visionis claritas, 1 Cor. XIII. 12. *claritas Domini illuminabit* cœlestem Hierosolymam, *& lucerna eius erit agnus*, Apoc. XXI. 23. Triplex visio exhilarabit electos: *corporalis*, qua Christi humanitatem; *spiritualis*, qua angelorum subtilitatem; *intellectualis*, qua super benedictam Trinitatem videbunt. ζ) Per *mensam* intelligitur beatæ fruitionis satietas, *quia edent de fructibus ligni vitae*, qui singulis mensibus renovabuntur, Apoc. XXII. 2. η) Denique per *ligna Sittim* imputribilia, ex quibus tabernaculi supellex erat fabrefacta, denotatur in omnibus bonis indeficiens æternitas, quod beatorum gloria corruptionis omnis expers, adeoque in eodem semper statu in omnem æternitatem firmissima sit mansura. Septima enim illa dies nec vesperam nec noctem habebit, Apocal. XXII. 5. Procopius in comm. Genes. V. *Interitus tabernaculum dicit locum,*

qui supra cœlum vel firmamentum frequentatur. Pontificem summum vel primum nominat Christum, quod hic primus in hoc adscenderit, & nobis primam istam habitationem aperuerit &c. Quidam tamen per tabernaculum utpote portatile ac de loco in locum translatum malunt intelligere *ecclesiam militantem*, quæ in hac vita est ambulatoria, nulli certo loco adfixa; per templum vero Hierosolymitanum utpote fixum *ecclesiam triumphantem*, quæ in vita æterna erit immobilis & perpetua. Multa significabant ecclesiam militantem & triumphantem, *desertum & terra promissionis tabernaculum in deserto laboris & templum in loco pacis, sanctum & sancta sanctorum, altare holocausti & thymiamatos &c.* sed nulla cum absurditate coniunctum, si unus idemque typus diversimode adplicetur, ac proinde tabernaculum & militantis & triumphantis ecclesiæ figura statuatur; præsertim quia pii ex ecclesia militante transferuntur in triumphantem. sicut vasa sacra ex tabernaculo olim transferebantur in templum Hierosolymitanum. 8) Exod XV. Israelitæ post aquarum amaritudinem perveniunt *ad Helim*, ubi erant 12. fontes aquarum, & 70. palmæ. Hoc Ambrosius adcommodat ad statum piorum, præsertim martyrum in futura vita, sic enim scribit serm. XXIV. *Est palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ, atque ideo non marcescit palma quia non marcescit martyrum victoria, iuxta illud; iustus ut palma florebit.* 9) *Manna.* Apoc. II. 17. *Vincenti dabo manna absconditum.* Manna significat donum præparatum, sic regnum cœlorum paratum est electis ab æterno, ut gratuitum donum, Matth. XXV. 34. Manna cœlitus depluebat; vita æterna est donum cœleste & supernaturale. Manna erat saporis mellei dulcissimi, at quid vita æterna suavius ac dulcius excogitari potest? Sicut gomor ex manna in tabernacula adservabatur, Exod. XVI. 32. Hebr. IX. 4. sic æternæ vitæ bona piis in cœlo adservantur, 1 Pet. I. 4. Qui in septimanæ sextiduo non collegerat manna, in septimo nihil inveniebat; sic in hac vita per fidem in Christum æternæ vitæ hereditas adquirenda, qua in parte qui negligens exstiterit, in die iudicii nihil gratiæ ac vitæ inveniet. 10) *Annus iubilaeus.* Is celebratur *in fine septem hebdomadarum annorum*, hoc est, post exactos septies septem quietis annos; sic vitæ æternæ festivitas plene inchoabitur in fine mundi, qui per septenarium dierum & ætatum decursum continue defluit. In beato illo iubilæo omnia naturæ humanæ debita timor, languor, mors &c. erunt soluta, servitus corruptionis dimissa, hereditas gloriæ, quæ per Adamum vendita, plenarie restituetur, erit etiam summa iubilatio & gratiarum actio, quia sequetur ἀποκαταστασις παντων, Apoc. III. 20. 11) Moses *ore ad os loquitur cum Deo, nec per aenigmata & figuras Dominum videt*, Num. XII. 8. *Ostendit ipsi Deus gloriam suam*, Exod XXXIII. 18. *loquitur cum ipso facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suum*, v. 11. *In monte cum Domino conversatus per quadraginta dies & quadraginta noctes panem non comedit, & aquam non bibit*, XXXIV. 28. *at splenduit cutis faciei eius ex consortio sermonis Domini*, v. 29. Talis gloria ac felicitas omnibus electis in vita æterna obtinget, videbunt Deum a facie ad faciem, familiariter cum illo colloquentur, non indigebunt cibo ac potu terreno, corpora ipsorum fulgebunt instar radiorum solis &c. 12) *Terra Canaan.* Fuit hæc patribus promissa & gratuita Dei benignitate Israelitis distributa, quod tribus distinctis vicibus

bus inculcatur Deut. IX. 4. 5. & 7. sic vita æterna piis promissa est gratuitum divinæ misericordiæ donum. Terra Canaan bellando ab Israelitis erat occupanda, sic pugnanti & vincenti dabitur cœlestium bonorum possessio, Apoc. XXI. 7. Terra Canaan sorte instar cuiusdam hereditatis inter Israelitas fuit distributa; sic verbum κληρονομειν de vitæ æternæ distributione in scripturis frequentissime usurpatum ex sortibus in terræ Canaan divisione usitatis deductum, & ad vitæ æternæ hereditatem denotandam est translatum. Terra Canaan *fluebat lacte & melle*, Ios. V. 6. sic vita æterna abundabit omnium bonorum copia. *Ascendebant filii Israel armati in terram promissionis*, sed postquam eam ingressi erant, arma deposuerunt, obliti timoris & rumoris bellici. *habitabat quisque sub vite & ficu sua confidenter*; sic in vita æterna erit perfecta tranquillitas & æterna securitas. 13) Iobo *septuplo* maiora omnia a Deo restituebantur, Iob. XLII. 11. sic in vita æterna recipiemus millies meliora & præstantiora bona illis, quæ propter Christum in hac vita amisimus, Matth. XIX. 29. 14) *Templum Salomonis.* 1. Reg. VI. 7. *Cum domus aedificaretur, de lapidibus perfectis adlatis aedificata est, & malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum aedificaretur.* Sic in cœlesti Hierosolyma, in qua Christus ædificat templum suum, vox securis vel mallei non auditur, hoc est, nec pœna nec tribulatio sentitur, nec vox doloris auditur, quia lapides, hoc est, sancti, qui sunt materia huius templi, 1 Petr. II. 5. prius in hoc mundo per tribulationes, præparantur ac dolantur. Templum non erat amplius mobile ac portatile, sicut tabernaculum; sic ecclesia triumphans non amplius erit mutabilis & ambulatoria, sicut militans in terris, sed stabilis & fixa. Templum Hierosolymitanum exstructum fuit a Salomone; sic Christus, *cælestis Salomon*, Matth. XII. 42. parat nobis in cœlo locum, Ioh. XIV. 3. 15) Per *reginam austri*, quæ venit ad Salomonem, ut audiret sapientiam eius, 1. Reg. X. 1. 2. Paral. IX. 1. Matth. XII. 42. Luc. XI. 31. significatur anima, quæ ad Christum in Hierosolymam cœlestem cum multorum angelorum comitatu ingreditur. Illa miratur regis Christi sapientiam, ministrorum hoc est sanctorum & angelorum ordinem, ciborum, hoc est, æternæ refectionis plenitudinem, vestium, hoc est, corporum glorificationem, pulchritudinem domus, hoc est, cœli magnitudinem, sacrificiorum, hoc est, divinarum laudum multitudinem, quæ admiratur & significat se non potuisse credere, quod coram intuetur. Quid est sapientia Salomonis ad Christi sapientiam comparata? quid ordo ministrorum comparatus cum novem ordinibus angelorum? Quid cibi terreni collati ad manna cœleste? quid vestes corruptibiles æstimatæ ad stolam incorruptibilitatis? 16) *Elias* curru igneo in cœlum vehitur, 2. Reg. II 11. sic piorum animæ ab angelis in paradisum cœlestem portantur, Luc. XVI. 22. ab angelis, inquam, qui sunt *spiritus illi administratorii*, de quibus Psalm. CIV. 4. *Facis angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem fulgentem.* Pallium Elias relinquit in terris; sic corpora piorum, quæ fuerunt velut animæ indumenta, relinquuntur in terra, sed in die novissimo ex pulvere terræ iterum suscitabuntur, & in cœlestis gloriæ consortium introducentur. Elias relinquebat pallium suum, quia in cœlo nullo indigebat vestimento; sic in vita æterna nullis indigebimus vestibus, *quia immortalitate erimus vestiti.* Fulgentius de fid. ad Monim. cap.

34. Elias ambulans ad montem Dei Horeb per quadraginta dies sustentabatur sine cibo corporali, 1. Reg. XIX. 8. sic visio Dei in vita æterna corpus & animam nostram satiabit, ut nullis opus sit cibis terrenis ac transitoriis. 17.) *Ahasveri magnificum ac regium convivium*, Esth. I. 4. & seqq. descriptum, vitæ æternæ gaudia utcunque adumbrare, colligitur ex verbis Christi Luc. XXII. 29. *Dispono vobis regnum*, v. 30. *ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos duodecim &c.* 18.) *Visionem Ezechielis* 1 & 10. oblatam, specimen aliquod vitæ æternæ exhibere, colligitur ex Apoc. IV. 8. Cum prophetæ l. 10. monstrata fuissent quadriformia animalia, quorum singula quatuor facies habebant, *leonis, hominis, bovis & aquilae*, X. 14. ubi eadem visio repetitur, pro facie bovis facies *cherub* adparuit, sicque facies bovis in faciem cherub conversa fuit; sanctorum enim facies in hac vita mortali est facies bovis in area laborantis & sudantis, quæ tamen postea in faciem cherub pulcerrimam commutabitur, absterfis scilicet lacrimis, neterso pulvere, ac mortalitate in gloriam immortalitatis commutata.

§. XXVI. In nov. test. regni cœlestis gloria per *convivium, nuptias, sessionem in thronis regalibus &c.* exprimitur de quibus symbolicis ac parabolicis descriptionibus inferius agemus, quando formam vitæ æternæ utcunque delineabimus. Hoc loco notamus; 1) statum vitæ æternæ Luc. XXI. 30. conferri cum *aestate*. Tempus præsentis vitæ convenit cum hyeme, in quo dies breves & omnia tristia, sed tempore veris, quod est æstas inchoata, dies protenduntur, omnia sunt læta & amœna, ac quæ in hyeme erant emortua, vicissim reviviscunt; sic in vere vitæ æternæ *ossa nostra germinabunt instar graminis*, totius naturæ renovatio succedet, aderit volucrium intellectualium cantus, frondebit & fructus adferet lignum vitæ &c. Tunc implebitur, quod prædictum Cant. II. 10. *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni.* v. 11. *Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* v. 12. *Flores adparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra*, v. 13. *Ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum.* 2) Servis fidelibus & prudentibus talem promissionem esse factam, quod *super omnia bona Domini sint constituendi*, Matth. XXIV. 47. Luc. XII. 44. quod *dominus in suo a nuptiis reditu*, quem vigilanter eiusmodi servi exspectant, *sese sit praecincturus, ab ipsis mensae adsidentibus ministraturus*, Luc. XII. 37. quod *constituendi sint super multa, & in gaudium Domini sui introducendi*, Matth. XXV. 21. 23. quæ omnia cœlestem & æternam ipsorum felicitatem παραβολικως και μυστικως exprimunt. 3) Luc. XXIV. 31. *Christus manifestat se discipulis in Emaus, cum distribueret illis panem*; sic in cœlestis paradisi hospitio Christum plene cognoscemus, quando panem æternæ satietatis nobis distribuet. 4) Suavissima ac familiarissima illa conversatio, qua Christus post suam resurrectionem usque ad tempus αναλήψεως cum discipulis usus est συναλιζομενος, Act. I. 4. *manducans & bibens cum ipsis*, Act. X. 41. typum exhibet vitæ æternæ, in qua Christum videbimus, Christum docentem audiemus, cum Christo in mensa ipsius adcumbemus, Christo in omnem æternitatem adsociabimur. Neque enim modo nobis aderit, modo aberit, nec a nobis adsumetur, Act. I. 11. sed erit nobiscum in æternum, *& nos semper cum*

eum ipso erimus, 1. Theſſ. IV. 17. Chriſtus per quadraginta illos dies *loquebatur diſcipulis ſuis de regno Dei*, Act. I. 3. cuius phraſeos ſenſum & emphaſin in harm. de reſurr. cap. ult. expendimus, ſed in vita æterna omnes veri diſcipuli Chriſti poſſidebunt regnum Dei, Matth. XXV. 34.

§. XXVII. ς) In Apocalypſi præter hieroglyphicam cæleſtis Hieroſolymæ picturam ſuperius qualitercunque expoſitam exſtant eiuſmodi typicæ ac parabolicæ deſcriptiones æternæ felicitatis complures. Apoc. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod eſt in Paradiſo Dei mei*, dabo illi vitam æternam, cuius ſymbolum & ſacramentum pignus & arrha fuit arbor vitæ in Paradiſo, ut oſtendimus ſuperius. v. 10. *Dabo tibi coronam vitae*, utpote victori. v. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte ſecunda*, liber erit ab æterna damnatione. v. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum*, conſortem eum faciam cœleſtium bonorum, quæ piis in cœlo aſſervantur, quorum typus fuit manna Iſraelitis in deſerto datum, ut paulo ante vidimus; *& dabo illi calculum candidum*, abſolvam eum a morte & damnatione, quia calculus albus fuit olim ſymbolum ſententiæ abſolutoriæ, ſicut contra niger damnatoriæ. Ovidius lib. XV. metam.

Mors erat antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Nomen novum illud eſt, ut dicatur filius Dei, frater & coheres Chriſti, 1 Ioh. III. 2. quod nomen dicitur ſcriptum ſuper calculum candidum, quia Chriſtus electos non ſolum a damnatione abſolvet, ſed etiam cœleſti honore & gloria illos coronabit. Nemo illud ſcit, niſi qui accipit, quia Dominus novit, qui ſunt ſui, ac vera fides & interior Spiritus ſancti inhabitatio non ſunt aliorum hominum oculis in hac vita obvia. Aretas Cæſarienſis in comm. h. l. *Manna tropice panis eſt vitae, qui propter nos de cœlo deſcendit, tametſi bona univerſa futura deſignentur perinde ac cœlitus & ipſa devolantia, ubi etiam ſuperna illa eſt Ieruſalem. Vincenti diabolum ſe etiam calculum candidum donaturum, hoc eſt, gloria illuſtratum fulgentemque pollicetur. Poſuit autem hoc loco calculum candidum, quod is apud eos, qui in theatris ac ſtadiis luctabantur, familiaris eſſet ac notus, & vincentibus traderetur. Nomen vero novum, hoc eſt, quod in praeſenti vita ignoratur. Id autem nomen ſancti hereditate adſequentur.* v. 26. *Qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper gentes.* v. 27. *Et reget eas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi a Patre meo.* Participem illum faciam victoriæ meæ ab hoſtibus reportatæ, Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 29. 1 Cor. VI. 3. Epheſ. II. 6. Apoc. III. 21. Lyranus in h. l. *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes in finali iudicio, in quo ſancti iudicabunt cum Chriſto, & ſic habent poteſtatem ſuper gentes iudicandas. Et reges illas virga ferrea, hoc eſt, inflexibili iuſtitia, & tanquam vas figuli confringentur, quia tunc peccatores in infernum praecipitabuntur.* v. 28. *Et dabo illi ſtellam matutinam.* Ea eſt ſymbolum perfectæ γνώσεως & claritatis, qua animæ & corpora piorum induentur in vita æterna, Dan. XII. 3. 1 Cor. XV. 41. Apoc. III 4. *Ambulabunt mecum in albis.* v. 5. *Qui vicerit, veſtietur ve-*

vestimentis albis, quæ sunt symbolum victoriæ, innocentiæ, gloriæ ac lætitiæ, quin & dignitatis regiæ, *& non delebo nomen eius de libro vitae, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram angelis meis;* certe consequetur salutem, eademque nunquam excidet. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, erit perpetuus heres æternorum bonorum nec ullum εκπτωσεως ipsi imminebit periculum, quia columna est symbolum immobilitatis in statu gloriæ cœlestis, unde explicationis causa subiungitur: *& foras non egredietur amplius & scribam super eum nomen Dei mei.* In columnis regum ac principum nomina eorum inscribi solent, ita quoque Dei nomen super columnas illas cœlestes scribitur, quia pii in hac vita per gratiam adoptionis, in futura per beatificam visionem sunt & dicuntur Dei filii, ac nomen illud dicitur scribi super eos, quia quod supra naturam est, non in illis, sed super illos scribi dicitur. *Et nomen civitatis Dei mei novae Hierusalem, quae descendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.* Electi erunt & dicentur cives cœlestis Hierosolymæ, ac omnibus manifestum fiet, columnas illas in cœlo a Christo per passionem & mortem, qua nomen illud novum consecutus est, tantam in victoriæ suæ monumentum, fuisse erectas, illique omnium sanctorum gloriam unice ferendam esse acceptam. v. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo mecum, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Collocabo ipsum in throno gloriæ, sicut & ego per passionem intravi in gloriam meam, regnabit mecum in cœlo, 2 Timoth. II. 12. Apoc. II. 26. sicut & ego per crucem intravi in regnum; ubi tamen notandum, *thronum Patris*, in quem Christus evectus est, distingui *a throno Christi*, in quem sancti collocabuntur. Apoc. IV. 4. electi adparent *circumamicti vestimentis albis*, quorum significationem paulo superius exposuimus, *& in capitibus eorum coronae aureae*, in signum victoriæ a diabolo, peccato, morte, inferno, mundo & omnibus hostibus reportatæ, ut & dignitatis regiæ a Christo sibi collatæ. Apoc. VII. 15. *Sunt ante thronum Dei, & servient ei die & nocte in templo eius*, sunt enim ισαγγελοι ac sacerdotes cœlestes, *& qui sedet in throno habitabit super illos*, σκηνωσει obumbrabit eos, hoc est, veluti umbraculo quodam eos proteget contra quævis mala & adversa; Apoc. XXI. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt.* Ergo σκηνωσει επ αυτους, και σκηνωσει μετ αυτων. v. 16. *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol nec ullus aestus*, liberi erunt ab omnibus molestiis, ab omni indigentia, ab omni tentatione ac persecutione, 1 Petr. IV. 12. 17. *Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad fontes vitae aquarum*, επι ζωσας πηγας υδατων, ad viventes fontes, hoc est, satiabit, potabit, & inebriabit eos cœlestium bonorum abundantia, *& absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum*, consolabitur eos, *sicut mater consolatur filios*, Esai. XXV. 8. LXVI. 13. replebuntur cœlesti lætitia &c. Proponitur igitur in hac visione apocalyptica: a) *beatorum multitudo & varietas.* Multitudo quidem v. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat;* varietas vero, quando subiungitur ibidem *ex omnibus gentibus & populis & tribubus & linguis.* Utraque ad pulchritudinem & excellentiam cœlestis illius patriæ augendam plurimum facit. b) *Beatorum con-*

concordia & pacata tranquillitas. Mirum sane, cœlestis Hierosolymæ cives tanta multitudine ac varietate esse illustres, sed longe mirabilius, in tanta multitudine ac varietate pacatissimam inveniri concordiam, quæ a Iohanne insinuatur, quando *ante thronum in conspectu agni stetisse* dicuntur. c) *Gloriae cœlestis stabilitas ac firmitas.* Dicuntur enim beati *stari ante thronum*, & in conspectu agni, tum quia gratia apud Deum & agnum fruuntur, & ad divina mandata promtos sese exhibent, quorum utrumque competit illis, qui coram principibus adstant, tum quia in bono, ac proinde etiam in cœlesti gloria sunt stabiles & immoti. d) *Beatorum triumphalis dignitas.* Palmæ erant in manibus eorum in signum victoriæ, quam de diabolis & ipsius organis, persecutoribus, tyrannis, seductoribus, hæreticis, de peccatis, morte, inferno, &c. reportarunt. Gregorius homil. XVII. in Ezech. *Palmas in manibus tenere est victorias in operatione tenuisse, cuius operationis palma ibi retribuetur, ubi iam fine certamine gaudebit.* e) *Gloriae cœlestis continuatio ac perpetuitas.* Sunt ante thronum Dei, *& serviunt ei die ac nocte*, ubi per verba *die ac nocte* non significatur, fore in coelo dierum ac noctium vicissitudinem, quia *nulla ibi nox erit*, Apoc. XXI. 25. sed idiotismo linguæ sanctæ status beatissimi continuatio ac perpetuitas denotatur, neque vero tam diuturna Deo adsistendi & serviendi continuatione beati fatigabuntur propter summam, quam ex hoc servitio percipiunt, voluptatem &c. f) *Summa beatorum felicitas.* Comparatur enim eorum status uberrimis *pascuis*: *Agnus, qui in medio throni est, pascet illos, ac deducet eos ad vivos fontes aquarum*, ergo nec cibus nec potus neque quidquam beatis deerit, Psalm. XXIII. 1. *& absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum*; ubi proponitur similitudo ducta a matribus, quæ parvulos plorantes solent amplecti, osculari, blanditiis delinire, lacrimas abstergere, iisdemque ubera porrigere; sic sanctos ex hac miseriarum & lacrimarum valle ad se venientes Deus in sinu gloriæ beatæ excipit. ac instar, matris eosdem consolatur.

§. XXVIII. V) Ex *ecclesiae symbolis.* Symbolum *apostolicum* felicem illam habet clausulam: *Credo vitam aeternam. Nicenum* eodem modo finit: *Exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Athanasianum* repetit dictum Christi Ioh. V. 29. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam.* Irenæus lib. I. adv. hæres. cap. 2. pag. 34. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata credit Christum ad iudicium rediturum &c. ut iustis & sanctis, & qui mandata eius observant, & in dilectione eius perseverant, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donet, incorruptibilem statum largiatur, & vitam aeternam tribuat.* Tertullianus lib. de præscript. adv. hæres. cap. 13. p. 110. *Regula autem fidei est, ut iam hinc quid credamus, profiteamur &c. venturum Christum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione &c.* V) *Ex ecclesiae symbolis.*

§. XXIX. Antithesis. I) *Epicurael, Sadducaei & empaectae* tam intra quam extra visibilis ecclesiæ pomœria vitam æternam esse negant. Ut enim animæ immortalitatem, corporum resurrectionem, *Antithesis.*

nem, futurum iudicium, consummationem seculi, & æternos impiorum cruciatus pro fabulis habent, ita quoque æternam piorum in cœlis felicitatem risu, sed vere Sardonio excipiunt, sero enim in pœnas æternas tandem credent, qui vitam æternam credere noluerunt. *Das sind des Teuffels Maulaffen allhie auffm Koben der Wollust, dort am hellischen Bratspies.* Plinius lib. II. histor. natur cap. 7. quæstionem de vita æterna dicit esse cœcæ mortalitatis argumentum. II) Michael Balbus Amoræus circa annum Christi 820. *vanam* statuebat esse *doctrinam de bonis aeternis*, referente Zonara in hoc Michaele. III) *Barbara, Sigismundi imperatoris coniux*, animas cum corporibus mori, & post hanc vitam, quam vivimus, nullam aliam futuram esse dicebat, referente Cuspiniano in Sigismundo & Ænea Sylvio epist. CXXX. IV) *Retentiores Iudaei* bonorum operum mercedem in præsenti duntaxat vita se accepturos & sperant & adserunt, referente Galatino lib. XII. de arcan. cathol. verit. cap. 6. ubi quædam ex vetustioribus rabbinis huic impietati opponit. V) *Georgius David* negavit æternam beatorum in cœlo vitam, si fides habenda Cochlæo in libro descript. & fact. Lutheri anno 1549. VI) De *Iohanne XXIII.* concilium Basilienſe sess. II. sub finem memorat, quod *saepe & saepius coram diversis praelatis & aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixerit, adseruerit & dogmatizaverit, vitam aeternam non esse, nec aliam post hanc.*

§. XXX. VII) *Photiniani* negant plis in vet. test. promissam fuisse vitam æternam. Socinus in lib. quod evang. se Photinianis coniungere debeant. p. 63. *Credunt evangelicorum ministri vitam aeternam non primum ac demum in novo fœdere, sed antea quoque in vetere fuisse promissam, & ex ipso Dei promisso a fidelibus eius temporis exspectatam, quo vix quidquam inveniri potest divinis testimoniis & oraculis magis contrarium.* Similia habet Schmalzius in lib. de divinit. Christi c. 7. Argumentis utuntur duorum generum. Primo enim adserunt, *nostram sententiam esse ἀγράφον, cum vitae aeternae a Deo hominibus ipsique populo suo promissae pro eo tempore, quod Christi adventum praecessit, nulla prorsus fiat aperta mentio?* Resp. contrarium ostendunt ea, quæ ex vet. test. produximus. Quid clarius dicto Salvatoris Ioh. V. 39. *Scrutamini scripturas, quia vos existimatis in ipsis vitam aeternam habere, & illae sunt, quae testimonium perhibent de me*; & apostoli Pauli 2. Timoth. III. 15. *Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt erudire σοφίσαι sapientem reddere ad salutem.* Si in scriptura vet. test. habetur vita æterna, ac sacræ vet. test. literæ possunt nos instruere ad salutem, utique in illis vita æterna & modus ad eam perveniendi revelatus est, sed verum prius, quia manifestum est, de scriptura vet. test. Christum & apostolum loqui. Ergo etiam posterius. Pueriliter excipit Schmaltzius cont. disp. D. Frantz. pag. 222. *Iudaeos quidem putasse, quod in antiquis scripturis vitam habuerint, non autem revera habuisse.* Nam verbum δοκεῖν hic non significat inanem ac falsam quandam opinionem, sed verum iudicium, cui res ipsa in veritate respondet, id quod tum ex *collatione aliorum scripturae locorum*, in quibus verbum δοκεῖν usurpatur, Matth. XVII. 25. XXII. 42. Marc. X. 42. Luc. X. 36. 1. Cor. IV. 9. tum ex *Syriaca versione*, quæ habet verbum סבר, respondens Hebræo חשב, tum ex *ipso contextu* sole clarius elu-

elucet. Christus enim hanc Iudæorum δοκησιν non taxat, nec improbat, sed ex hoc ipso principio ad diligens scripturæ scrutinium eos hortatur, ac evidentem addit rationem, quare in scripturis vita æterna dicatur haberi, quia scilicet de Christo *qui est vita aeterna*, & in cuius cognitione consistit vita æterna, testificantur. Quemadmodum ergo Iohannes de evangelica sua historia dicit: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Ioh. XX. 31. ita quoque de Mosaicis & propheticis vet. test. scriptis ex oraculis Christi & apostoli modo adductis vere dicere possumus: Hæc scripta sunt, ut pii vet. testam. crederent promissum Messiam fore Dei Filium ac mundi Salvatorem, ut credentes vitam haberent in nomine ipsius; quem primarium ac præcipuum Mosaicorum ac propheticorum scriptorum scopum cum Iudæi non attenderent, Christus hoc nomine eos taxat v. 40. *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* Idem Schmalzius lib. de divin. Christi cap. 7. alia exceptione utitur: *Si ulla vitae aeternae promissio in vet. testam. facta fuisset, Iudaei eam urgerent, ac in ipso fœdere eius mentio facta fuisset, reliquae enim prophetarum voces non ad omnes pertinuerunt vel pervenerunt.* Resp. imo vero in ipso fœdere tam legali quam evangelico diserta fit vitæ æternæ mentio. De *legali* fœdere illud liquido conspicuum ex promissionibus huic fœderi additis: *Faciens ea homo vivet in eis* Lev. XVIII. 5. in quibus æternæ vitæ promissionem contineri, ostendimus superius §. XIV. ac sole clarius id elucet ex Luc. X. 25. & 28. De fœdere *evangelico* idem facile negotio probatur, promissa enim serpentini capitis contrio ac per Messiam benedictio spiritualia cumprimis & cœlestia beneficia complectitur. Circumcisionis sacramento additur hæc promissio Gen. XVII. 7. *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui*, cuius promissionis genuinam sententiam exponit Christus Matth. XXII. 32. Marc. XII. 27. Luc. XX. 38. *Non est Deus mortuorum, sed viventium Deus, omnes enim vivunt ei*, hoc est, quorum se Deum fore Deus promittit, illos non solum gratia in hac vita complectitur, sed etiam ex terræ pulvere aliquando ad vitam æternam eos resuscitabit Hæc fœderalis promissio non fuit Israelitis incognita sed perpetuum eius memoriale ac pignus in carne sua circumgestarunt, ac quoties ad fœdus cum Patribus factam provocarunt, toties promissionem de vita æterna propter Messiam danda fide se amplecti testati sunt. Quamvis vero quædam prophetarum vaticinia, utpote particularia, non pertinuerint ad omnes, neque etiam pervenerint ad omnes omnium ætatum & nationum homines, tamen promissiones evangelicæ ex fonte protevangelii de *semine mulieris contrituro caput serpentis* haustæ non fuerunt Israelitis ignotæ, nec ullus ab illarum vel intellectu vel fructu absoluto quodam Dei odio fuit exclusus.

§. XXXI. Hisce Christi & Pauli dictis coniungi possunt ea veteris test. oracula, in quibus agitur de *beatitudine* piis promissa; eam enim æternam in cœlis felicitatem complecti, superius demonstratum; de *libro vitae*, in quem electi scribuntur, eum enim complecti promissionem salutis, manifestum est tum ex ipsa phrasi, tum ex loco prophetico Dan. XII. 1. 2. & 3. de *beneficiis Messiae* non ad nov. duntaxat, sed etiam vet. test. tempora pertinentibus, inter

quæ eminet iuſtitia, ſalus & vita; de *animae immortalitate & beato animarum piarum poſt mortem ſtatu*, is enim arguit ſupereſſe vitam aliam poſt exactum huius vitæ curſum; de *reſurrectione piorum ad vitam aeternam;* de *extremo iudicio*, cuius finis erit, ut quilibet reportet fructum eorum, quæ per corpus geſſit; de *iuſtitia fidei & eius effectu ac conſequente*, quod eſt vita æterna &c. Addi etiam poſſunt *exempla translationis Enochi & Eliae*, quin & Photinianorum opinio ad abſurdum deduci poteſt. Si enim pii in vet. teſt. non habuerunt promiſſionem vitæ æternæ, eccleſia Iſraelitica nihil aliud fuit quam hara porcorum, quippe quorum *ventrem Deus impleverit bonis huius vitae*, Pſalm. XVII. 14. & poſtea eos dimiſerit bonis cœleſtibus inanes ac vacuos, omnibus etiam pereundum fuit æterna morte, quia nullam habuerunt promiſſionem, quam terroribus & angoribus mortis opponere potuerint; pii fuerunt deterioris conditionis quam impii, quippe qui in hac vita præ reliquis florente fortuna conſueverunt uti, quæ omnia abſurda eſſe quivis videt. Excipiunt Photiniani, *non eſſe putandum, non habituros aeternam vitam eos, qui fideles ante Chriſti adventum fuerint, quamvis illis non fuerit a Deo promiſſa. Nihil enim impedire, quo minus Deus multo plus det, quam promiſit.* Socinus d. l. Reſp. 1) Fundamenta hactenus adlata oſtendunt, non absque promiſſione in verbo revelata ex ignota penitus & inſperata Dei gratia vitam æternam credentibus ſub tempore veteris teſtamenti obtigiſſe, ſed promiſſionem beatitudinis in verbo ipſis fuiſſe poſitam. 2) Hæc revelatio promiſſionis omnino fuit neceſſaria, ut in omnibus huius vitæ adverſis, cumprimis veroin agone mortis pii veteris teſtamenti ſeſe eadem ſuſtentarent. 3) Exempla patriarcharum teſtantur, promiſſionem hanc ipſis non fuiſſe ignotam. Gen. III. 20. primi parentes audita promiſſione *de ſemine mulieris* ex angoribus conſcientiæ & terroribus mortis iterum eluctantur, ac Adamus coniugem ſuam vocat *Evam*, eo quod *mater eſſet cunctorum viventium;* hoc eſt, quia Deus promiſſionem vitæ propter Meſſiam reſtituendæ ipſis dederat, per quam & ipſis & poſteris ipſorum ad vitam iterum patebat aditus. *Abrahamus exſultavit, ut videret diem Chriſti, & vidit eum, & gaviſus eſt*, Ioh. VIII. 56. *exſpectavit civitatem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor Deus*, Hebr. XI. 10. Iacobus patriarcha in ipſa morte *exſpectat Dei ſalutare*, Geneſ. XLIX. 18. Iobus ſcit & firmiſſime credit, *in carne ſua ſe viſurum Dominum*, Iob. XIX. 26. David certo ſperat, *ſe viſurum bona Domini in regione viventium*, Pſal. XXVII. 13. *ſe in aeternum non confuſum iri*, XXXI. 2. Aſſaph. dicit LXXIII. 25. *Si te Domine ſolum habeo, nihil deſidero in cœlo vel terra.* De omnibus vet. teſt. ſanctis in genere dicitur Heb. XI. 14. quod *confitentes ſe eſſe peregrinos & hoſpites ſuper terram ſignificaverint ſe patriam aliam inquirere*, puta cœleſtem, ſic enim exponitur v. 16. *Siquidem iſtius meminiſſent, de qua exierunt, habebunt tempus revertendi, nunc autem meliorem adpetunt*, hoc eſt, cœleſtem, *ideo non erubeſcit Deus vocari Deus eorum, paravit enim eis civitatem.* 4) Ex quibus omnibus ſic concludimus: Fides & verbum promiſſionis ſunt relata. Iam vero in patriarchis & omnibus ſanctis veteris teſtamenti locum habet fides & ſpes ſalutis æternæ. Ergo eadem in verbo ipſis fuit promiſſa. Ignoti ut nulla notitia, ita quoque nulla fides, nulla exſpectatio, nullum deſiderium

5)

5) Deus dat vitam æternam non quibusvis hominibus quovis modo sese habentibus, sed credentibus, sperantibus & ad finem illum propositum per multas tribulationes & per studium pietatis strenue contendentibus teste tota scriptura. Iam vero fides, spes & studium consecutionis non potuissent in sanctis veteris testamenti locum habere, si nihil quidquam sciviſſent vel audiviſſent de vita æterna. 6) Sicut piorum ecclesia est *unum corpus*, *unus spiritus*, sic etiam *vocati sunt in una spe vocationis*, Ephes. IV. 4. sicut *unus eorum Dominus*, ita quoque *una fides*, v. 5. sacramentorum duntaxat, non autem promissorum bonorum facta est mutatio ac variatio. 7) Denique si patres vet. test. non acceperunt promissionem vitæ æternæ, vixerunt per totum vitæ suæ tempus in crassissima finis, ad quem homo conditus, ac per Messiam redimendus erat, ignorantia, nec pensi habuissent media ad finem illum ducentia, sed fortuito per accidens & præter intentionem fuissent salvati.

§. XXXII. *Secundo*, αντιγραφον esse nostram sententiam ex eo probare conantur, quod *in nov. test. saepius commemoratur, vitam aeternam per Christum a Deo promissam fuisse, & per eius evangelium hominibus patefactam, cum ea prius apud Deum lateret*, 1 Ioh. I. 2. II. 25. 2 Tim. I. 10. *ac denique novum fœdus in melioribus promissionibus fuisse sanctum*, Heb. VIII. 6. Resp. 1) Vitam æternam per Christum in nov. test. promissam fuisse, non negamus, sed ex eo inferri nequit, in vet. test. non fuisse promissam; quia ab inclusione unius non potest procedi ad exclusionem alterius eidem subordinati 2) Invertimus potius argumentum: Vita æterna in nov. test. per Christum fuit promissa. Ergo etiam in vet. test. Ratio consecutionis hæc est, *quia Christus Iesus idem est heri & hodie & in secula*, Heb. XIII. 8. ac Paulus in nov. test. nihil docuit *extra ea, quae prophetae locuti sunt futura esse, & Moses*, Act. XXVI. 22. 3) Sicut *salus* utpote *finis*, communis est piis vet ac nov. test. ita quoque *media ad finem ducentia* utrisque fuere communia, inter ea vero est ex parte Dei promissio vitæ æternæ propter Messiam dandæ, & ex parte hominum fides oblata bona recipiens. Posito enim fine ponuntur media essentialiter ad finem requisita. 4) Quod evangelium de Christo dicitur *aeternis temporibus tacitum*, Rom. XVI. 25. Ephes. III. 9. Col. I. 26. illud vel accipiendum est ratione *certi obiecti*, quod gentilibus illud non fuerit manifestatum, vel ratione *modi & gradus*, quod non tam clare & aperte fuerit prædicatum vel nomine evangelii intelligendum *publicum de Christo iam exhibito praeconium*, in quo sensu nomen evangelii usurpatur Marc. I. 1. Quod enim absolute ac simpliciter doctrina evangelii de gratia Dei, peccatorum remissione, iustitia & vita æterna non tacita, patet ex verbis diserte additis Rom. XVI. 26. *patefactum nunc per scripturas prophetarum*, ac III. 21. docet apostolus *iustitiam fidei*, cuius finis est salus animarum sive vita æterna, 1 Pet. I. 9. *esse μαρτυρουμενην a lege & prophetis*. Huc referri potest distinctio inter επαγγελιαν, promissionem de Christo venturo, & ευαγγελιον specifice sic dictum, hoc est, præconium de Christo exhibito. 5) 1 Ioh. I. 2. per ζωην την αιωνιον intelligitur non status piorum post hanc vitam, sed Christus æternæ vitæ auctor ut patet tum ex *serie textus*, quia is, qui vocatur *vita aeterna*, dicitur v. 1. λογος της ζωης

dicitur fuisse απ αρχης, dicitur *ab apostolis visus & contrectatus.* v. 2. vita illa dicitur *manifestata*, videlicet in carne, 1 Tim. III. 16. dicitur *fuisse apud Patrem*, videlicet in principio, Ioh. I. 1. *& nobis adparuisse*, videlicet quando *verbum caro factum est*, *& habitavit in nobis*, Ioh. I. 14. tum ex *aliorum locorum collatione*, Ioh. I. 4. XI. 25. XIV. 6. cum primis 1 Ioh. V. 20. Quod si vel maxime adpellatio vitæ æternæ accipiatur pro beatissima piorum conditione propter Christum ipsis promissa, nondum tamen evictum erit, piis in vet. test. non fuisse promissam vitam æternam, inde enim atque ideo in exhibitione Christi promissi dicitur nobis oblata vita æterna, quia tunc *ad propinquavit regnum cælorum*, Matth. III. 2. IV. 17. Marc. I. 14 *salus nostra facta est tunc proprior, quam cum crederemus*, sive speraremus, Rom. XIII. 11. 6) Eodem sensu a quibusdam accipitur dictum apostolicum 2 Tim. I. 10. ubi Christo tribuitur το φωτιζειν, *illuminare*, in apertiorem & clariorem lucem proferre vitam & αφθαρσιαν, iam vero gradus lucis maioris non variat rem ipsam, sed eadem manet vitæ æternæ promissio in vet. ac nov. test. quamvis in nov. test. maior claritas accesserit, in vet. autem involucris promissionum de terra Canaan ea fuerit involuta. Sed simplicius videtur responderi, Christo destructionem mortis & reparationem vitæ tribui, tum ιλαστικως ratione *adquisitionis*, tum ενεργητικως, ratione *adplicationis*. Utroque enim modo destructio mortis & vitæ reparatio Christo competit, ac per verbum φωτιζειν apostolus nos deducit ad opus creationis, ut innuat, Christum eadem virtute mortem aboleviſse, ac vitam promeruisse & credentibus conferre, qua olim lucem ex tenebris produxit. Ex eo vero inferri nequit, Christi meritum & beneficia evangelii pertinere tantum ad nov. test. tempora. 7) Quid *per meliores promissiones*, quibus novum test. sancitum, & quarum respectu vocatur η κρειττων διαθηκη, intelligatur Hebr. VIII. 6. declarat apostolus v. seq. ex Ier. XXXI. 31. Nimirum instituitur collatio inter testamentum vetus sive *legale*, & testamentum novum sive *evangelicum*. Prius requisivit perfectam & omnibus numeris gradibus ac partibus absolutam obedientiam iuxta omnia & singula præcepta præstitam. Quia vero talem ac tantam obedientiam in huius vitæ infirmitate homines præstare non possunt, ideo ad nihil aliud test. istud profuit, quam ut peccatum & miseriam manifestaret. Posterius vero, quia promittit gratuitam peccatorum remissionem, donationem Spiritus sancti legem Dei in corda scribentis, interiorem renovationem &c. ideo confert certam spem æternæ salutis. Sed ex hac veteris ac novi test. collatione inferri nequit, pios tempore vet. test. non habuisse promissionem vitæ æternæ; ut enim nihil dicam de eo, quod in promissionibus legalibus expressa fiat mentio vitæ æternæ, quæ tamen ob αδυναμιαν implendi legem hominibus sunt ad vitam æternam obtinendam inutiles, illud certum est, quod durante tempore vet. test. non tantum tradita fuerit doctrina legis ad naturam ac definitionem vet. test. (prout illud a nov. test. in scripturis distinguitur) pertinens, sed etiam doctrina de Messia & ipsius beneficiis, inter quæ eminet promissio vitæ æternæ gratuita propter Christum, qua de re in tract. de evang. §. CXX. & seqq. plenius egimus. Plura de hac quæstione vide apud Meisnerum, amicum nostrum

strum singularem in consid. theol. cap. V. art. 7. pag. 783.

Quæritur: An per naturam notum sit esse vitam aeternam.

§. XXXIII. Quæritur hoc loco: *An per naturam notum sit, esse vitam aeternam, & an homines naturaliter eam adpetant?* Dubium nullum, hominem ante lapsum per notitias menti naturaliter insitas cognovisse non solum, quod sit vita æterna, sed etiam quomodo ad eam sit perveniendum, atque ad eam naturali desiderio adspirasse, quia conditus fuit *ad Dei imaginem*, ac proinde etiam ad beatam immortalitatem; sed ut per lapsum tristissimum imago Dei in homine ferme penitus fuit exstincta & obliterata, & bonum vitæ æternæ amissum, ita quoque cognitio illius summi boni, ad quod homo primum conditus est, misere fuit obscurata & desiderium eius fere totum elanguit. Augustinus serm. XIX. de verb. apost. *Hoc praecipue Christianus a gentili errore discernit, quod hi hanc tantummodo vitam credunt, nos etiam futuram.* Interim tamen, ut quædam imaginis divinæ reliquæ & clarissimæ illius lucis exsiles scintillulæ in anima hominis permanserunt, ita quoque tenuis quædam notitia & generalis quidam adpetitus illius beatitudinis permansit, ex quo fonte profluxit, quidquid apud gentiles de præmiis bonorum post hanc vitam exspectandis, de animæ immortalitate, de campis Elysiis occurit. Sed hæc notitia, uti dixi, est non solum *imperfecta* & *obscura*, quia modum perveniendi ad illam beatitudinem homo per naturam penitus ignorat, imo mysterium evangelii de Christo, vitæ æternæ reparatore, habet pro stultitia, sed etiam adsensus ex ea ortus est *languidus & imbecillis*, imo in tentationibus & adversis facile evanescit. Plato in Phædone: το μεν σαφες ειδεναι περι της μελλουσης ζωης εν τω νυν βιω η αδυνατον εστιν η παγχαλεπον, inde est, quod homines beati quidem esse volunt, sed a mediis per quæ beatitudo obtinetur, turpiter aberrant, & pro ονως bono φαινομενως bonum amplectuntur, sicut Ixion pro Iunone amplexatur nubem, ac sicut illi, qui scotomate laborant, veras rerum differentias internoscere, & aurea ab æreis distinguere nesciunt. Quapropter scholastici part. I. quæst. 12. art. 1. recte disputant, *gloriam & beatitudinem aeternam esse supernaturalem non tantum in adsecutione, sed etiam in cognitione*, & per consequens non esse in homine perfectum & efficax desiderium vel adpetitum naturalem huius beatitudinis. Quando ergo dicitur, quod *omnis voluntas tendat ad beatitudinem*, tum intelligendum id est de beatitudine in sua generalitate considerata, in cuius adpetitu omnes communicant; sed prout beatitudo determinate accipitur pro illa, quæ in visione Dei consistit, nec ab omnibus adpetitur, nec omnes in illam tendunt.

CAPVT III.

QVID SIT VITA ÆTERNA?

Quid sit vita aeterna?

§. XXXIV. Atque hæc dicta sint de quæstione *ει εστι, an sit vita aeterna;* ab ea transitum facimus ad quæstionem *τι εστι, quid sit vita aeterna* &

& *quid sit cœlum beatorum?* I) Quid sit vita æterna, *generaliter & αινιγματικως* ex verbi revelatione sciri potest, quod scilicet sit beatissimus ac felicissimus ille piorum status, in quem post hanc vitam translati Deum a facie ad faciem videbunt, & ab omni molestia liberi in sempiterna lætitia & gloria ac ineffabili felicitate vivent & regnabunt; sed *specialiter & exacte* in huius vitæ infirmitate illud sciri nequit, *quia oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Dominus se diligentibus*, Esai. LXIV. 4. 1. Cor. II. 9. Cæterum hæc vitæ æternæ qualiscunque descriptio illustrior erit, quando causas vitæ æternæ, cumprimis *formalem*, in lumine verbi contemplati fuerimus; hoc loco notamus, beatitudinem vitæ æternæ dupliciter considerari, primo *obiective*, secundo *formaliter*. *Obiectum* beatitudinis est ipse Deus, summum illud & infinitum bonum, quod se in clara visione conspiciendum, amandum, laudandum & glorificandum beatis exhibebit, atque hoc respectu Deus ipse dicitur electorum in cœlis beatitudo. *Forma* beatitudinis est ipsa Dei visio, & ex ea orta animæ & corporis gloria, adeoque æternæ beatorum lætitia, hoc respectu beatitudo electorum dicitur bonum aliquod creatum & finitum, quia Deus non est rei alicuius creatæ forma vel materia, sed duntaxat efficiens, finis & obiectum; interim bonum illud finitum & creatum non nisi propter obiectum increatum & infinitum, in quod fertur, & ad cuius participationem homo conditus est, desiderium beatorum implet, terminat atque perficit. Beatitudo *obiectiva* significat rem, cuius adeptione reddimur beati, quæ non potest esse aliud quam ipse Deus. Beatitudo *formalis* ipsam rei fruitionem seu adeptionem significat, qua beati sumus. De *priore* sic loquuntur veteres. Irenæus lib. III. cap. 22. *Gloria hominis Deus est.* Augustinus passim repetit; *Ut anima carnis vita est, ita beata vita hominis Deus est.* De *posteriore* agunt, quoties in Dei visione ac fruitione beatitudinem constituunt. Prior vocatur etiam beatitudo *increata ac finalis*, posterior *creata & informans*. Quidam ex scholasticis addunt tertiam, videlicet *beatitudinem subiectivam*, quam dicunt esse naturam beatificabilem. Sed Bielis. lib. I. sent. dist. 1. quæst. 6. recte monet, *hanc impropriſſime dici beatitudinem, proprie autem vocari beatam, sicut subiectum albedinis non dicitur albedo, sed album.*

§. XXXV. II) Quid sit *beatorum cœlum*, de eo variant theologorum sententiæ. Quidam existimant, de eo in hac mortalitate & intellectus nondum glorificati infirmitate nihil certi a nobis definiri posse ac debere, cum beatorum gloria ita comparata sit, ut in nullius hominis cor adscenderit, cum cœli illius quidditas ac qualitas non sit in scripturis diserte & expresse definita, cum nostræ fragilitatis non sit cœlorum secreta discutere, cum præstat de possessione quam de exacta cognitione cœli esse solicitum &c. Horum εποχην & εχεμυθιαν cum pia modestia coniunctam non possumus improbare. Quidam cœlum beatorum dicunt *esse in Deo*, vel potius ipsum Deum, quia beati dicuntur *esse in manu Dei*, Luc. XXIII. 46. Sap. III. 1. quo referri posset illud Augustini in enarr. Psalm. 30. *Vilescat totum, quidquid praeter Deum est. Qui nos tuetur in loco vitae huius, ipse post istam vitam sit locus noster, sicut hoc ipso psalmo dicitur*: Esto mihi in Deum prote-

rectorem & in domum refugii. *Esto domus eius, & ipse erit domus tua, habitet in Deo, & tu habitabis in eo.* Itemque illud Bernhardi serm. de triplici habitac. *Beati, qui in Domo tua, in te Deo habitant. Hic in tabernaculis fiunt sancti, illic in atriis securi, in domo tua in te beati &c.* Quidam cœlum non nisi per cœlestem gloriam & sempiternam electorum beatitudinem ex clara Dei visione ortam definiendum esse censent. Et sane libenter concedimus, si nomen *cæli* accipiatur pro ipsa beatitudine, hoc est, pro ipso lætissimo & felicissimo beatorum statu, in qua significatione scriptura quandoque hac voce utitur, Matth. XVIII. 10. tum recte dici, quod cœlum beatorum sit ipse Deus, videlicet *efficienter, finaliter & obiective*, quia Deus beatitudinis illius est efficiens, finis atque obiectum, a qua illa unice & in solidum dependet; recte etiam dici, quod cœlum beatorum definiendum sit per cœlestem gloriam & sempiternam electorum lætitiam, videlicet formaliter ac principaliter, quia forma beatitudinis præcipue ac principaliter consistit in cœlesti gloria & lætitia, qua beati Deum videntes in æternum eo fruentur. Interim negari vix potest, si cœlum accipiatur *subiective*, quo modo in quibusdam scripturæ dictis accipitur, Matth. V. 12. VI. 20. Luc. VI. 23. XII. 33. 1. Petr. I. 4. &c. tunc nomine *cæli* intelligendum esse certum illud πτ, in quo beati Deum videbunt, & cœlesti illa gloria ac lætitia perfruentur, id quod iisdem fere argumentis demonstrari potest, quibus in præcedenti tractatu ostendimus, infernum esse certum illud πτ, in quo damnati pœnas æternas sustinent, videlicet 1) ab *adpellatione*. Scriptura vocabulis certum πτ significantibus cœlum describit. Ioh. XII. 26. *Ubi ego sum ibi etiam minister meus erit.* XVII. 24. *Volo, ut ibi ego sum, & illi sint mecum, quos dedisti mihi, ut videant claritatem meam.* XIV. 2. *In domo Patris mei mansiones multae.* 2 Cor. V. 1. *Habemus aedificationem ex Deo, domum non manufactam aeternam in cœlis.* 1 Petr. I. 4. *Haereditas piorum adservatur illis in cœlo &c.* 2) Ex *distinctione*. Scriptura illud πτ, in quod animæ piorum post mortem colliguntur, distinguit ab eo, in quod impiorum animæ transferuntur, ut in tractat. de morte §. 159. ostensum. Eadem scriptura πτ damnatorum, id est, domicilium illud, in quo velut in carcerem quemdam damnati compingentur, distinguit a πτ beatorum, id est, a sede æternæ beatitudinis, gloriæ ac ac lætitiæ, in qua electi post mortem recipiuntur. Luc. XVI. 26. 3) Ex *oppositione*. Scriptura sibi invicem directe opponit cœlum, tanquam summum & altissimum palatium, & infernum, tanquam imum & vilissimum carcerem καθημας, respectu nostri. 4) Ex *necessaria consecutione*. Corpora beatorum in resurrectione animabus redunita adeoque ipsimet beati aut erunt ubique, aut nullibi, aut in certo πτ. Sed nec primum nec secundum dici potest, manet ergo tertium. Confer tract. de inferno §. XXV.

§. XXXVI. Circa quam adsertionem notandum, 1) πτ illud beatorum in lata & generali significatione vocari posse *locum*, sicut & πτ damnatorum Luc. XVI. 28. *locus* adpellatur, non autem in stricta & specifica loci significatione, qua accipitur pro loco physico & corporeo. 2) Illius πτ *quidditatem, qualitatem, situm &c.* in huius vitæ infirmitate a nobis definiri non posse, an scilicet sit πτ creatum vel increatum,

corporeum vel spirituale, intra hunc mundum vel extra hunc mundum, quod ipsum etiam de πν damnatorum diximus. 3) Ac proinde merito a nobis repudiari temeritatem Calvinianorum, qui audacter definiunt, *cœlum beatorum esse certum aliquem locum proprie sic dictum, videlicet corporeum supra terram, supra nubes, supra cœlos adspectabiles constitutum, eumdemque amplissimum ac lucidissimum certis mansionibus distinctum, in quo beati cœlites localiter sedeant, ambulent & conversentur.* Quamvis enim ad hanc adsertionem stabiliendam proferant quædam scripturæ dicta, in quibus cœlum ita describi videtur; ad ea tamen promte responderi potest, *Christum & apostolos verbis huius seculi describere res futuri seculi*, sicut prophetæ verbis vet. test. describere solent res nov. test. quæ in scripturis per quamdam συγκαταβασιν dicuntur ανθρωποπαθως και ανθρωπινως, ea intelligenda esse θεοπρεπως και θεικως, verbis locum significantibus rei conditionem humilem vel sublimem aliquando exprimi, per corporalia & visibilia describi spiritualia & invisibilia, cum corporeis ac visibilibus adsueti sine eorum velamine spiritualia & invisibilia in hac vita cognoscere non possimus, qua de re infra in quæstione de loco vitæ æternæ plenius dicemus. Videatur Meisnerus part. I. sobr. phil. sect. 3. cap. 4. quæst. 4.

CAPVT IV.

DE CAVSA EFFICIENTE VITÆ ÆTERNÆ.

Causa efficiens vitae aeternae.

§. XXXVII. Succedit ergo *causa efficiens vitae aeternae.* Quemadmodum tres causæ iustificationis statuuntur, videlicet *gratia Dei*, quæ est causa efficiens principalis, *meritum Christi*, quod est causa efficiens meritoria; & *fides oblata in verbo evangelii beneficia Christi amplectens*, quæ est causa instrumentalis, ut in tract. de iustif. late demonstratum fuit; ita quoque eædem tres causæ glorificationis sive vitæ æternæ in scripturis statuuntur, *gratia Dei*, *meritum Christi & fides hominis credentis*, cuius αρμονιας fundamenta probe sunt notanda. 1) Apostolus Rom. IV. 5. & seqq. μακαρισμον seu *beatificationem* ac *iustificationem* arctissime coniungit, quando unam per alteram probat, nam iustificatio est inchoata beatificatio, Rom. VIII. 24. & beatificatio est completa iustificatio. 2) *Quos Deus iustificavit, hos & glorificavit*, Rom. VIII. 30. quæ glorificatio incipit in hac vita, 2 Cor. III. 18. consummatur autem in futura. Utitur autem apostolus verbis *praeteriti* temporis, tum propter immotam certitudinem, tum quia in Christo capite eos iamdum glorificavit, Eph. II. 6. Fulgentius lib. I. ad Monim. p. 23. *Dicens Paulus, quia quos Deus iustificavit, illos & glorificavit, non utrumque praesenti vitae deputat, sed ea fide, quod futurum est, velut factum firmat, qua fide propheta de Deo dicit: Qui facit, quae futura sunt.* Et pag. 24. *Quaecunque promisit, iam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus.* Bernhardus serm. de verb. Sap. V. *Regnum Dei conceditur in praedestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, percipitur in glorificatione.* 3) *Qui credit in Christum, is habet vitam aeternam*, Ioh. III. 36. nimirum, *quia vitam aeternam de-*

dedit nobis Deus, & haec vita in Filio eius est, 1. Ioh. V 11. ex quo promte sequitur, *qui habet Filium, habet vitam*, v. 12. Summus ergo vitæ æternæ thesaurus iamdum in hac vita est in piis, sed *absconditur*, in novissimo die sequetur revelatio, inde gloria vitæ æternæ dicitur μελλουσα αποκαλυφθηναι εις ημας, Rom. VIII. 18. ac vita nostra dicitur *abscondita cum Christo in Deo*, Col. III. 3. cum autem *Christus adparuerit vita nostra, tunc & nos cum ipso adparebimus in gloria*, v. 4. *Filii Dei sumus, sed nondum adparuit, quid futuri simus*, 1. Ioh. III. 2. 4) Deus ut essentia, ita quoque voluntate est invariabilis & immutabilis. Ergo non propter alias causas ab æterno eligit, & in tempore iustificat, quam propter quas homines glorificat & salvat. *Elegit nos in Christo ante iacta mundi fundamenta*, Ephes. I. 4. iustificat nos in Christo ac propter Christum fide adprehensum. Ergo etiam glorificabit in Christo & propter Christum fide adprehensum. Refero huc quædam ex form. concord. declarat. art. III. de iust. fidei pag. 694. *Reiiciendus est hic error, cum docetur, hominem alio modo seu per aliquid aliud salvari quam per id, quo coram Deo iustificatur, ita ut sine operibus per solam quidem fidem coram Deo iustificemur, sed tamen absque operibus salutem aeternam consequi impossibile sit. Hoc ideo falsum est, quia e diametro pugnat cum dicto Pauli Roman. 4.* Beatitudo hominis est, cui Deus iustitiam imputat sine operibus. *Et hoc est fundamentum Paulinae disputationis, quod eodem prorsus modo & iustitiam & salutem consequamur, imo quod eo ipso, cum fide iustificamur, simul etiam adoptionem in filios Dei & haereditatem vitae aeternae atque salutem adipiscamur, eamque ob causam Paulus particulas illas exclusivas, id est, eiusmodi voces, quibus opera & propria merita prorsus excludunlur, videlicet* ex gratia, sine operibus, *& similes, non minus constanter & graviter in articulo salutis quam in articulo iustificationis nostrae urget.* Similia occurrunt in declarat. art. IV. de bonis operibus p. 704.

§. XXXVIII. 1) *Causa ergo efficiens principalis* vitæ æternæ est *gratia Dei*, vel quod idem est, Deus gratis homines salvans, quod probatur 1) ex *manifestis scripturae dictis*. Luc. XII. 32. *Noli timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Rom. VI. 23. χαρισμα, *gratuitum Dei donum est vita aeterna.* Eph. II. 8. *Gratis salvati estis, donum Dei est.* 1 Tim. IV. 10. *Deus est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Tit. III. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Hebr. XI. 10. *Artifex & conditor caelestis civitatis est Deus.* 1 Ioh. V. 11. *Vitam aeternam dedit nobis Deus.* Apoc. XXI. 2. nova Hierosolyma *descendit de caelo a Deo parata.* 2) Ex *rationum momentis.* a) ab *electione.* A quo ad vitam æternam electi sumus, ab eodem etiam vitam æternam accipimus, quia finis electionis est vitæ æternæ donatio. Iam vero a Deo ad vitam æternam sumus electi. Ergo b) A *iustificatione.* Qui iustificat nos in hoc seculo, is vitam æternam dabit in futuro seculo. Sed solus Deus nos iustificat in hoc seculo. Ergo. Rationem *maioris* paulo superius exposuimus. c) Ex *resurrectione.* Qui pios ex morte resuscitat, ille etiam piis dat vitam æternam. Ratio est, quia pii *prodibunt ad resurrectionem vitae*, Ioh. V. 29. Solus Deus pios ex morte resuscitat. Ergo. d) Ex *vitae aeternae conditione.* Beatitudo vitæ æternæ consistit in summi boni communicatione ac fruitione. Iam ve-

1) Principalis causa est gratia Dei.

ro ſolus Deus eſt ſummum bonum, qui *ſolus reficit non deficit*, qui eſt fons omnis boni, & extra quem nullum eſt verum bonum. Auguſtinus lib. V. de civ. Dei cap. 1. in principio: *Conſtat omnium rerum optandarum plenitudinem eſſe felicitatem, quae non eſt dea, ſed donum Dei.* Lib. eiusdem cap. 11. *Dei purticipatione felices ſunt, quicunque ſunt veritate non vanitate felices.* Lib. VI. de civ. Dei cap. 12. *Qui non dat felicitatem, quomodo vitam dare poſſit aeternam? eam quippe vitam aeternam dicimus, ubi eſt ſine fine felicitas &c. Vitam igitur aeternam*, id eſt, *ſine ullo fine felicem ſolus ille dat, qui dat veram felicitatem.* Notanda autem circa hanc aſſertionem potiſſimum tria: 1) *excluſive* id eſſe intelligendum, quod Deus dicitur cauſa efficiens principalis vitæ æternæ, ſenſu ſcilicet eo, quod ſolus Deus & præter atque extra eum nullus alius ſit vitæ æternæ dator, id quod probant non modo argumenta proxime adlata, ſed etiam expreſſa ſcripturæ dicta, in quibus excluſiva diſerte additur: Eſai. XLIII. 11. *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt* מבלעדי, *praeter me & extra me Salvator.* Oſeæ XIII. 4. *Ego Dominus Deus tuus, non eſt Servator* אין בלתי, *abſque me.* Iacobi IV. 14. *Unus eſt, qui poteſt ſalvare & perdere.* Ut absque eo & extra eum non eſt alius Deus, Deut. XXXII. 39. 1 Reg. XIX. 19. Eſai. XLIII. 10. XLIV. 6. & 8. XLV. 5. 6. 14. ita quoque absque eo, extra & præter eum non eſt Salvator, ſicut hæc duo expreſſe coniunguntur Eſai. XLV. 21. *Numquid non ego Dominus, & non ultra Deus praeter me, iuſtus Deus & ſalvans non eſt praeter me.* Siquis obvertere velit, de ſalute & auxilio temporali ibi ſermonem eſſe, reſpondemus tum *per inficiationem*, negando quod de ſola temporali ſalute hæc accipiantur, tum per *inverſionem.* Si enim de ſalute temporali hoc recte dicitur, multo magis de æterna ſalute dici poterit. 2) Vocem *Dei* accipiendam eſſe ουσιωδως, *eſſentialiter*, ut tribus deitatis perſonis eſt communis. Nam vitam æternam dare eſt opus ad extra, ac proinde omnibus tribus perſonis commune. Deus inde atque ideo electis poteſt dare vitam æternam, quia eſſentialiter in ipſo eſt vita, vel potius, quia eſt ipſa vita. Unde ſcriptura ſacra Deo Patri, Filio & Spiritui ſancto æqualiter donationem vitæ æternæ adſignat. De Patre dicitur Ioh. V. 21. *Pater excitat mortuos, & vivificat*, non ſolum reſpectu vitæ naturalis, ſed etiam ſpiritualis & æternæ, nimirum quia *vitam habet in ſeipſo*, in ſua eſſentia, ut Syrus reddidit v. 26. Filius de ſe ipſo dicit Ioh. X. 28. *Ego vitam aeternam do eis.* XVII. 2. *Ut quotquot dediſti ei, det eis vitam aeternam.* Act. IV. 12. *Non eſt in alio quoquam ſalus &c.* Hebr. V. 9. *Factus eſt omnibus obedientibus ſibi cauſa ſalutis aeternae.* Apoc. I. 18. Chriſtus dicit, ſe *habere claves mortis & inferni*, ut poſſit ex utroque liberare, & ad utrumque damnare. III. 21. *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo.* De ſpiritu ſancto dicitur Rom. VIII. 11. *Si Spiritus eius, qui excitavit Ieſum a mortuis, habitat in vobis, is, qui excitavit Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem eius Spiritum in vobis.* 3) Per *gratiam Dei* hic intelligendam eſſe gratuitam ipſius miſericordiam dilectionem & favorem, quo credentes in Chriſtum complectitur, non autem donum ex gratia profectum ſeu habitum aliquem ſupernaturalem divinitus homini infuſum, propter quem homo Deo gratus & vita æterna dignus habeatur. Eadem enim eſt gratia Dei iuſtificantis & ſal-

salvantis. Iam vero gratia Dei iustificantis est gratuita ipsius misericordia, favor ac dilectio, ut in tract. de iustif. §. XVIII. & seqq. multis argumentis contra pontificios demonstravimus. Ergo. 4) Perinde esse, sive dicatur causam efficientem principalem vitæ æternæ esse Dei gratiam, sive causam efficientem principalem esse Deum, causam impulsivam internam προηγουμενην Dei gratiam & misericordiam, cum inde atque ideo Deus dicatur vitæ æternæ hominibus dandæ causa, quia gratia sua eos complectitur, cumque Deus diligens & Dei dilectio realiter sint unum.

Qua ratione Deo tribuatur electorum beatitudo.

§. XXXIX. Cæterum ut distinctius intelligatur, qua ratione causa efficiens vitæ æternæ statuatur *solus Deus* notandum est, electorum beatitudinem Deo tribui, 1) ratione *præparationis*. Matth. XXV. 34. *Venite, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*, videlicet a Deo, sic enim exponitur Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hebr. II. 16. *Deus paravit illis civitatem.* Quidam etiam hoc sensu accipiunt dictum Christi Matth. XX. 28. Marc. X. 40. *Sedere ad dextram meam & sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Ambrosius lib. VIII. de fide cap. III. Epiphanius hæres. LXIX. Cyrillus lib. X. thesauri cap. V. Isidorus Pelusiota lib. I epist. 137. p. 35. sed rectius per το *sedere ad dextram & sinistram* intelliguntur πρωτοκλισιαι & πρωτοκαθεδριαι in regno mundano, quas discipuli petierant, sed Christus ad eas distribuendas in mundum sese missum esse negat. Hæc vitæ æternæ præparatio nihil aliud est, quam eorum, quos Deus in Christum Mediatorem per efficacem Spiritus sancti operationem finaliter credituros ab æterno prævidit, ad vitam æternam prædestinatio. Deus primum hominem *ad suam imaginem*, ac proinde etiam ad beatam immortalitatem creaverat, Gen. I. 27. Sap. II. 23. inspiraverat illi *spiraculum vitæ*, Gen. II. 7. cuius beneficio non tantum animalem in Paradiso vitam ab omnibus malis & adversis immunis traduceret, sed etiam expleto animalis vitæ cursu sine ullo dolore ac interventu mortis in vitam cœlestem & æternam transferetur, cuius symbolum arrha & pignus erat *arbor vitæ*, in medio paradisi collocata, v. 9. Quoniam igitur omnes Adæ posteri, adeoque totum genus humanum in ipsius utpote parentis lumbis erat constitutum, ideo hoc sensu ac respectu omnes homines in Adamo ad imaginem Dei, ac proinde etiam ad vitam æternam recte dicuntur conditi, quod in tract. de elect. & reprob. §. CI. & CII. plenius confirmavimus. Hanc totius humani generis in Adamo ad beatam immortalitatem creationem si quis ad vitæ æternæ præparationem certa ratione referre velit, non erraverit; modo eamdem ab *electione* ad vitam æternam, quam scriptura proprie & specifice vocat præparationem regni cœlestis, adcurate distinguat, quippe cum isthæc totius humani generis in Adamo ad vitam æternam creatio, utpote universalis, non sit ipsa electio seu præparatio vitæ æternæ, prout scriptura eam definit, ea enim particularis est, nec in Adamo, sed in Christo facta, ut d. l. §. CCIII. pluribus demonstravimus. Quia enim Deo utpote omniscio ab omni æternitate constitit, primos homines in concreata integritate ac felicitate non

perſtituros, ſed a creatore per voluntariam apoſtaſiam ſuaſu infernalis ſerpentis ſeſe averſuros, ideo ex immenſa miſericordia ab æterno hoc decretum fecit, quod Filius Dei unigenitus in temporis plenitudine humanam naturam adſumere, inque ea paſſionem & mortem ſuſtinere, atque ea ratione humanum genus a peccato & æterna damnatione redimere, adeoque vitam æternam per lapſum amiſſam hominibus reſtituere debeat. Hæc beneficia paſſione & morte Chriſti parta in verbo evangelii Adamo & omnibus ipſius poſteris offerre decrevit, ac quotquot vera & uſque ad finem vitæ perſeverante fide ea fuerint amplexi, illos in filios ſuos recipere, & heredes vitæ æternæ facere decrevit, hoc eſt, in Chriſto ad vitam æternam eos elegit, atque hæc τῶν μελλοντων πιϛευειν in Chriſto electio eſt illa, de qua loquimur, *vitae aeternae praeparatio.* Typus illius præparationis nobis proponitur *in terra Canaan*, quam Deus Iſraëlitis *praeparaſſe* dicitur, quia ſcilicet eam ipſis dare decrevit, & abſque ullo eorum merito ipſos in eam introduxit; Exod. XXIII. 20. *Ecce mitto angelum meum coram te ad introducendum te in locum, quem paravi*; quo etiam referri poſſunt parabolæ de *parato prandio*, Matth. XXII. 4. & *cœna*, Luc. XIV. 17. de *paratis nuptiis*, Matth. XXII. 8. de *Hieroſolyma cœleſti parata ut ſponſa marito ſuo*, Apoc. XXI. 2. 2) Ratione *promiſſionis.* Deus non ſolum ab æterno paravit piis in Chriſtum credentibus vitam æternam, hoc eſt, fecit æternum electionis decretum ſed etiam in tempore hoc ſuum decretum hominibus in verbo evangelii manifeſtavit, ut per illud ipſum verbum accedente Spiritus ſancti efficacia veram in Chriſtum fidem conciperent. ac per fidem vitæ æternæ heredes fierent. Quando enim primis parentibus poſt lapſum proponit hanc promiſſionem: *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, Geneſ. III. 15. proponit ipſis & omnibus ipſorum poſteris promiſſionem vitæ æternæ, quod Filius Dei in arcano Trinitatis conſilio Mediator & reconciliator humani generis conſtitutus bona cœleſtia per lapſum amiſſa reparare, & ex regno diaboli & morte æterna genus humanum liberare velit, quam promiſſionem protoplaſti fide amplexi ſunt, eamque poſteris velut ſanctum divinæ revelationis depoſitum fideli manu tradiderunt, quorum plurimi eamdem vera fide itidem ſibi applicarunt, & hac ratione promiſſorum Meſſiæ beneficiorum participes facti æternam vitam, omnium promiſſionum complementum hereditarunt. Eamdem vitæ æternæ promiſſionem Chriſto iam exhibito Deus repetivit, ab involucris corporalium promiſſorum liberavit, magis magisque illuſtravit, & novis ſacramentis confirmavit. 1 Ioh. II. 25. *Haec eſt promiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam aeternam.* 3) Ratione *adquiſitionis.* Filius Dei non ſolum promiſſionem evangelicam de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis protoplaſtis manifeſtavit, eamque ſubinde in colloquiis cum patriarchis & ſanctis Dei hominibus repetivit ac magis magisque illuſtravit, ut λογος & interpres divinæ voluntatis, ſed etiam in plenitudine temporis a Patre in hunc mundum miſſus ex Spiritu ſancto conceptus veram humanam naturam in & ex Maria virgine adſumſit, & in adſumta illa natura redemtionis pretium perſolvens vitam amiſſam humano generi reparavit & adquiſivit, qua de re in cauſa meritoria vitæ æternæ plenius dicetur. 4) Ratione *adplicationis.* Deus non ſolum ab æter-

terno quosdam elegit ad vitam, per verbum evangelii promissionem vitæ æternæ protoplastis & ipsorum posteris proposuit, ac filio in carnem misso vitam amissam humano generi reparavit, sed etiam summum illum thesaurum credentibus in Christum adplicat triplici potissimum ratione. *Primo* enim in hac vita offert hominibus verbum evangelii & in eo Christi beneficia, inter quæ eminet vita ac salus æterna. Quotquot ergo fide oblata in evangelio bona amplectuntur, quotquot fide Christum recipiunt, illi in Christo accipiunt vitam æternam, 1. Ioh. V. 12. illis etiam datur Spiritus sanctus, qui est Spiritus υοθεσιας, ac proinde interno suo testimonio credentes confirmat & obsignat, quod sint *filii Dei & haeredes vitae aeternae*, Rom. VIII. 16. & 17. unde vocatur *arrha hereditatis nostrae*, Ephes. I. 14. *sigillum*, quo obsignamur in diem redemtionis, IV. 30. Idem Spiritus προγευσιν ac prægustum quemdam vitæ æternæ & cœlestis suavitatis incredentibus excitat, Hebr. VI. 4. & 5. Confer tract. de Spiritu sancto & 54. & adde pulcerrimam observationem piorum veterum, quod Spiritus sanctus non dicatur simpliciter pignus, sed *arrha sive arrhabo* salutis nostræ, quia reddita pecunia mutuo accepta restituitur pignus, arrha autem soluto integro pretio non redditur, cum sit *pars pretii*, *quod non est auferendum sed complendum*, ut ex Augustino adnotat Thomas in comm. Eph. 1. Quid quod arrhæ adpellatio etiam nos deducit ad considerationem spiritualis desponsationis, quæ animæ nostræ cum Christo intercedit. Per *Spiritum* sanctum enim confirmamur, quod Christus cœlestis noster sponsus ad nuptias in cœlo paratas certissime aliquando nos sit introducturus, Apoc. XIX. 7. XXI. 2. &c. *Secundo*, quando animæ piorum a corporibus separantur, Deus per angelos in sinum Abrahæ eas portari curat ac mandat, Luc. XVI. 22. in quo pace, gaudio & lætitia cœlesti perfruuntur Deum videntes, laudantes, glorificantes &c. ut in tractat. de morte §. CCXCVII. ostendimus. *Tertio*, in die novissimo excitabit Deus per Christum corpora piorum ad vitam æternam, Dan. XII. 2. Iohan. V. 29. hoc est, corpora animabus reduncta in plenam possessionem ac participationem æternæ vitæ introducet. Sic ergo *initium* æternæ felicitatis & cœlestis gaudii pii sentiunt in hac vita, *incrementum* ipsorum animæ accipiunt post mortem, *complementum* & plena possessio post resurrectionem demum sequetur. 5) Ratione *continuationis ac conservationis*. Quando pii in plenam vitæ æternæ possessionem post mortem semel sunt immissi, nunquam hac sua beatitudine iterum excident, sed ut Deus, quem a facie ad faciem vident, est æternus, ita quoque beatitudo ex visione summi illius boni orta in beatis erit æterna. Electi in cœlo erunt ισαγγελοι, Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. iam vero angeli sunt in bono confirmati, ut a concreata integritate & felicitate nunquam excidant. Ergo etiam beati homines in cœlo tales erunt. Apoc. III. 12. *Faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur.* Hæc æterna cœlestis gaudii & felicitatis in beatis continuatio ac conservatio unice a Deo dependet, inde beatitudo electorum sic describitur, quod *fluvius aquae vivae splendidus tanquam crystallus procedat de sede Dei & agni in medio plateae civitatis sanctae*, Apoc. XXII. 1. & 2. hoc est, ex fonte vitæ indeficientis, quæ est in Deo, profluat fluvius aquæ vivæ & indeficientis in perpetua viriditate & immarcescibili vigore cœlestem paradisum conservans,

quæ

qua de re in quæst. de æternitate cœlestium gaudiorum plenius dicetur.

Cœlum an sit locus aliquis corporeus creatus.

§. XL. Qui cœlum statuunt esse *locum corporeum creatum*, illi adderent, 6) vitam æternam Deo tribui ratione *creationis*, quia scilicet sedem ac locum, in quo beati vitæ æternæ gaudia percipient, Deus una cum aliis suis operibus in hexaemero creavit, quam sententiam huiusmodi ratiocinationibus confirmare nituntur: a) ex *adpellatione*. Vocatur *civitas*, Apoc. XXI. 2. *domus*, Ioh. XIV. 2. 2 Cor. V. 1. *tabernaculum*, Luc. XVI. 9. *paradisus*, Luc. XXIII. 43. *templum*, Apoc. III. 12. *locus*, Ioh. XIV. 2. &c. b) Ex *creationis descriptione*. Quidquid nomine *cæli* in scripturis significatur, illud totum esse a Deo creatum, ex eo intelligitur, quod primo die *cœlum & terram Deus condidisse* dicitur Gen. I. 1. c) Ex *apostolica adsertione* Hebr. XI. 10. *Exspectabat civitatem fundamenta habentem*, *cuius τεχνιτης και δημιουργος ο θεος*. 2 Cor. V. 1. *Habemus aedificationem ex Deo*, *domum non manufactam*. Huc referri etiam possent sequentia scripturæ dicta. Psal. XXXIII. 14. ממכון, *de praeparato habitaculo sessionis suae prospexit super habitatores terrae*. Prov. VIII. 27. בהכינו, *quando praeparabat cœlos*, *ibi ego*. d) Ex *sufficienti enumeratione*. Quidquid est, aut creator est aut creatura. Cœlum beatorum non est creator, quia scriptura inter creatorem Deum & sedem Dei ac beatorum sive cœlum distinguit. Sed hypothesis illa quod cœlum sit locus aliquis corporeus creatus, perquam dubia est & incerta, quod probamus 1) ex *scripturae silentio*. Moses in descriptione creationis non meminit alterius cuiusdam cœli, quam illius visibilis & adspectabilis, quod vocat רקע quod ex aquea materia productum, & in quo *luminaria magna* sol & luna cum stellis posita, Genes. I. 5. 2) Ex *loquendi modo*. Cœlum beatorum in scripturis vocatur *novum cœlum*, Esai. LXV. 17, LXVI. 22. 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. Atqui si iam olim in prima creatione est productum, quomodo erit cœlum novum? Regnum cœlorum in scripturis non dicitur creatum, sed *praeparatum*, Esai. LXIV. 4. Matth. XXV. 34 1 Cor. II. 9. per æternam scilicet piorum ad vitam prædestinationem. 3) Ex *ultimo mundi incendio*. Cœli, *qui nunc sunt*, *reservantur igni in diem iudicii*, 2 Petr. III. 7. proinde omnes cœli creati dissolventur, v. 11. ut succedat *novum cœlum*, v. 13. Iam vero beatorum cœlum non conflagrabit. 4) Ex *comparato*. Sicut ex eo, quod Deus dicitur *esse in cœlo*, *habitare in cœlo*, *descendere e cœlo &c.* inferri nequit, cœlum Dei esse locum aliquem corporeum creatum, quia Deus ab æterno fuit in cœlo, neque tamen quidquam creatum est ab æterno, ac cœlum illud definitur per *lucem inaccessam*, 1 Tim. VI. 16. per divinam scilicet gloriam ac maiestatem; sic ex eo, quod beati dicuntur *recipiendi in cœlum*, *futuri in cœlo &c.* inferri apodictice nequit, cœlum beatorum esse locum aliquem corporeum creatum, quia cœlum illud definitur per cœlestem felicitatem & gloriam, ac piorum animæ statuuntur *in manu Dei*, Sap. III. 1. *in sinu Abrahae*, Luc. XVI. 22. *sub altari in cœlo*, Apoc. VI. 9. per quæ & similia locum aliquem corporeum creatum intelligi, difficulter admodum probari poterit. 5) Ex *opposito*. Si cœlum esset locus corporeus creatus, etiam infernus corporeum aliquod domicilium creatum foret, quod certo demonstrari non

posse

posse, in tractat. de inferno §. XXXII. ostendimus. 6) Ex *loci corporei proprio.* Si cœlum esset locus aliquis corporeus, utique etiam esset longum, latum ac profundum quoddam spatium ac domicilium. 7) Ex *non necessario.* Beatorum corpora erunt spiritualia. Ergo non indigebunt loco aliquo corporeo, perinde ut & angeli eo non indigent. 8) Ex *adversae partis dissidio.* Qui enim cœlum beatorum statuunt locum creatum, illorum quidam *primo*, quidam vero *secundo* die illud creatum adserunt. Quidam volunt esse *corpus physicam materiale*, quidam vero *hyperphysicum & materiae expers.* Hæc & alia argumenta prohibent, quo minus firmiter & indubitato statuamus, cœlum esse locum aliquem corporeum, neque inest argumentis in contrarium adductis immotum aliquod robur. Nam a) adpellationes illæ sunt parabolicæ, metaphoricæ ac mysticæ, quibus non tam *locus* quam *status* beatorum describitur. b) Ubicunque cœli creatio ponitur, intelligitur visibile & adspectabile illud cœlum, cuius Moses in hexaemero mentionem facit. c) Sicut ipse civitas cœlestis non est substantia aliqua corporea, ita quoque structura eiusdem non est corporea, sed per civitatis illius creationem cœlestis gloriæ & felicitatis præparatio intelligitur. d) Cœlum beatorum, ut superius monuimus, tripliciter potest accipi, primo *obiective & efficienter*, secundo *formaliter*; tertio *subiective.* Si primo modo accipiatur cœlum beatorum, est ipse Deus creator. Si secundo modo, cœlum beatorum est aliquid a Deo distinctum, videlicet gloria ac lætitia cœlestis in ipsis sanctis, non tamen est substantia corporea in prima creatione a Deo producta. Si tertio modo, dicimus ea illius quidditatem, qualitatem ac situm in scripturis non esse nobis revelata, ideo præstat de eius *possessione* quam adcurata *definitione* in hac vita solicitum esse.

§. XLI. Ex eo, quod *causa efficiens principalis* vitæ æternæ sit gratia Dei salvantis, vel quod idem est Deus gratis salvans, προ-ρισματικως colligimus, *vitam aeternam non esse debitum operum nostrorum stipendium per merita propria ex condigno a nobis adquirendum, sed gratuitam misericordis Dei donum*, quam adsertionem contra pontificios meritorum propriorum patronos in tractat. de bon. operibus §. LXXXVII. & seqq. late confirmavimus. *Porisma ex causa efficiente principali deductum.*

1) Ex *perspicuis scripturae dictis.* Psal. CIII. 4. *Dominus coronat te misericordia & miserationibus.* Esai. LV. 1. *Sitientes venite ad aquas, emite absque argento & absque pretio.* Luc. XVII. 10. *Cum omnia feceritis: dicite: servi inutiles sumus.* Rom. VI. 23. χαρισμα, *donum Dei gratuitum est vita aeterna in Christo*, in quem locum sic commentatur Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. *Cum posset dicere & recte dicere, stipendium autem iustitiae vita aeterna, maluit dicere, gratia autem vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam aeternam, sed pro sua misericordia producere.* Theodoretus in eumdem loc. *Cum loquitur de vita aeterna, quae redditur iustitiae, non dixit eam esse mercedem sed gratiam, est enim donum Dei vita aeterna.* Cajetanus ibidem: *Non dicit, propter stipendia iustitiae vita aeterna, sed donum Dei vita aeterna, ut intelligamus non ex operum meritis, sed ex gratuito Dei dono adsequi nos pro fine vitam aeternam, propter quod subdit in Christo Domino nostro. Ecce meritum, ecce iustitiam, cuius stipendium est vita aeterna, nobis autem donum ratio-*

tione ipsius Christi. Rom. VIII. 18. *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam &c.* In quem locum sic commentatur Anshelmus: *Si quis poteretur omnes poenarum acerbitates, quae in tempore praesentis vitae sufferri possunt, non essent omnes illae passiones dignum meritum ad consecutionem futurae gloriae, quae ablato omni velamine revelabitur in nobis, quando percipiemus illud, quod oculus non vidit &c.* Eph. II. 8. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est*, v. 9. *non ex operibus, ne quis glorietur.* Phil. III. 8. *Existimo, omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei &c.* Tit. III. 5. *Non ex operibus, quae nos fecimus, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* v. 7. *Ut iustificati ipsius gratia efficeremur heredes secundum spem vitae aeternae.* Hisce dictis adde Luc. XII. 32. *Complacuit Patri dare vobis regnum coelorum.* 1 Tim. VI. 2. ubi credentes dicuntur τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, per quam *beneficentiam* utique gratuitam intelligitur vitae aeternae hereditas. 2 Tim. I. 18. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illo.* 1 Petr. III. 7. mulieres dicuntur συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς, *gratiae vitae*, id est vitae aeternae, quae ex gratuita misericordia credentibus in Christum datur. Iud. epist. v. 21. *Vosmetipsos in dilectione servate exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam.* Apoc. XXI. 6. *Sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis.* XXII. 17. *Qui vult, accipiat aquam vitae gratis.* 2) Ex *immotis argumentis*: a) ex *gratuita electione.* Electio ad vitam aeternam est ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam vita aeterna datur ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam vita aeterna datur ex gratia, non ex operibus. b) Ex *gratuita iustificatione.* Iustificatio est ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam glorificatio sive vita aeterna. c) Ex *terrae Canaan praefiguratione.* Terra Canaan coelestis hereditatis typus non propter operum merita, sed ex gratuita Dei benignitate Israelitis fuit data, Deut. IX. 4. Ergo & vita aeterna non ex operum meritis, sed gratuita Dei benignitate spiritualibus Israelitis datur. d) Ex *hereditatis adpellatione.* Vita aeterna datur credentibus, ut hereditas filiis, Rom. VIII. 17. Col. III. 24. Ergo non obtinetur ex operum meritis, cui argumento adde emphasin ex dicto Christi Marc. X. 15. Luc. XVIII. 17. *Quisquis non receperit regnum Dei ut parvulus; non introbit in illud.* Iam vero parvuli non iure mercedis, sed solo iure hereditatis vitam aeternam accipiunt fatentibus pontificiis. Ergo nisi quis solo iure hereditatis vitam aeternam accipiat ut parvulus, non intrabit in eam. e) Ex *necessaria peccatorum condonatione.* Quotidie peccamus & debita contrahimus, Matth. VI. 12. Ergo operibus nostris non meremur vitam aeternam. f) Ex *meriti conditione.* Meriti natura postulat, ut opus illud, quo meremur, sit nostrum, ut sit opus indebitum, ut sit utile atque commodum illi, cui praestatur, ut sit pretio & dignitate aequale illi, quod pro opere nostro redditur. Costerus in enchir. cap. 7. *Meritum est actio libera, cui merces debetur ex iustitia, cui innititur propter aequalitatem.* Becanus part. II. theol. schol. p. 491. *Rigor iustitiae requirit talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat liberalitas & gratia.* At haec conditiones non conveniunt nostris operibus. 7) Ex *negata nobis acceptorum beneficiorum compensatione.* Non possumus sufficientes Deo gratias referre pro beneficiis acceptis. Ergo non possumus nova beneficia & qui-

quidem longe maxima, quale est vita æterna, operibus nostris mereri. h) *Ex quadam a minori illatione.* Non possumus operibus nostris promereri panem quotidianum, sed a Deo eum emendicare cogimur. Ergo multo minus vitam æternam promereri poterimus. Petrus negat, se propria εὐσεβείᾳ claudum sanasse, Act. III. 13. ergo multo minus æternam felicitatem ac sanitatem propria εὐσεβείᾳ mereri potuit. Ezechias rex propter ostentatas opes terrenas reprehenditur, & Deum credamus ferre posse, ut spirituales operum divitias tanquam vitæ æternæ meritorias iactitemus? i) *Ex propria electorum testificatione.* Electi in die novissimo ad vitæ æternæ possessionem vocati, nolunt agnoscere opera sua, quasi propter eorum merita in vitam æternam intromittendi sint, vel gloria illius vitæ coronandi. Matth. XXV. 37. Apoc. IV. 10. k) *Ex absurdorum consecutione.* Si bona opera essent vitæ æternæ ex condigno meritoria, fiducia cordis in ea collocari atque intentione vitam æternam per ea promerendi fieri possent. Sed hoc adversatur scripturis. l) Ex *meriti Christi & nostrorum meritorum oppositione.* Stante merito Christi concidunt operum nostrorum merita &c. Horum argumentorum pleniorem confirmationem & ab exceptionibus adversariorum vindicationem vide tract. de bonis operibus. §. XCVI. & seqq. Addi etiam posset argumentum ex *nostri status ad primaevum comparatione.* Si in statu integritatis homo non potuisset vitam æternam ex merito obtinere, multo minus post lapsum illud fieri poterit. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Connexio* est in aprico. *Adsumtum* probatur: α) Quia obedientia primi hominis iam ante fuisset Deo utpote creatori debita. Ergo proprie & accurate loquendo non fuisset meritoria. β) Si homines in statu innocentiæ ex dono Dei accepissent vitam corporalem, multo magis ex dono Dei se vitam æternam accepturos confessi fuissent. γ) Nulla fuisset æqualis proportio obedientiæ hominis etiam perfectissimæ ad æternum cœlestis gloriæ pondus. δ) Lyranus in comm. Gen. II. 15. utitur tali argumento: *Dicitur homo positus a Deo in horto. Per hoc ostenditur, quod Adam fuerit formatus extra paradisum, ad ostendendum, quod ille locus ipsi debebatur non ex natura, sed ex gratia, sicut & immortalitas praedicta.* ε) Primus homo *conditus erat* a Deo ad beatam immortalitatem, Sap. II. 23. ergo non fuit opus, ut per propria merita eam demum adquireret. Idem iudicium esto de sanctis angelis, de quibus Augustinus lib. de fide ad Petrum cap. 23. *Hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiae divinae largitate collatum.* ζ) Ex *patrum dictis*, quæ longa serie enumeravimus §. CVI. *Magna est stultitia*, inquit theol. Germ. cap. 42. *quod homo aut creatura opinatur, se scire vel posse ipsam, & praesertim si opinatur, se scire aut posse aliquid bonum, quo plurimum mereri aut impetrare valeat apud Deum, Deo sit hac ratione contumelia iuxta eum, qui hac recte intelligit.* η) Ex *propriis adversariorum sententiis*, quas recensuimus §. CVII. quibus adde sequentes. Lyranus in expos. Tit. 3. *Salus aeterna excedit totaliter facultatem humanae naturae, propter quod non potest eam attingere, nisi ex largitate divinae misericordiae.* Brigitta in revelat. lib. I. cap. 53. Christum introducit conquerentem: *Homines per suam superbiam volunt adscendere in caelum, & non confidunt in me, sed in se, facientes*

voluntatem suam, & meam relinquentes Lib. IV. cap. 20. *Sunt quidam, qui meritis suis obtinere credunt cœlum, quibus Deus partit a diaboli tentationibus ex occulta dispensatione sua. Alii sunt, qui operibus suis satisfacere Deo putant pro excessibus suis, quorum omnium error omnino damnabile est, quia etiamsi quilibet homo centies corpus suum occideret, non posset Deo unum pro mille respondere.* Lib. VI. cap. 69. *Non in bonis operibus nostris debemus confidere, quae, quantumcunque magna sunt, quasi nulla reputare debemus, licet necessaria sint, sed cum humilitate sperare debemus in sola misericordia Dei.* Iohan. Ferus in exeg. epist. Rom. I. *Paulus negat, per opera nos mereri remissionem peccatorum, alioquin si operibus meremur, iam non est gratia, gratia excludit merita.* Rom. III. *Gratiae Dei detrahunt, & Christum abiiciunt, adeoque se ipsos perdunt, qui fiduciam in opera ponunt.* Rom. XVI. *Sola fide in Christum & nullis meritis nostris iustificamur.* Ludolphus Carthusianus in medit. vitae Christi prolog. col. 3. *Caveat prudenter fidelis peccator, ut nunquam in quocumque statu fuerit, confidentiam in meritis suis habeat, sed tanquam mendicus pauperculus omnino nudissimus ad eleemosynam dominicam mendicandam semper vacuus accedat, haec autem faciat non quasi ex humilitate ficta merita sua abscondens, sed certissime sciens, quod non iustificabitur in conspectu Dei omnis vivens.* Iacob. Sadoletus lib. I. comm. in epist. Rom. p. 11. *Spero immortalitatem consequi, quam Deus fidelibus suis proposuit, nec id tamen meritorum meorum fiducia, sed ipsius Dei clementia & bonitate adductus.* Frid. Nausea, episcopus Viennensis, cent. II. homil. 373. *A misericordia Dei nobis est, quidquid sumus & habemus, & quidquid agimus, est perinde atque signum gratitudinis.* Agend. eccles. Mogunt. anno 1551. edit. f. 71. *Non tua solum, carissime frater, sed omnium etiam hominum merita nimis exigua & tenuia sunt, quam ut fiduciam salutis homo in ea collocare possit.* Bellarminus ipse lib. II de poenit. cap. 12. *meritum ex condigno gratiae opponi*, recte adserit. Iam vero tota scriptura clamat, vitam aeternam dari ex gratia, quo Bellarminus negare nequit, nisi velit negare, solem lucere in meridie. Ergo agnoscat, bona opera non esse meritoria vitae aeternae ex condigno lib. II. de grat. & lib. arbit. cap. 13. scribit, *opera esse viam perveniendi ad gloriam.* Atqui per viam non ut per meritum, sed ut per medium sine quo non, terminus viae adquiritur, unde Bernhardus tract. de grat. & lib. arbitr. col. 1069. haec opponit. *Bona opera*, inquit, *sunt via regni, non causa regnandi.* Antithesin & argumenta contraria pontificiorum late exposuimus dicto tract. §. CVIII. & seqq.

§. XLII. II) *Causa meritoria vitae aeternae* hominum salvandorum respectu est perfecta obedientia Christi mediatoris, tam activa quam passiva, Deo patri in diebus carnis ab ipso praestita. *II) Causa meritoria vitae aeternae.* Antequam vero hanc adsertionem demonstremus, ad uberiorem eius declarationem notari iubemus: 1) *Causam efficientem principalem* non excludere *causam meritoriam*, hoc est, gratiam Dei non excludere meritum Christi, nec eidem etiam opponi. Sane inter Dei gratiam & nostra merita in articulo iustificationis & salvationis est perpetua oppositio. Si enim salvamur *gratis* per Dei gratiam; ergo non propter nostra merita. Sed inter Dei gratiam & Christi meritum non solum nulla oppositio, sed etiam necessa-

ria

ria connexio. Neque enim Dei salvantis gratia in hominibus ac circa homines locum habere potuisset, nisi iustitiæ divinæ per Christi meritum satisfactum fuisset, siquidem iustitia ac veritas divina requirebat, ut homo vel æternum periret, vel æquivalens pretium Deo creatori, quem offenderat, præstaret, quod cum in hominis viribus nullatenus esset, Christus partes illas satisfactionis coram Dei iudicio insere cepit. Confer, quæ de hac meriti Christi necessitate diximus tract. de iustif. §. XXXI. & XLIX. quæ opponenda sunt perpetuo illo Photinianorum coccysmo, quo gratiam Dei & meritum Christi ἰναντιως sibi invicem opponi garriunt. Catechismus Racov. p. 262. Ostorodus in instit. cap. 36. pag. 299. Schmalzius in exam. 157. errorum err. LXXX. p. 24. 2) Perinde esse, sive Christi obedientia dicatur *causa meritoria* nostræ salutis, sive *causa impulsiva* ac προηγουμενη, quæ *Deum* permoverit, ut credentes in Christum ab æterno ad salutem elegerit, eosque in tempore iustificet & salvet. Inde enim atque ideo Christi obedientia dicitur causa salutis nostræ meritoria, quia dignitate, merito ac perfectione sua impetrare potuit, ut Pater cœlestis nos in hoc dilecto suo Filio gratos ac acceptos haberet, ante iacta mundi fundamenta nos eligeret, Eph. I. 4. & in tempore propter ipsum nos iustificaret ac salvaret. Vicissim etiam inde atque ideo Christi obedientia est causa impulsiva, Deum ad salvandos nos movens, quia meritoria dignitas eidem inest. 3) Obedientiam & satisfactionem Christi hoc loco considerari, non ut est nudi hominis, sed ipsius Filii Dei satisfactio & obedientia, unde notanter scriptura dicit Actor. XX. 28. *Deus suo sanguine redemit ecclesiam.* 1 Ioh. I. 7. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* III. 8. *In hoc adparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli;* ut ostendat satisfactionem & obedientiam Christi inde atque ideo esse tantæ efficaciæ ac tanti coram Deo pretii, quia est ipsius Filii Dei satisfactio & obedientia. Confer tract. de Iustif. §. XXXII. Opponendum hoc est pontificiis, qui Christum secundum humanam tantum naturam nostrum mediatorem & causam salutis meritoriam esse disputant. 4) Christum duplici potissimum ratione esse nostrum Salvatorem, primo ελαστικως και καταλλακτικως, *meritorie*, quatenus sanctissimo & pretiosissimo suo merito salutem & vitam æternam nobis promeruit. Secundo ενεργητικως, *efficienter*, quatenus pretiosum istud bonum tam care adquisitum in verbo evangelii nobis offert, & post hanc vitam in cœlestia tabernacula nos recipit. Posterior modus cum Patre & Spiritu sancto ipsi communis est, prior vero proprius. Opponendum hoc Photinianis, qui concedunt quidem, Christum esse nostrum Salvatorem, primo *doctrina*, quatenus salutis æternæ viam in verbo evangelii nobis annunciavit. Secundo *exemplo*, quatenus viam illam in sua ipsius persona nobis commonstravit, & a mortuis resurgendo manifestissime confirmavit. Tertio *communicatione*, quatenus plenissima potestate in cœlo & terra a Patre accepta se vitam æternam nobis daturum promisit, & reipsa tandem largiturus est. Negant vero, Christum esse Salvatorem *satisfactione*, qua mediante passione & morte peccata nostra expiarit, iram Dei placaverit, nosque cum illo reconciliaverit, & *eadem cum Patre efficientia*, qua αυτεξουσιως & κυριακως salutem nobis conferat. 5.) Ad causam meritoriam salutis nostræ pertinere totam Christi obedientiam, tam *activam*, quam *passivam*, hoc est, non solum ipsius pas-

sionem & mortem, sed etiam perfectam impletionem, quam legi divinæ nostri loci præstitit. Opponendum hoc Piscatori Herbomensi & ipsius adseclis, qui obedientiam Christi activam a causa meritoria nostræ salutis excludunt. Vide tract. de iustificat. LVII. & seqq. 6) Respectu hominum salvandorum obedientiam Christi statui meritoriam æternæ salutis causam. Angelorum enim dispar est ratio, qui cum in peccatum non fuerint lapsi, ideo tali redemtore non indigebant, unde Filius Dei *non Angelos, sed semen Abrahae adsumsit*, Hebr. II. 16. ac apostolus emphatice dicit 1 Tim. II. 5. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, quo dicitur: quorum naturam Filius Dei adsumsit, eorum etiam Mediator est. Iam vero non angelicam sed humanam naturam adsumsit. Opponendum hoc quibusdam pontificiis & Calvinianis, qui Christum etiam angelorum respectu causam vitæ æternæ meritoriam ατεγγραφων statuunt. Otto Brunfelsius in pand. evangel. *Christi crux non solum hominibus sed etiam angelis profuit, & omnis creatura cruce Domini purgata est.* Philippus Dietz tom. II. concion. p. 201. *Angeli boni per Christi redemti sunt, qui eos a lapsu praeservavit.* Gregorius de Valent. tom. II. lib. de Christo p. 164. *Christus etiam angelis gratiam & beatitudinem cœlestem promeruit.* Blasius de Viega in comm. Apocal. I. p. 24. *Christus ut homo est caput angelorum, gratiamque & gloriam illis promeruit, quae ipsis data sunt propter praevisa eius merita;* quibus merito opponitur Ruardus Tapperus, decanus Lovaniensis, contrarium statuens tom. II. artic. 8. p. 5. col. b. Ex Calvinianis Guil. Bucanus loc. VI. q. 30. *Angelos*, adserit, *habuisse opus mediatore non quidem redemtionis a peccato, sed conservationis in bono & gratia*, & ανακεφαλαιωσεως, *recapitulationis, ut videlicet rursum unirentur cum electis sub uno eodemque capite Christo, ut sine ullo in posterum lapsus periculo & inseparabiliter Deo adhaererent, adeoque ut illorum iustitia & integritas, quae coram Deo manca est, tegeretur coram Deo perfecta & infinita illa iustitia Christi &c.* Idem statuit Calvinus in comm. Eph. I. & Coloss. I. 7) Christi obedientiam non suiipsius sed hominum salvandorum duntaxat respectu causam vitæ æternæ meritoriam statui. Christus enim ratione suiipsius nullo indigebat merito, quia in ipsa unione secundum humanam naturam adsumtam angelis longe præstantius nomen est sortitus & super omnes creaturas evectus. In exaltatione, quæ est consequens & velut præmium quoddam exinanitionis, non est Christo data nova plane potestas & gloria, quam per unionem personalem antea non habuerit, sed collata plena facultas administrandi regni, & radios divinæ maiestatis per carnem plena luce exserendi. Quidquid igitur Christus meruit, non sibi, sed nobis meruit, *nobis enim natus, nobis datus est*, Esai. IX. 6. *nobis factus est redemtio.* 1 Cor. I. 30. &c. Opponendum hoc *tum* pontificiis, qui putant, *Christum non solum nobis gratiam & gloriam, sed etiam sibi corporis gloriam & nominis exaltationem promeruisse*, Lombardus lib. III. sent. dist. 18. Thomas part. III. q 49. art. 6. Bellarminus lib. V. de Christo cap. 9. *tum* Calvinianis, inter quos Bullingerus serm. XXVII. in Apoc. Zanchius passim, Piscator in Philipp. II. pag. 173. Vorstius in anti Bellarm. pag. 55. 56. &c. idem cum Pontificiis statuunt. Ravenspergerus in pentad. quinr. Centur. & iudic. de illustr. theol. quæstionibus quæst. II. sic scribit: *Duo sunt, quae Chri-*

Christum sibi promeruisse statuimus, videlicet vita aeterna & summo illa ac singularis gloria, qua pro Filio Dei ab omnibus creaturis rationalibus agnoscitur, ac proinde ut verus Deus adoratur, quarum illam sibi meruit observatione legis, hanc vero per multas ac varias passiones atque inprimis per mortem crucis. Quibus merito opponitur Calvinus ipsorum daduchus contrarium propugnans lib. II. instit. cap. 17. §. 6. De reliquis circa causam salutis nostræ meritoriam corruptelis pontificiis egimus dicto tract. de iustif. §. LIV.

§. XLIII. Hisce præmissis demonstramus, obedientiam Christi esse causam salutis nostræ meritoriam, & quidem unicam ex *manifestis scripturae dictis.* Ioh. III. 13. *Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*; id est, nemo hominum propria virtute, merito & dignitate adscendit in cœlum, sed quotquot in cœlum adscendere volunt, illos oportet per fidem fieri unum cum Christo atque ipsius gratia, merito & virtute adscendere, quæ explicatio traditur v. 15. 16. 36. &c. Iohan. XIV. 2. *In domo Patris mei mansiones multae sunt, si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Non poteramus nostris viribus aut meritis ad æternam beatitudinem adspirare, sed Christus sua passione & morte, quam passim vocat *abitum ad Patrem*, paravit nobis locum, per suum in terris exilium paravit nobis æternum in cœlis domicilium. Per passionem & adscensionem *intravit in gloriam suam*, Luc. XXIV. 26. ut in cœlesti gloria etiam nobis locum parare posset. Per peccatum obstructa nobis erat in cœlum via, cuius typus proponitur Gen. III. 24. ubi cherubim flammante gladio ab ingressu paradisi homines arcent, sed Christo *nota facta est via ad vitam*, Psalm. XVI. 11. ipse iterum aperuit nobis viam, & paravit nobis in cœlum locum, unde converso latroni dicit, Luc. XXIII. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Paratæ quidem sunt mansiones illæ cœlestes credentibus æterna prædestinatione; interim parandæ adhuc erant per Christi passionem, mortem, resurrectionem & adscensionem, quia non nisi in Christo & propter Christum ac credentibus in Christum regnum illud est paratum, Christi meritum est unica causa, propter quam mansiones illas credentibus Deus paravit, unde dicitur *electi ad vitam in Christo*, Eph. I. 6. Act. IV. 12. *Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.* Rom. VI. 23. Vita æterna est *gratuitum Dei donum in Christo*, qui sanctissima sua obedientia & satisfactione nobis illud promeruit. 1 Thess. V. 9. *Non posuit nos Deus ad iram, sed in adquisitionem salutis per Iesum Christum Dominum nostrum.* 2 Timoth. II. 10. *Ut & ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Iesu.* Heb. V. 9. *Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis aeternae.* 1 Ioh. V. 11. *Vitam aeternam dedit nobis Deus, & haec vita est in Filio eius.* Apoc. I. 18. dicit Christus, *habeo claves mortis & inferni*, tanquam eius victor. Huc pertinent omnia scripturæ dicta, 1) in quibus Christus dicitur noster *Salvator ac Iesus*, Matth. I. 21. Luc. II. 11. Ioh. IV. 42. &c. est enim noster Salvator non solum ratione *efficientiae & adplicationis*, sed etiam ratione *meriti & adquisitionis.* 2) In quibus dicitur noster *Redemtor*, Psalm. CXI. 9. Luc. I. 68. &c. quia scilicet redemit nos ex inferno & morte æterna, Ose. XIII. 14. 3) In quibus vocatur noster *Mediator*, 1 Tim. II. 5. Heb. VIII. 6. &c. quia ad officium Me-

Mediationis pertinet, bona per lapsum, Adami amissa reparare. 4) In quibus dicitur *propitiatio* pro peccatis nostris, 1 Ioh. II. 2. ac Deo Patri nos *reconciliasse* 2 Cor. V. 19. quia sublata ira divina tollitur mors æterna, & vita amissa restituitur. Rom. V. 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* 5) In quibus dicitur *factus pro nobis peccatum & maledictum*, 2 Cor. V. 21. Gal. III. 13. quia sublato peccato & maledictione legis tollitur æterna damnatio, & cœlestis benedictio restituitur. 6) In quibus nos dicitur liberasse a *peccato*, Heb. IX. 14. a *maledictione legis*, Gal. III. 21. *ab ira Dei*, 1 Thessal. I. 10. ab *æterna damnatione*, V. 10. contra vero *adduxisse perfectam iustitiam*, Dan. IX. 24. ex his enim omnibus sequitur, Christum vitam æternam nobis promeruisse. 7) In quibus credentibus in Christum promittitur salus & vita æterna, quæ postmodum enumerabimus, illud enim inde atque ideo fit, quia Christus pretio suo sanguine ac morte vitam æternam nobis promeruit. Sed in re manifesta pluribus opus non est. Confer ea, quæ Photinianis opposuimus in tract. de iustif. §. XXXVII. & seqq.

Porisma ex causa meritoria vitae aeternae deductum.

§. XLIV. Porisma huius adsertionis esto, quod nec a beata genetrice semper virgine, nec ab ullo sanctorum vel meritum vel donatio vitæ æterna sit quærenda, petenda, exspectanda &c. Manifestæ enim sunt exclusivæ, quibus Spiritus sanctus utitur. Iohan. XIV. 6. inquit Christus: *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Act. IV. 12. *Non est in alio salus, nec aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.* 1 Cor. III. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere potest.* Huc referendum illud propheticum Esai. LXIII. 3. *torcular calcavi solus*, μονωτατ⊙. Consideretur etiam immediata ratio ac fundamentum, quare Christi obedientia sit meritoria vitæ æternæ causa, quod unice in eo residet, quod Christus in personæ unitate sit verus Deus & verus homo; inde enim atque ideo Christus *carnem suam dare potuit pro mundi vita*, quia est *verbi* omnia vivificare valentis *propria caro*, Ioh. VI. 51. inde atque ideo potest Christus ovibus suis *dare vitam aeternam*, quia *animam suam pro ovibus suis posuit*, & quia *est cum Patre unum*, Iohan. X. 15. 28. & 30. inde Christus est *Mediator Dei & hominum*, quia *dedit semetipsum pretium redemtionis pro omnibus*, 1 Tim. II. 5. & 6. inde autem atque ideo animam suam potuit dare in pretium redemtionis pro omnibus, quia ut verus & unus cum Patre Deus *potestatem habuit ponendi animam suam, & eam iterum sumendi*, Ioh. X. 18. Opponenda hæc sunt pontificiis, qui *fontem aquae vivae derelinquunt ac fodiunt sibi cisternas, cisternas fractas, quae non continent aquas*, Ierem. 2. 13. dum Mariæ Θεοτοκω ac meritum ac donationem salutis æternæ adscribunt. Brigitta in lib. I. revelat. cap. 3. *Ego Filius Dei bene dicere possum, quod mater mea & ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipsa cordis dolore & amore.* Iohannes David in pancarpio Mariano pag. 188. *O Maria mater & virgo, tu nobis scala Iacob vera per illam in somnis visam figurata &c. per te Christus voluit nos ad se in cœlum adscendere.* p. 194. *Die nobis Maria, o porta, o via! Die nobis de fructu ventris tui iucundum auditu elogium: Per me si quis introierit, salvabitur. Quis ergo hic loquitur? Christus. Non & Maria? quidni? quisquis per hoc ostium intrat,*

trat, per Mariam intrat, per quam Christum accepimus & habemus. Maria tu porta & portaria &c. In rosariis suis sic orant: *O gloriosa virgo Maria, libera nos ab omni malo & a pœnis inferni.* In breviario Romano ipsam vocant *arborem vitae, fenestram cœli, portam paradisi.* Martinus Del Rio in opere Mariano p. 863. *Maria est vita viventium, quos arcet a morte, & mors mortuorum, quos ab orco ad vitam reducit.* Osorius tom. IV. conc. p. 530. *Christus in Calvaria carnem; Maria immolabat animam.* Tom. V. p. 139. *Maria est mulier illa excellentissima, quae contrivit caput serpentis.* Salmeronius tom. X. tract. 41. *Maria stetit sub cruce, ut esset adiutrix liberationis & corredemtrix, quemadmodum Eva una cum Adamo malum invexit.* Plura huiusmodi φορτικα ex pontificiis scriptoribus adduximus tract. de justif. §. 54. n. 5. quibus opponimus illud Cypriani de idolorum vanit. sect. 8. *Christus Dei Filius hominibus ad vitam datus creditur &c. hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem &c.* Augustinus in enarr. Psalm XXXI. *Si speras vitam aeternam a Domino per alium quam per Christum, per quem solum datur vita aeterna, impius es.* Epist. CV. ad Sixtum: *Gratia Dei vita aeterna. Et haec, ne praeter Mediatorem aliqua alia vita quaereretur, adiecit: In Christo Iesu Domino nostro.* Itemque illud Arnobii lib. II. adv. gent. p. 110. *Vnius pontificis Christi est, dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere &c.* Pag. seq. *A nullo animae possunt vim vitae atque incolumitatis accipere, nisi ab eo, quem rex summus huic muneri officioque praefecit. Hanc omnipotens imperator esse voluit salutis viam, hanc vitae, ut ita dixerim, ianuam. Per hunc solum ingressus est ad lucem, neque alias datum est vel irrepere vel invadere, caeteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis &c.* Notandum tamen particulam exclusivam opponi duntaxat illis, quae in hoc genere causae meritoriae a maleferiatis hominibus merito Christi coniunguntur, qualia sunt *merita sanctorum & merita cuiusque propria;* nequaquam vero illis, quae in alio genere causae adduntur, quia per meritum Christi non excluditur gratia Dei, quae pertinet ad ordinem causae efficientis principalis, non excluditur verbum evangelii, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 16. quod quisquis salutariter praedicat, *seipsum salvat, & eos, qui ipsum audiunt*, 1 Tim. IV. 16. nec sacramenta, quae sunt efficacia salutis media atque organa, Tit. III. 5. nec fides, quae in Christo adprehendit vitam aeternam, Ioh. XX. 31. 1 Ioh. V. 12. & 13. haec enim omnia pertinent ad ordinem causae instrumentalis, ex parte quidem Dei instrumenta sunt verbum & sacramenta, ex parte autem nostra perseverans in Christum fides.

§. XLV. III) *Tertiam* proinde *salutis causam* statuimus fidem in Christum, quod confirmamus 1) ex *dictis scripturae.* Psalm II. 12. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Habac. II. 4. *Iustus ex fide sua vivet*, ea scilicet vita, quae peccato & morti aeternae opponitur, ut colligitur ex vers. seq. quae perpetuo durat, ut adparet ex verbo Ζησεται futuri temporis, quae complectitur benedictionem & salutem aeternam, ut ex nov. test. explicatione probatur, Rom. I. 17. Galat. III. 11. Heb. X. 38. Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ioh. III. 15. & 16. *Ut omnis, qui credit in Filium,*

III) Causa instrumentalis salutis.

Filium, non pereat, sed habeat vitam aeternam. v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* V. 24. *Qui credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in iudicium non venit &c.* VI. 40. *Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris mei, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.* v. 47. *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* XI. 25. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* XX. 31. *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Act. XVI. 31. *Crede in Dominum Iesum Christum, & salvus eris tu ac domus tua.* Heb. IV. 3. *Ingrediemur requiem, qui credidimus.* 1 Petr. I. 5. *In virtute Dei custodimini per fidem in salutem.* v. 9. *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum.* 1 Ioh. V. 13. *Haec scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam aeternam habetis, qui creditis in nomine Filii Dei.* Huc pertinent dicta scripturae, a) in quibus fides dicitur nos facere *Dei filios*, Ioh. I. 12. Gal. III. 26. &c. qui enim sunt *filii Dei*, illi etiam sunt *haeredes vitae aeternae*, Rom. VIII. 17. b) In quibus per fidem dicimur *iustificari*, Genes. XV. 6. Rom. III. 28. Gal. II. 16. &c. quia iustificatio & salvatio ἀδιαιρέτως invicem cohaerent, Rom. IV. 5. 6. 5) In quibus fide dicimur *accipere Spiritum sanctum*, Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. hic enim Spiritus est *arrha salutis nostrae*, 2 Cor. I. 22. &c. d) In quibus per fidem dicimur *benedictionem consequi*, Gal. III. 9. quia benedictio illa includit bona caelestia & ipsam vitam aeternam. e) In quibus per fidem dicimur *accipere peccatorum remissionem*, Matth. IX. 2. Act. X. 43. ubi enim peccatorum remissio, ibi salus & vita. f) In quibus fide dicimur *Christo uniri, & Christus per fidem in cordibus nostris habitare* dicitur, Eph. III. 17. ubi enim gratiosa Christi inhabitatio, ibi vita aeterna. 2) Ex *fidei natura & proprietate.* Fides est unicum illud medium, quo beneficia Christi in verbo evangelii nobis oblata amplecti, nobisque adplicare possumus; est salutaris ille canalis, per quem fluenta divinae gratiae ad nos descendunt; est situla illa, per quam ex fonte vitae vitam & salutem haurimus. Quemadmodum igitur gratia Dei excludit reliqua omnia, quae in ordine causae efficientis principalis nos salvare dicuntur, ac quemadmodum meritum Christi excludit reliqua omnia, quae in ordine causae meritoriae nos salvare dicuntur; ita quoque fides excludit reliqua omnia, quae in ordine causae instrumentalis ex parte nostra nos salvare dicuntur. Vitam aeternam per lapsum protoplastorum amissam Deus nobis offert in Filio suo, qui ergo *habet Filium, habet vitam*, 1 Ioh. V. 12. atqui Filium nemo habet, nisi qui vera fide eum amplectitur. Ergo etiam vitam nemo habet, nisi qui fide in Christum eam accipit. 3) Ex *typis.* Ab ictibus ignitorum serpentum Israelitae non aliter liberabantur, & in vivis servabantur, quam per intuitum serpentis aenei a Mose exaltati, Num. XXI. 9. sic Christus in cruce exaltatus est, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*, Ioh. III. 15. Cibabantur Israelitae in deserto per manna coelitus deplutum, ut in vivis servarentur; sic Christus est *panis ille, qui de coelo descendit, ut det vitam mundo, qui manducaverit ex hoc pane* per fidem, *vivet in aeternum*, Ioh. VI. 32. & seqq. Qui corporalia beneficia a Christo petebant, iubebantur credere, & quidem *tantum credere*, Marc. V. 36. sic beneficia spiritualia, inter quae eminet promissio de vita aeterna, sola in Christum fide impetran-

petrantur, quo pertinet totum caput XI. epist. ad Hæb. Terram Canaan Iosua & Caleb fide ingrediebantur, incredulis ab ea penitus exclusis; sic cœlestis æternæ vitæ hereditas fide accipitur &c. De hac fidei natura & efficientia sic loquuntur pii veteres: Iustinus in epist. ad Diog. p. 385. Μονη τη πιστει θεον ιδειν συγκεχωρηται. Irenæus lib. IV. adv. hæres. cap. 5. p. 236. *Non aliter salvantur homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra &c.* Cyprianus libr. testim. adv. Iud. *Fide stare iustitiam, & illic esse vitam, praedictum est apud Habacuc: Iustus ex fide vivit.* Ambrosius lib. de pœnit. cap. 10. *Qui fidem habet, habet vitam aeternam, qui vitam habet, non est exclusus a venia. Omnis, inquit, qui credit, non peribit.* In comm. Rom. IX. *Sola fides posita est ad salutem.* In 1 Cor. I. *Hoc constitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Cyrillus Alexandrinus lib. IV. in Ioh. IX. *Ianua & via ad vitam fides est, & recessus quidam atque reductio a corruptione ad immortalitatem.* Augustinus de spir. & lit. c. 32. *Haec est fides, ex qua iustus vivit &c. haec est fides, qua salvi fiunt, quibus dicitur: gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis.* Libr. I. ad Bonifacium cap. 21. *Quantalibet virtute fuisse antiquos praeditos praedices, non eos salvos fecit nisi fides Salvatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Chrysostomus homil. IV. in 1 Tim. I. *Incredibile videbatur esse, siquidem homo, qui omnem priorem vitam frustra atque inaniter consumsisset, duxisetque per mala opera, postmodum ex fide sola salvandus diceretur, ideo addit, fidelis sermo.* Fulgentius lib. I. de prædestin. ad Monim. *Attendamus etiam vitam aeternam regnumque cœlorum divinitus fidelibus praeparatum.* Marius Victorinus lib. I. adversus Arian. *Credere in Deum & Filium eius, vitam aeternam est habere.* Libr. IV. *Vita vera Christus est, & credentibus in se dat vitam aeternam, & adest apud Deum credentibus in se, quod sit Dei Filius, idque per fidem.* Oecumenius in Rom. III. *Gratis, hoc est, absque tuis rectis operibus salvaris &c. ita ut nihil conferas aliud praeter fidem.* Alcuinus libr. I. de Trinit. *Conflat, neminem ad veram pervenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem placere posse, nisi per fidem.* Smaragdus in Rom. VIII. *Secundum quod proposuit non ex operibus legis, nec legalibus sacrificiis, sed sola fide & sanguinis sui effusione salvare nos praestierat, multo magis glorificat operantes.* Confer tract. de iustif. §. CLIX. ubi plura huius generis dicta ex veteribus enumeravimus, in quibus soli fidei in Christum iustitiam & vitam æternam adscribunt. Refero huc insigne dictum Lutheri in comment. Genes. XLVIII. *Tanta vis est fidei, quae nos vivos facit ex mortuis. Ac sane ea ipsa hora, qua incipimus credere & adprehendere verbum, etiam vivere incipimus vita aeterna, quia verbum Domini manet in aeternum, & Deus, qui loquitur nobiscum, aeternus est, & nobiscum erit perpetuo.*

§. XLVI. Notandum hoc loco, 1) dicta scripturæ, in quibus credentes in Christum dicuntur beati ac heredes vitæ æternæ, distinguenda esse ab illis scripturæ dictis, in quibus beati dicuntur, qui iustitiam faciunt, miserentur pauperis, persecutionem sustinent. In illis enim beatitudinis & salutis *causa*, in his vero salvandorum *qualitas* describitur, ut in tract. de iustif. plenius docuimus.

cuimus. 2) Fidem ſalvare non *meritorie*, ſed *inſtrumentaliter*, quia ſcilicet Chriſtum & in Chriſto vitam æternam adprehendit, non quia tanti apud Deum meriti ſit, ut propter eam Deus homines ſalvet. 3) Fidem hic intelligi *veram*, *vivam*, *efficacem*, quæ per dilectionem & bona opera ſeſe exſerit; non autem inanem fidei perſuaſionem, falſam de fide gloriationem & inanime fidei cadaver. 4) Sicut absque Chriſto nemini poſt lapſum contingit ſalus, ita quoque absque fide Chriſtum adprehendente neminem ſalvari poſſe, quod opponendum illis, qui ſanioribus gentilibus fide in Chriſtum deſtitutis ſalutem adſcribunt, ac qui infantes baptizatos credere negant, eosdem tamen ſalvari concedunt. 5) In ordine cauſæ inſtrumentalis fidem non opponi verbo evangelii & ſacramentis, ſed potius correlate ad eadem referri. Nam in verbo evangelii offert nobis Deus inæſtimabilem illum ſalutis theſaurum, ac per illud ipſum verbum evangelii accedente Spiritus ſancti operatione fidem in cordibus noſtris operatur, quam per uſum ſacramentorum auget, confirmat & obſignat, quæ omnia in negotio ſalutis noſtræ amiciſſime conſpirant. 6) Fidem hic intelligi *perſeverantem*, in qua & cum qua homo ex hac vita diſcedit. Qui enim fidem ex verbo evangelii per Spiritus ſancti operationem conceptam amittit, is gratia Dei & ſpe vitæ æternæ iterum excidit, ut in tract. de bon. operibus. §. CXXXIV. & ſeqq. multis oſtendimus.

Poriſma ex cauſa inſtrumentali deductum.

§. XLVII. **Poriſma huius adſertionis eſto, quod *vere credentibus in Chriſtum non ſit de vita aeterna dubitandum*. Probamus hoc 1) a *divinae promiſſionis firmitate*.** 1 Ioh. II. 25. *Haec eſt promiſſio, quam pollicitus eſt nobis, vita aeterna.* Iam vero, qui hoc promiſit, fidelis eſt ac verax. Ergo promiſſioni huic fide immota inſiſtere poſſumus. 2) A *iuramenti divini ſtabilitate*. Ezech. XXXIII. 11. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*, æterna ſcilicet ac beata in cœlis vita, quia de tali vita agitur, quæ ſolis converſis competit: Ioh. V. 24. *Amen Amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam aeternam &c.* VIII. 51. *Amen Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in aeternum*; liber erit a morte æterna, ac proinde æternæ ſalutis particeps. Atqui hoc iuramentum divinum promiſſionem immota ratione confirmat, & firmum fidei fulcrum ſuppeditat, Heb. VI. 17. 3) A *ſacramentorum utilitate*. De baptiſmo dicitur Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ioh. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.* Ergo a contrario ſenſu, qui per baptiſmum renatus fuerit, intrabit in regnum cœlorum. Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.* 1 Petr. III. 21. *Baptiſma nos ſalvat.* In ſacra cœna cibamur corpore & ſanguine Chriſti, ut certi reddamur, ad nos pertinere beneficia, quæ Chriſtus traditione ſui corporis & effuſione ſui ſanguinis nobis promeruit, quæ ſunt peccatorum remiſſio, iuſtitia & vita æterna. Confer tract. de euchar. § CCXII. 4) Ex *Spiritus ſancti in cordibus teſtificantis veritate. Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei, ſi autem filii utique & heredes*, Rom. VIII. 16. *Spiritus eſt arrhabo hereditatis noſtrae*, Eph. I. 14. *quo ſignati ſumus usque in diem redemtionis*,

IV.

IV. 30. 5) Ab *exauditionis promissae infallibilitate.* Petimus in oratione dominica: *adveniat regnum tuum*; iam vero quidquid in nomine Christi secundum Dei voluntatem petimus, dabitur nobis, Matth. XXVIII. 19. Iohan. XVI. 23. &c. 6) A *verae fidei proprietate.* Fides apprehendit Christum, & in Christo vitam æternam, *quia Deus dedit nobis vitam, & haec vita est in eius Filio, qui Filium habet, is vitam habet.* 1 Ioh. V. 11. *Scio,* inquit Iobus XIX. 26. *quod visurus sim Deum. Certus sum,* ait apostolus Rom. VIII. 38. *quod nec mors, nec vita nec futura nec praesentia &c. separare nos possint a dilectione Dei, quae est in Christo.* 2 Tim. I. 12. *Scio, cui credidi.* 1 Ioh. III. 14. *Scimus, quod translati sumus de morte in vitam,* V. 13. *Haec scripsi vobis, ut sciatis vos vitam habere, qui creditis in nomen Filii Dei.* Iam vero scire ac certum esse, non est ambigere, dubitare, fluctuare &c. *Qui in Dominum sperant, non confunduntur,* Psalm. XXII. 5. XXV. 2 LXII. 8. Rom. V. 5. 1 Petr. II. 6. &c. ergo nullam habent dubitandi causam. 7) A *Dei bonitate, fidelitate ac potestate.* Hic est funiculus ille triplex, qui nunquam rumpitur. Deus, qui salutem nobis promisit, bonus, fidelis ac potens est, ergo promissa sua complere poterit &c. 1 Petr. I. 5. *Virtute Dei per fidem custodimur ad salutem* Cyprianus serm. de mortal. sect. 2. *Si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? &c.* Sect. IV. *Deus de hoc mundo recedenti immortalitatem atque aeternitatem tibi pollicetur & tu dubitas? hoc est, Deum omnino non nosse, &c.* Augustinus tract. XXII. in Ioh. *Credo promittenti, Salvator loquitur, veritas pollicetur. Ipse dixit mihi:* Qui audit verba mea, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, & transitum faciet de morte in vitam &c. *Ego audivi verba Domini mei credidi, ad iudicium non venio, non praesumtione mea sed ipsius promissione.* Bernhardus serm. III. de fragm. septem miseric. *Tria sunt, qui sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriae vilitatis, nulla aestimatio caelestis beatitudinis ab altitudine spei abiicere possit in ea firmiter radicatum.* Confer tract. de elect. §. CCVII. & tract. de iustif. §. LXXXIII. & seqq. Opponenda hæc sunt pontificiis, qui ut de gratia Dei ac peccatorum remissione, ita quoque de vita æterna vere in Christum credentes dubitare iubent. Hosius tom. I. oper. p. 434. *Remissa nobis esse peccata, & esse nos in gratia, certoque possessuros regnum caelorum, certo statuere non possumus.* Censura Colonienſis p. 55. *Audistis, neminem esse certum de adepta iam iustitia, ex quo consequitur, neque quemquam sibi de vita aeterna tanquam certo promissa blandiri.* Lovanienses in propos. contr. Lutherum: *Fides, qua quis firmiter credit & certo statuit, propter Christum remissa sibi esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, imo eisdem adversatur.* Notandum tamen, certitudinem illam fidei ac spei de vita æterna obtinenda non esse absolutam, sed conditionatam, quia sub conditione finalis perseverantiæ credentibus in Christum vita est promissa, qua de re in dicto tract. de elect. d. l. latius egimus.

CAPVT V.

DE MATERIA ET FORMA VITÆ ÆTERNÆ.

Materia vitae aeternae.

§. LXVIII. *Materia ex qua* vitæ æternæ proprie loquendo non datur; *materia in qua* eſt eius ſubiectum; *materia circa quam* eſt eius obiectum, de quibus inferius diſpicietur.

Forma vitae aeternae.

Tranſitum ergo facimus ad vitæ æternæ *formam*, quæ conſiſtit in ſumma felicitate, gloria ac beatitudine, qua electi ab omnibus malis liberati ac liberi corpore & anima pleniſſime & iucundiſſime in omnem æternitatem perfruentur. Hæc vero æternæ vitæ felicitas nobis in hac vita eſt incomprehenſibilis & ineffabilis, ſi de *adcurata quidditativa ſcientifica* cognitione agatur. Probamus hoc 1) ex *prophetica adſertione*, Eſai. LXIV. 4. quam adlegat apoſtolus 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, nec auris audit, nec in cor hominis adſcendit, quae praeparavit Deus illis, qui diligunt eum*, in quæ verba ſic commentantur pii veteres: Chryſoſtomus homil. XXII. in epiſt. Hebr. *Non dixit, quia tranſcendit cor hominis, ſed quia neque intellexit quidquam aliquando, quae praeparavit Deus diligentibus ſe. Quorum bonorum praeparator & opifex Deus eſt, qualia eſſe poſſunt.* Auguſtinus epiſt. ad dioſc. *Oculus non vidit, quia non eſt color, nec auris audivit, quia non eſt ſonus; nec in cor hominis adſcendit, quia cor hominis debet illuc adſcendere.* Idem in Pſal. LXXXV. pulcerrime loquitur: *Quid quaeris, ut adſcendat in linguam, quod in cor non adſcendit?* Serm. LXIV. de verb. Domini ſecundum Ioh. *Vnde adſcenderet in cor meum, ut dicerem, quod in cor hominis non adſcendit? creditur & non videtur. Non ſolum non videtur, ſed nec dicitur.* Quidam hæc verba intelligunt de ipſo Chriſto ſenſu eo, quod *Chriſtus in primo ſuo adventu ea facturus & pro hominum ſalute paſſurus ſit, ut nemo a mundi primordiis audierit, nemo auribus acceperit ab omni ſeculorum memoria, neque oculis ſpectarit, abſque ipſo, quae in ſuo adventu his, qui eum diligunt atque exſpectant redemtionis officia, praeparaverit.* Hanc interpretationem probant tum ex *ſeria contextus prophetici.* Oſtenderat propheta in præcedentibus, quanta futura eſſet in mundo rerum mutatio in Meſſiæ adventu, ut *montes defluerent & tabeſcerent*; iam ſubiungit, quibus mediis illud Chriſtus perfecturus ſit, videlicet talibus paſſionibus ac operibus ab immenſa caritate profectis, qualia a ſeculo nemo vidiſſet vel audiviſſet, imo nec in hominem cogitationem cadere potuiſſent. Tum ex *adlegatione apoſtolica.* Tractat enim apoſtolus v. 7. de illa *ſapientia, quae eſt in myſterio abſtondita, & ante ſecula in gloriam noſtram praefinita*, v. 8. quam quia *principes huius ſeculi non cognoverunt, Dominum gloriae crucifixerunt;* quæ ſapientia eſt ipſe Chriſtus. Cur vero illam ſapientiam, id eſt, ipſum Chriſtum non cognoverint, docet apoſtolus v. 9. *quia ſcriptum eſt, oculus non vidit &c.* Ex quo colligunt, de Chriſto potius vitæ æternæ auctore & cauſa beatitudinis meritoria, quam de formali beatorum felicitate hoc vaticinium eſſe accipiendum. Sed nulla neceſſitate cogimur a vulgari & communi interpretum ſententia diſcedere, quam am-

amplectuntur Tertullianus libr. I. de resurrect. carnis cap. 26. Cyprianus lib. IV. epist. 6. Hieronymus & Haymo in Esaiam, Anshelmus & alii complures in comm. 1 Cor. II. quamque contextus propheticus & apostolicus optime admittit. Postquam enim propheta de *primo Christi adventu* eiusdemque effectu egerat, subiungit vaticinium de *gloria vitae aeternae*, tum quia Christus prædicationis evangelicæ exordium in officio ministerii sui fecit a promissione vitæ æternæ: *Agite pœnitentiam, & credite evangelio, adpropinquavit enim regnum cœlorum.* Tum quia passione ac morte sua cœli ianuam nobis aperuit, & bona cœlestia per lapsum amissa nobis iterum reparavit, sicque fructus & finis adventus ipsius fuit gloria cœlestis hominibus impetranda, quam etiam præparavit *exspectantibus*, hoc est credentibus & ex fide ipsius adventum diligentibus. Apostolus per *sapientiam in mysterio absconditam* intelligit doctrinam evangelii, in qua talia nobis monstrantur & propter Christum offeruntur bona. quæ sensum & intellectum hominis exsuperant; præparavit autem illa Deus *se diligentibus*, id est, veram suam fidem per dilexionem Dei & proximi demonstrantibus, v. 10. occurrit apostolus prolepsi sive tacitæ obiectioni. Si enim hanc gloriam credentibus præparatam nemo vidit, audivit nemo, unde nobis de ea quidquam constat? respondet apostolus, *nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, id est, scimus eam non per visum, auditum, intellectum naturalem, sed per supernaturalem Dei revelationem. Potest autem utraque interpretatio commode coniungi, nam & ipsa doctrina evangelii est sapientia ab omni humana ratione abscondita, & bona in evangelio oblata excedunt omnem sensum; experientiam & cogitationem naturalem, & ea, quæ Christus pro nobis fecit ac passus est, ut bona illa adquireret, omni hominis cogitatione naturali sunt sublimiora. Huic dicto prophetico coniungenda sunt parallela: Rom. VIII. 18. δοξα μελλουσα αποκαλυφθηναι. Col. III. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 1 Ioh. III. 2. *Nondum adparuit, quid futuri simus.* 1 Petr. I. 4. *Hereditas conservatur in cœlis*; cumprimis illud, quod Paulus *in tertio cœlo se audivisse* dicit αρρητα, 2 Cor. XII. 4. 2) Ex *parabolica & mystica cœlestis beatitudinis descriptione.* Ideo namque Spiritus sanctus æternam beatorum felicitatem tot ac tam variis typis, parabolis ac metaphoris describit, modo eam conferens *nuptiali festivitati*, modo *convivio lautissimo*, modo *pascuis uberrimis*, modo *aestati fertilissimae*, modo *civitati pulcerrimae &c.* quia nudo ac simplici mentis intuitu proprium eius formale intelligere non possumus. 3) Ex *vitae praesentis conditione.* Sicut infans in utero matris conclusus de pulchritudine lucis nihil novit; sic & nos in huius vitæ tenebris de æternæ vitæ gaudiis nihil possumus perfecti ac solidi scire. Quemadmodum visus noster imbecillior est, quam ut ad stellas pertingat; sic intellectus noster infirmior, quam ut cœlestia gaudia percipiat. Visum in contemplatione corrigimus ratione, intellectum in meditatione cœlestium corrigimus fide. 4) Ex *cognitionis nostrae imperfectione. Videmus hic per speculum in aenigmate*, 1 Cor. XIII. 12. quomodo igitur vitæ æternæ gloriam perfecte cognoscere poterimus? Intellectus noster finitus est, quomodo igitur infinitam beatorum felicitatem agnoscere? Huc referenda sunt dicta patrum: Ephremus lib. de iud. cap. 5. cum de gaudiis vitæ æter-

æternæ differuisset, subiungit: *De illa ineffabili laetitia & mansione aeterna nunc ex parte narrantes tanto nobis evangelizavimus, tanquam si quis ex pelago maris aquae guttam digito suo potest auferre.* Chrysostomus epistol. V. ad Theodorum lapsum. *Concipe animo statum vitae illius, quantum homini concipere datur, nam iuxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest, ex iis tamen, quae audimus, ceu per aenigmata coniecturam quantulamcunque faciemus &c.* Et postea: *Anima, quae in propriam rediit naturam, quae in reliquum tempus multa libertate dominum suum suscipit, quantum ea fructum capiat, quantum dulcedinis, quantum lucrum, haud quisquam unquam satis explicabit. Eam iucunditatem universam sermone quis effinget, quis attinget cogitatione?* Cæsarius homil. XXVI. *Vita illa, quae nec oculis potest cerni, nec tacita mentis cogitatione perstringi, quam utique consequi facilius est, quam enarrare.* Nilus in sentent. tom. I. orthodoxogr. p. 181. Των μελλοντων αγαθων και το πληθος και το καλλος απειρον. Gregorius Nyssenus libr. de opific. hominis: Ετερας τινος βατιλειας η ελπις ης ο λογος εν απορρητοις. *Aliud regnum est, cuius tota ratio illorum in numero, quae enarrari dicendo nequeunt.* Augustinus de tripl. habit. cap. 1. *Bona regni cælestis dicere vel cogitare vel intelligere, ut sunt, nullus potest carne vestitus, multo enim maiora & meliora sunt, quam cogitantur & intelliguntur. Regnum namque Dei omni fama maius & omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria, quae putatur, excellentius.* Cap. 4. *De hac urbe (cœlesti) quidquid homo dixerit, quasi stilla de mari est vel quasi scintilla de foco. Bona vitae aeternae tam multa sunt, ut numerum, tam magna, ut mensuram; tam pretiosa, ut aestimationem omnem excedant.* Bernhardus serm. XI. in Cantic. *Velim scire, cuius rei futura sit illa mensura, vel potius illa immensitas, quae repromittitur? Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te. Dic nobis, tu qui praeparas, quid praeparas? credimus, confidimus, revera sic promittis:* Replebimur in bonis domus tuæ. *Sed quibus quaeso bonis vel qualibus? Forte frumento, vino, oleo, auro atque argento, lapidibusque pretiosis? Sed haec novimus & vidimus & videmus & fastidimus. Id quaerimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. Erunt,* inquit, *omnes docibiles Dei, & ipse erit omnia in omnibus. Vt audio, plenitudo, quam exspectamus a Deo, non erit nisi de Deo. Quis vero comprehendat, quam magna multitudo dulcedinis in brevi isto sermone comprehensa sit: Erit Deus omnia in omnibus?* Idem serm. IV. omnium sanctor. *Quam magna est beatitudo illa, tam abscondita est ex oculis nostris.* Est & hoc Bernhardi, quod recitat Bonaventura lib. VII. compend. cap. 31. *Tam magna sunt vitae illius bona, ut non possint mensurari; tam multa, ut non possint numerari; tam copiosa, ut non possint terminari; tam pretiosa, ut non possint aestimari.* Idem: *Quod Deus praeparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, caritate non adprehenditur, desideria & vota transgreditur, adquiri potest, aestimari non potest.*

Vnde beatorum felicitas adpareat.

§. XLIX. Quamvis vero beatitudo illa sit mysterium invisibile, inauditum & incomprehensibile, de ea tamen penitus silere non debemus, sed de ea quantum valemus, quia quantum volumus, dicere non possumus. *Spei nostrae gaudium*, ait Augustinus lib. XXII.

XXII. de civ. Dei cap. 21. *propter Dei laudem non est tacendum, & de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est: Domine dilexi decorem domus tuae.* In genere summa electorum felicitas colligitur 1 ex *adpellatione*, id est, ex nominibus *beatitudinis*, *salutis*, *pacis & vitae aeternae*, quibus in sacris litteris describitur, ut ostendimus superius §. XII. Illæ enim adpellationes felicissimum electorum statum συντομως και επιτομικως exprimunt. *Beatitudo* perfecta complectitur omnis mali absentiam & omnis boni desiderabilis præsentiam, unde definitur a Boëtio lib. III. de consolat. p. 105. quod *sit status omnium bonorum adgregatione perfectus.* Augustinus lib. XIII. de Trinit. cap. 5. *Beatus est, qui habet, quidquid vult, & nihil mali vult.* Anshelmus lib. de similitud. cap. 48. *Beatitudo est omnium bonorum sufficientia.* Thomas lib. IV. sent. dist. 48. *Beatitudo est summum bonum & ultimus finis rationalis naturae tantum.* Idem l. 2. quæst. 3. art. 2. *Beatitudo est ultima hominis perfectio.* Scotus lib. IV. sent. dist. 49. *Beatitudo est bonum sufficiens, excludens scilicet defectum & indigentiam; est & bonum perfectum & completum excludens imperfectionem seu diminutionem. Est bonum ultimatum, excludens tendentiam ad aliud completius bonum.* Quando ergo electi in vita æterna dicuntur beati, intelligitur, a) quod bonis omnibus adfluant. Si enim quidquam bonorum necessariorum ac utilium adhuc desiderarent, eodemque destruerentur, perfecte beati non essent. b) Quia perfecta omnis boni adfluentia locum non habet, nisi malum bono oppositum penitus removeatur, ideo beatitudinis nomine intelligitur, quod electi sint ab omnibus malis liberati ac liberi. c) Quia perfecte beatus non est, nisi qui semper talis; si enim quis modo abundaret, modo deficeret, perfecte beatus non esset, ideo beatitudinis nomine electis attributo intelligitur, quod immutabiliter sint beati. d) Quia per suam naturam & essentiam non sunt in bono ac immutabiles, ideo non a se ipsis vel in se ipsis, sed a Deo & in Deo beatitudinem illam obtinent, quippe a quo in bono confirmati, & adversus omnem ab hoc beatissimo statu excidentiam firmiter sint muniti; intelligitur ergo nomine beatitudinis electis attributo, quod Deus futura sit ipsorum beatitudo. Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 1. in principio: *Constat omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem, quae non est dea, sed donum Dei.* Cap. 11. *Dei participatione felices sunt, quicunque sunt veritate non vanitate felices.* Quia beatus nemo dici potest, nisi bona, quibus adfluit, intelligat, cognoscat ac velit; ideo beatitudinis nomine intelligitur, quod electi suam beatitudinem agnoscant, per *intellectum*, summe ament per *voluntatem*, quiete & pacate in ea adquiescant per *cordis adfectum*, ex qua adquiescentia oritur summum & ineffabile *gaudium*, quo in Deo, tanquam summo & infinito bono, fruuntur, ac supra, quam dici vel cogitari potest, delectantur. f) Denique quia perfecte beatus non est, nisi qui in omnem æternitatem beatitudine perfruitur; ideo etiam beatitudinis nomine electis attributo hoc intelligitur, quod in omnem æternitatem in beatissimo illo statu sint mansuri. Augustinus lib. XIII. de Trin. cap. 7. *Quidquid amabitur, aderit, nec desiderabitur, quod non aderit, omne, quod ibi erit, bonum erit; atque ad fruendum amantibus praesto erit, & quod est omnino beatissimum, ita semper fore praesto erit.* Beatitudo Græcis dicitur ευδαιμονια, a dæmoni-

monibus, id est, diis, ut ethnici censebant, quia postquam homo ad hunc statum pervenit, est plusquam homo. Idem iudicium esto de nominibus *salutis* ac *pacis*, quibus Hebræi omnis generis felicitatem & omnium bonorum abundantiam intelligunt, itemque *vitae aeternae*, quæ non nudam viventis existentiam & durationem, sed conditionem beatissimam, transquillissimam & felicissimam exprimit, ut ostendimus superius §. III.

§. L. 2) Ex *oppositione*, id est, ex atrocitate & gravitate infernalium cruciatuum, quos electi evaserunt. Quemadmodum enim pœna infernalis est infinita, quia æterna, & quia separat a Deo, qui est bonum infinitum; sic felicitas cœlestis est infinita, quia itidem æterna, quia liberat ab infinita pœna, & quia coniungit cum bono infinito, videlicet Deo. Quemadmodum supplicium damnatis præparatum est *malum universale*, omnia malorum & supplicíorum genera in unum conglomerata complectens; sic gaudium electis præparatum & præmium piis promissum est *bonum universale*, omnium bonorum genera in sese continens. Si vel maxime nihil quidquam boni piis post hanc vitam promissum esset, tamen immensi beneficii loco habendum foret, quod ab infernalibus suppliciis durationе infinitis essent liberi. 3) Ex *analogica collatione cum hac vita*. Homini in hac vita nil carius ipsa vita, quæ tamen multis molestiis ac miseriis est repleta. *Pellem pro pelle, & cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua*, Iob. II. 4. inde tot curas, tot solicitudines, tot labores suscipit, ut vitam hanc temporalem fugacem & fallacem conservet. At quanto carior, quanto felicior, quanto pretiosior censenda est vita æterna, quæ est felix æternitas & æterna felicitas? Augustinus lib. V. de civ. Dei cap. 17. *Illa civitas, in qua regnare nobis promissum, tantum ab hac distat, quantum distat cælum ab terra, a temporali laetitia vita aeterna, ab inanibus laudibus fulida gloria, a societate mortalium societas angelorum, a lumine solis & lunae lumen eius, qui fecit solem & lunam.* 4) Ex *gaudiis illius praegustatione*, quam pii quandoque in hac vita experiuntur. Quanta sit illius prægustus dulcedo, nemo novit, nisi qui aliquando eumdem sensit. Tantæ profecto in martyribus fuit efficaciæ, ut exquisitissimos corporis cruciatus & acerbissima supplicia non solum tolerabilia, sed & suavia illis redderet. Atqui si tantam dulcedinem exhibent *primitiae*, quid de plenis *decimus* sperandum erit? si promulsis tam suavis est, quid de integro vini cœlestis dolio & torrente statuendum erit?

§. LI. 5) Ex *parabolica beatitudinis descriptione*. Quidquid enim in hac vita occurrit læti ac boni, quidquid desiderabile vel amabile, illud omne ad vitæ æternæ felicitatem ac lætitiam utcunque adumbrandam transfertur, ut innuatur, vitam æternam fore omnium bonorum plenitudinem, omnis lætitiæ promtuarium, omnis desiderii terminum ac complementum. Comparatur beatitudo electorum a) *nuptiis*. Apoc. XIX. 7. *Gaudeamus & exsultemus, quia venerunt nuptiae agni*. v. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* In nuptiis omnes convivæ lætantur, Matth. IX. 15. sic in vita æterna omnes beati gaudebunt. In nuptiis *editur ad saturitatem, bibitur ad hilaritatem*, sic beati *comedent, bibent, laetabuntur, iubilabunt*, Esai. LXV. 13. *inebriabuntur a pinguedine domus Dei, & torrente voluptatis cælestis pota-*

potabuntur, Psal. XXXVI. 9. In nuptiis adhibetur suavis musica, sic in vita æterna angelorum & hominum chorus suavissimis concentibus Deo iubilabit. In nuptiis incipit arctissimum & indissolubile vinculum inter sponsum ac sponsam, sponsa deducitur in domum mariti, particeps redditur honoris & bonorum &c. sic in vita æterna inter Christum sponsum & eccesiam sponsam indissolubile consortium sequetur, sponsa in domum cœlestem introducta omnium cœlestem bonorum particeps fiet. Ex ædibus nuptialibus expelluntur non habentes vestem nuptialem, Matth. XXII. 13. idem in cœlestem nuptiis continget; *foris canes*, Apoc. XXII. 15. b) *Convivio*, Matth. 11. *Recumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regnum cælorum.* Luc. XXII. 30. *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*; non quod Bacchanalia ac saturnalia in cœlo sint futura, sed ad satietatem & lætitiam beatorum insinuandam. c) *Pascuis uberrimis*, Ioh. X. 9. *Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* v. 11. *Egoveni, ut habeant vitam, και το περισσον, & abundantiam habeant.* Erit ergo vita abundans omni bonorum adfluentia. Apoc. VII. 17. *Agnus, qui in medio throni est, pascet eos, & deducet ad fontes aquarum &c.* d) *Regno.* Luc. XXII. 29. *Dispono vobis regnum*, v. 30. *ut sedeatis super thronos*; unde beatis tribuuntur *coronae aureae*, Apoc. IV. 4. in signum tum *potestatis regiae*, tum *victoriae*, quam a diabolo, mundo, carne, peccato & morte reportarunt. Esai. XXVIII. 5. *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriae & sertum exsultationis reliquo populi sui.* Dominus non solum imponet electis coronam *vitae*, coronam *iustitiae*, coronam *gloriae*, sed ipse etiam erit eorum corona. Quæ vero maior gloria esse possit, quam Deum ipsum esse coronam & sertum beatorum, ut omnes creaturæ ipsos tanquam reges ac principes, imo tanquam deos quosdam, utpote Deo ipso velut corona redimitos revereri & observare teneantur. Quanto honore regni proceres eum honorant, cui coronam regalem ab ipso rege imponi vident, quale quid Mardochæo contigit, Esth. VI. 8. At hæc gloria omnibus electis continget Sap. V. 17. *Accipient regnum decoris & diadema speciei*, sive speciosum, *de manu Domini.* Chrysostomus epist. V. ad Theodor. lapsum: *Quemadmodum puellus regiut primum alitur cibo non admodum splendido, terretur minis paedagogi, ne per indulgentiam lapsus paterna se indignum reddat hereditate; mox regiam nactus maiestatem omnia haec mutat, praefidet eum magna libertate, vestitus purpura, diademateque ornatus, & stipatus numeroso satellitio abiectis ab anima rebus humilibus ac subamaris, in quorum tunc locum omnia magnifica, omnia iucunda succesterunt; sic tunc eveniet omnibus sanctis.* Nimirum tunc omnes sancti libertate, gloria, dignitate, potentia ac rerum omnium adfluentia, ut reges ac summi regis filii perfruentur, ab omni plane hostium impugnatione tuti. e) *Mensurae superabundantur.* Luc. VI. 38. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum*, in quem locum sic commentatur Vincentius Burgundus in speculo historiali lib. XXXII. cap. 28. *Constat felicitatem esse omnium rerum optandarum plenitudinem. Illic ergo implebitur, quod voce dominica dicitur*: Mensuram plenam &c. *Mensura dicitur, quia secundum qualitatem & quantitatem meriti*, non proprie & exquisite sic dicti, sed latius pro opere Deo grato accepti, *praemium*, non es-

sentiale, quod omnibus beatis æquale sed accidentale, *dabitur. Bona, quia isto praemio nihil melius invenitur. Conferta, id est, referta, quia nulla pars animae vel corporis, nullusque angulus remanebit, qui repletus non fit. Coagitata; quia undique gaudium erit, scilicet intus in conscientia, supra in Deo, infra in cœlo & in caeteris creaturis, iuxta vero in sanctis hominibus & angelis. Superessluens quoque, quia super omne meritum erit; & etiam supra omnem sensum desiderium.* Confer ea quæ superius dicta §. XXV. ubi plures eiusmodi parabolas, similitudines ac typos ex scripturis adduximus.

§. LII. 6) Ex *speciali bonorum in vita aeterna sperandorum enumeratione*, quam postea subiungemus, ubi prius generales & emphaticas æternæ beatitudinis descriptiones tum ex sanctis patribus, tum ex recentioribus quibusdam scriptoribus adduxerimus. Sic vero de ea loquuntur pii veteres. Cyprianus lib. IV. epist. 6. *Quae erit gloria & quanta laetitia, admitti, ut Deum videas; honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias? Abraham & Isaac & Iacob & patriarchas omnes & prophetas & apostolos & martyres salutare, cum iustis & Dei amicis in regno cœlorum datae immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit.* Serm. de Christ. adscens. *Exsultabunt sancti in gloria, videbunt Deum, & gaudebunt, laetabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & in felicitate iucundabuntur aeterna. Ibi non gustabunt, quam suavis sit Dominus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica; nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus praesens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, felix aeternitas beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non ultra illa exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus & pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius praesentia omnes animae & corporis implebit appetitus, cessabuntque de caetero consummatis omnibus ministratorii angelicarum virtutum discursus, & impleta ordinataque omnino civitate Dei nec mutabitur ultra fixae & consummatae beatitudinis status.* Hilarius in Psal. LX. *Haec hereditas sancti est vita & incorruptio & regnum & coaeterna cum Deo habitatio.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum lapsum: *Quid ea vita beatius erit? Non est, cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit contumeliosum, nec inique oppressum; nemo exasperatum aut irascentem, aut invidentem; nemo ardentem absurda concupiscentia, aut merentem propter sumtum necessarium, aut a magistratu vapulantem. Omnis enim adfectuum turba, quae hic sedata est, perimetur; omnia erunt pax, laetitia, gaudium, omnia serenitas & tranquillitas; omnia dies & splendor & lux; lux, non quae nunc est, sed plane alia, quae hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni; neque enim occulitur illic aut nocte aut congressu nubium, nec urit nec inflammat corpora, nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec aestus, nec alia huius generis immutatio; sed omnino alia est conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligent; non est illic senium, nec senectae mala, quaeque obnoxia sunt corruptioni, e medio tollentur. Omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria, & quod omnium longe est maximum, continua fruemur conversatione cum Christo, una cum angelis, cum archange-*

angelis, cum superioribus potestatibus &c. Unde putas tum simultas? unde pugna? iucundus nimirum concentus erit in hoc, quod omnes sancti perpetuo inter se consentient, nullus illic calumniator timendus, nullae daemonum insidiae, nullae minae, nulla mors, nec ea, qua hic exstinguimur, nec altera, quae hac multo est acerbior &c. Quis vel delineabit voluptatem, quae ex convictu Christi exsiabit, aut utilitatem, aut gaudium? Augustinus lib. II. de civ. Dei cap. 29. *Incomparabiliter superna civitas est clarior, ubi victoria, veritas; ubi dignitas, sanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, aeternitas.* Lib. XI. de civ. Dei cap. 28. *Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus &c. Vera ibi gloria erit, ubi laudatus nec errrore quisquam nec adulatione laubabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec a seipso, nec ab alio quisquam patietur. Praemium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique se ipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per prophetam dixit.* Ero illorum Deus & ipsi erunt mihi plebs; *nisi, ego ero, unde satientur, ego ero, quaecunque ab hominibus honeste desiderantur, & vita, & salus & victus & copia & gloria & honor & pax & omnia bona? Sic enim & illud recte intelligitur, quod ait apostolus:* ut sit Deus omnia in omnibus. *Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.* In enchir. ad Laurent. cap. 23. *Erit ibi vita sine morte, veritas sine errore, felicitas sine perturbatione.* In homil. de verb. Christ. Ego sum pastor &c. *Erit ibi festivitas sine fine, aeternitas sine labe, serenitas sine nube.* In med. cap. 22. *Vita, quam praeparavit Deus his, qui diligunt Deum, est vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiae, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiae & dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus & timor nullus, ubi dies aeternus & unus omnium spiritus, ubi Deus a facie ad faciem cernitur, & hoc vitae cibo mens sine defectu satiatur &c. O vita felicissima, o regnum vere beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per aevum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion, nobile perpetua caput amplectente corona.* cap. 25 *Plena & perfecta ibi regnat caritas, quia Deus est ibi omnia in omnibus, quem sine fine vident, & semper videndo in eius amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore.* In soliloq. cap. 35. *Intra in gaudium sine tristitia, quod continet aeternam laetitiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum, ubi erit, quidquid voles, & non erit, quidquid noles, ubi erit vita vitalis, dulcis & amabilis, semperque memorialis, ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra; sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, &*

beata Trinitas, & Trinitatis unitas, & unitatis deitas, & deitatis beata visio, quae est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium &c. Ibi gaudium infinitum, laetitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo, ubi iuventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi laetitia semper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum. In manuali cap. 7. *O vita vitalis, vita sempiterna & sempiterne beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia, sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Vbi omnia bona in caritate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus & per omnia, ubi summa Dei bonitas cernitur, & lumen illuminans a sanctis glorificatur, ubi praesens maiestas Dei conspicitur, & hoc vitae cibo sine defectu mens intuentium desideratur. Vident semper, & videre desiderant, sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur. Vbi verus sol iustitiae mira suae pulchritudinis visione omnes reficit, & ita universos cœlestis patriae cives illuminat, ut luceat ibi lumen, videlicet illuminatum per divinum lumen illuminans, ultra omnem solis nostri splendorem atque cunctarum stellarum claritatem, immortali adhaerentes deitati, ac per hoc immortales & incorruptibiles facti.* Cap. 17. *Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non aegritudinis imbecillitas, ibi nemo laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiae daemonum nullae, terror gehennae procul, mors neque corporis neque animae, sed immortalitatis munere iucunda vita, nulla erunt tunc mala, nusquam discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia, quia omnium sanctorum una erit concordia, pax cuncta & laetitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta, iugis splendor, non ut est ille, qui nunc est sol, sed tanto clarior quanto felicior &c. Nox ibi nulla, tenebrae nullae, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit &c. Verum super haec omnia est consociari choris angelorum & archangelorum atque omnium cœlestium virtutum, intueri patriarchas & prophetas, videre apostolos atque omnes sanctos, videre etiam parentes nostros. Gloriosa haec sunt, sed multo gloriosius est praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Super excellens gloria erit, cum Deum videbimus in se ipso, videbimus & habebimus in nobis, quod cernere finis non erit.* Auctor libri de spir. & anim. (qui exstat tom. III. oper. Augustini) cap. 36. *Sicut exterior homo circa ista temporalia quinque partito sensu adficitur, id est, visu, auditu, gustu & caeteris, sic interior homo in beata circa quinque ineffabilia Dei ineffabili amore adficitur. Cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem quandam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum & quemdam amplexum interiorem amabit; ibi enim fulget, quod non capit locus; ibi sonat, quod non rapit tempus; ibi olet, quod non spargit ventus; ibi sapit, quod non minuit edacitas; ibi haeret, quod non divellit, satietas, ibi siquidem videtur Deus*

sine

fine intermissione, cognoscitur fine errore, amatur fine offensione, laudatur fine fatigatione. Prosper lib. I. de vita contempl. cap. 2. *Futura vita creditur beate sempiterna & sempiterne beata, ubi est certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, felix aeternitas, aeterna felicitas, ubi est amor perfectus, nullus timor, dies aeternus, alacer motus & unus omnium Spiritus de contemplatione Dei sui ac de sua cum illo permansione securus, ubi ipsa civitas, quae est angelorum sanctorum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & aeterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quisque nec fallitur, unde nullus miser admittitur.* Cap. 4. *Erit intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, caritas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo &c.* Cæsarius hom. XXVI. *Vitae illius cursus erit sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, adiutorium sine defectu, requies sine nocte, otiositas sine senio, indefieiens sub nutu Dei, caritas & sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova iucunditas, & sine ullo amittendi periculo felicitas.* Fulgentius epist. IV. cap. 8. *Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximique perfecta laudatio. Tunc laudabimus & habebimus, tunc habebimus & amabimus, tunc satiabimur cum delectatione, & delectabimur cum satietate.* Epist. VI. cap. 4. *Nihil ibi deest, quia totum in illo est; nihil ibi superest, quia nihil praeter illum est &c. In ipso beati erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque glorioſi, cuius vera & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur.* Gregorius hom. XXXVII. in evang. *Quae lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris adsistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu adfici, incorruptionis perpetuae munere laetari?* Audochnus in vita Eligii lib. II. cap. 16. *Amanda est illa vita, ubi nullus labor est, ubi summa securitas, felix libertas, libera beatitudo, ubi summa semper securitas, se cura felicitas felix libertas, libera beatitudo, ubi sicut Dominus ait:* erimus similes angelis; & iusti fulgebunt sicut sol. *Nulla ibi erit tristitia, nullus labor, nullus dolor, nullus timor, mors nulla, sed perpetua sanitas. Nulla illic existet malitia, nulla carnis miseria, nulla aegritudo, necessitas nulla, non fames, non sitis, non frigus, non aestus, non lassitudo, non ulla inimici tentatio, non peccandi libido, imo nec male agendi facultas; sed gaudium & laetitia omnia occupabit, hominesque angelis sociati sine ulla carnis infirmitate perpetuo florebunt. Erit illic laetitia certa, requies secura, pax vera, iucunditas infinita. Ibi quidquid adepti erimus, nunquam amittemus. Nihil loco illo magnificentius, nihil glorioſius, nihil illustrius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil munificentius. Nihil illa bonitate sincerius, nihil illa abundantia copioſius &c.* Rabanus in eccles. lib. VI. cap. 12. *Quid vita illa beatius? ubi non est paupertatis metus, non aegritudo; nemo laedit iniuste, aut laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas exardescit, nullum tibi desiderium, nulla honoris pulsat aut potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labes penitus depoſita & penitus exstincta est, pax cuncta continet & laetitia, tranquilla sunt omnia & quieta, iugis splen-*

*splendor, non iste, qui nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior, quanto splendidior est sol luce*rna &c. quæ omnia ut & sequentia ad vitæ æternæ descriptionem spectantia desumsit ex Chrysostomi epist. V. ad Theod. lapsum. Anshelmus lib. de similitud. cap. 47. *Quatuordecim sunt beatitudinis partes, quas omnes electi habebunt, oppositae totidem miseriae generibus, quae mali tunc sustinebunt* Cap. 48. *Partes beatitudinis sunt, pulchritudo, agilitas, fortitudo libertas, sanitas, voluptas, longaevitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium.* Cap. 49. *Septem priores illius beatitudinis partes ad corporis, septem vero posteriores ad animae beatitudinem pertinent. Quicunque illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam corporis & animae beatitudinem possidebit.* Idem in prosologio cap. 25. *Si delectat te pulchritudo, iusti fulgebunt sicut sol; si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes angelis Dei. Si longa & salubris vita, ibi sana est aeternitas, & aeterna sanitas, quia iusti in perpetuum vivent. Si satietas, satiabuntur, cum adparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si munda voluptas, torrente suae voluptatis potabit eos Deus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plusquam seipsos, & invicem tanquam seipsos, & Deus illos plus, quam illi seipsos, quia illi illum & se & invicem per illum, & ille se & illos per seipsum. Si concordia, omnibus illic erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suae voluntatis, ut Deus suae. Nam sicut poterit Deus, quod volet, per seipsum: ita poterunt illi, quod volent, per illum, quia sicut illi non aliud volent, & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor & divitiae, Deus servos suos bonos & fideles super multa constituet. Si vera securitas, certe ita certi erunt, nullatenus & nunquam istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum.* Cap. 26. *Tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent.* Hugo lib. IV. de anim. cap. 15. *Omnium beatorum actio simul in communi septiformis est. Vivunt, sapiunt, amant, gaudent, laudant, veloces sunt, securi sunt. Vivunt vita sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum visio & cognitio beatae Trinitatis. Sapiunt consilia & iudicia Dei, quae sunt abyssus multa. Sapiunt causas & naturas & origines omnium rerum. Amant Deum incomparabiliter, quia sciunt, unde & ad quid Deus eos provexit. Amant singuli singulos sicut seipsos. Gaudent de Deo ineffabiliter, gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit sicut seipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo, quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Conflat igitur, quod singuli tot gaudia habent, quot socios, & singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum &c. Laudant Deum sine fine, sine fastidio, sicut scriptum est:* Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Veloces sunt, quia ubicunque esse vult spiritus, ibi est, etiam corpus. Omnes securi sunt de tali vita, de tanta sapientia, de tanto amore, de tanto gaudio, de tali laude, de tali velocitate, quod nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum habebunt.* Cap. 16. *In cœlesti patria est vita*

vita sine morte, iuventus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longaevitas sine vitae termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore. Bernhardus serm. de tripl. gen. bon. *Æterna illa bona sunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, & quae nunquam exeunt ab illa patria, quae nescit nisi gaudium & iubilationem. Ibi nihil deest, ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas. Quae est ista copia, ubi nihil, quod nolis, fit; totum fit, quod velis? Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, numquid erit gloria consummata? ideo nihil latebit nos, & ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur &c. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas amittendi? ideo nihil teret, & ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. Ubi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quod nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanae.* Lib. de meditat. cap. 4. *Praemium est videre Deum, vivere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi summa felicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta caritas, aeterna securitas, & secura aeternitas. Ibi est vera laetitia, plena scientia, omnis pulchritudo & omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas; gaudia, laetitiae dulcedo, vita perennis; gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis. Sic cum Deo homo beatus erit, in cuius conscientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In aeternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi aeternitatem; sic cognoscendi facilitatem & requiescendi felicitatem. Civis siquidem erit illius sanctae civitatis, cuius cives sunt angeli. Deus Pater templum, Filius eius splendor, Spiritus sancti charitas. O civitas exlestis, mansio secura, patria fertilis & ampla, totum continens, quod delectat, populus sine murmure, incolae quieti, homines nullam indigentiam habentes. Quam gloriosa dicta sunt de te civitas Dei! sicut laetantium omnium habitatio est in te. Omnes laetantur in laetitia & exsultatione. Omnes delectantur de Deo, cuius adspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce &c. In illo clarificatur intellectus, & purificatur adfectus ad cognoscendam & diligendam veritatem. Et hoc est totum hominis, nosse scilicet & amare creatorem suum &c. Convolemus ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad supernae laetitiae solennitatem & contemplativae vitae iucunditatem, ut possimus intrare potentias Domini, & superabundantes divitias bonitatis eius. Ibi vacabimus & videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis eius. Videbimus gloriae decorem, sanctorum splendorem & regiae potestatis honorem &c. Quidquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes, & quidquid videbimus, amabimus, ipso amore beati. Beati dulcedine amoris & suavitate contemplationis &c. Una erit omnium lingua, iubilatio indefessa, unus adfectus, amor aeternus. Patebit veritas, implebitur caritas, et erit integra corporis & animae societas; fulgebit sicut sol glorificata humanitas, quieta erit & concors carnis ac spiritus societas. Angelorum & hominum unum erit gaudium; unum colloquium, unum*

convivium. Erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, iustitia & intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica & concors concordia morum & adfectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra adpetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, super eminens gloria & superabundans laetitia. Idem serm. XI. super Cant. col. 519. *Error a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis decedet, & succedet illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, aeterna securitas. Primum faciet veritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente &c.* Ibidem: *Qui replet in bonis desiderium animae, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis.* Serm. XVII. in Psal. Qui habitat &c. *Nec longinquitas illa terminum, nec claritas occasum, nec satietas habet fastidium. Erit enim securitas de aeternitate, gloriatio de veritate, exsultatio de satietate.* Innocentius serm. III. Dom. Laet. *Vita sine morte, dies sine nocte, securitas sine timore, iucunditas sine dolore, tranquillitas sine labore, pulchritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate, bonitas sine malitia, veritas sine fallacia, felicitas sine miseria.* Idem serm. de D. Gregorio: *Electi duplicem glorificationis stolam habebunt, unam corporis & alteram spiritus. Stola spiritus in tribus consistit, in cognitione, in dilectione & in delectatione. Stola carnis consistit in quatuor, in claritate, in subtilitate, in agilitate, in impassibilitate.* Thomas in comm. Esai. XXXIV. *Gloria aeterna erit magna quintupliciter, erit enim intensa, extensa, aeterna, perfecta & integra.* Bonaventura in diaeta salutis tit. IX. cap. 50. (tom. VI. oper. p. 337.) *In illa caelesti gloria considerandae sunt tria, amoenissima civitas, amantissima societas, amplissima felicitas.* Tit. X. cap. 4. enumerat duodecim fructus vitae immortalis, quos ex ipso recensuimus superius §. XXIV. in explicatione Apoc. XXII. 1. Petrus Aliacus in speculo considerationis part. III. cap. 11. *Duodecim privilegia beatorum post generalem resurrectionem corporum figurantur, videlicet sanitas sine infirmitate, iuventus sine senectute, impassibilitas sine morte, pulchritudo sine deformitate, libertas sine servitute vel coactione, pax sine turbatione, securitas sine timore, satietas sine fastidio vel esurie, abundantia sine indigentia vel paupertate, cognitio sine ignorantia vel errore, gloria sine ignominia vel dedecore, gaudium sine tristitia vel dolore.* Laurentius Iustinianus de discipl. & perf. cap. 17. *Tunc videbimus Deum, sicut est, tunc laudabimus perfecte, amabimus ardenter, vacabimus actualiter, inhaerebimus indissolubiliter, iucundabimur laetanter, satiabimur sufficienter, & transformabimur totaliter. Erit namque tunc Deus omnia in omnibus. Nam nihil in nobis a laude cessabit. Erit enim rationi Dei sapientia plenitudo lucis, erit adfectioni Dei bonitas & clementia multitudo pacis & superabundantia dilectionis, erit memoriae Dei mira essentia & maiestas continuatio fruitionis. Erit quippe tunc in caelesti gloria laeta societas, concors voluntas, communis felicitas, sempiterna libertas, secura tranquillitas, inditibilis honestas, plena pax, vera dilectio, mutuus amor, una gloria, eadem mansio & imperturbabile regnum.* Iohannes de turre cremata tractat. XXXVI. in reg. *Duodecim considerationes sunt vitae aeternae, quae ad concupiscentiam illius nos movere debent. Prima est, quod illa sola est vera vita cum*

sit

sit aeterna, 2) *quia in illa aeterna vita possidetur sanitas sine quacunque infirmitate, molestia aut passione*, 3) *quia in illa est pulchritudo sine quacunque deformitate*, 4) *quia in illa vita est copia omnium bonorum*, 5) *est in ea satietas & adimpletio omnium desideriorum sine quocunque defectu*, 6) *est in ea securitas & pacis tranquillitas sine timore quocunque*, 7) *habebitur in ea visio beata clarissima & iucundissima divinitatis*, 8) *est in ea delectatio summa*, 9) *est in ea sapientia & plenissima cognitio absque ignorantia*, 10) *in illa viventes summo ibi honore & gloria sublimantur*, 11) *est in ea iucunditas ineffabilis & 12) laus interminabilis.* Rupertus de Lycio de beat. sanct. serm. II. cap. 3. *Procedet laetitia propter tria*, 1) *propter loci luminositatem; illud enim cœlum erit lumine plenissimum & omni iucunditate gratiosum*: 2) *propter loci puritatem; non erunt ibi caligines, non lutum, non fœtores, non calores, non frigora, non malitia, non tormenta & odia, sed tota puritas, sanctitas, laetitia*: 3) *propter loci magnitudinem ac pulcritudinem &c.* Carthenius de quatuor noviss. lib. IV. cap. 1. *Beatitudo cœlestis in absentia omnis mali & praesentia omnis boni consistit. Ibi enim erit lumen indeficiens, gaudium sempiternum, vita perennis & immortalis, laetitia sempiterna cum angelis & omnibus sanctis, ibi est lux lucis, & fons luminis, civitas sancta, Hierusalem cœlestis. Ibi nullus dolor nec tristitia post gaudium &c. ibi omnis dolor & omne malum non videbitur, & omne bonum nunquam deesse poterit, quia Deus erit ibi omnia in omnibus, id est, quaecunque ab omnibus desiderantur, vita, salus & copia, honor, pax & omnia bona. Praemium virtutis erit ipse, qui dedit virtutem, & qui se ipsum, quo melius ac maius nihil possit esse, promisit diligentibus se, erit beata satietas omnibus. Tunc erit Christus speculum visui, mel gustui, cithara auditui, balsamum olfactui, flos tactui. Ipse erit perfectio desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.* Confer ea, quæ sub calcem huius tractatus adducentur.

§. LIII. Atque ut multa brevibus complectamur. In vita æterna erit της παναγιας τριαδος οψις, της αφθαρσιας ενδυσις, και της πασης επιθυμιας πληρωσις, *sacrosanctae Trinitatis beata visio, incorruptibilitatis induitio, & omnis desirii nostri impletio.* In hac vita *mera calamitas*, In altera *mera felicitas*; hic *mera captivitas*, illic *mera libertas*; hic *mera fugacitas*, illic *mera aeternitas.* Erit *ibi insatiabilis satietas & indeficiens gaudium.* Erit ibi *beata Dei visio, perfectae iustitiae reductio, bonorum omnium impletio & imaginis divinae recuperatio. Omnia ibi clara, omnia ibi cara, omnia ibi rara.* In anima beatorum erit *perfecta Dei notitia, perfecta sapientia, perfecta iustitia*; in corpore *perfecta sanitas, angelica claritas, summa subtilitas*; in utroque *vera immortalitas, iugis vita, iugis laetitia.* Erit illic *sine servitute libertas, sine metu securitas, sine fletu gaudium, sine fine gloria, sine satietate solatium. Maiora ibi erunt praemia, quam beatorum hominum desideria.* Erit ibi *summi boni communio sine invidia, gaudiorum satietas sine fastidio, perpetuus triumphus sine bello, perfectio sine defectu, perpetuitas sine fine.* Erit ibi *amœnitas vernalis, formositas aestivalis, ubertas autumnalis, tranquillitas hyemalis.* Erit ibi *corporum aeterna sanitas, animorum summa puritas, gloriae & voluptatis divinae ubertas, perpetua sanctorum familiaritas, & stupenda corporum glorificatorum claritas.* Gaudium ineffabile orietur in beatis *ex beatifica Dei visione, ex plenissima mysteriorum divinorum cogni-*

tione, ex vera iustitiae perfectione, ex suavissima angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, cognatorum &c. cohabitatione, ex corporum conditione, quippe quæ erunt *immortalia, impassibilia, agilia, subtilia, splendida &c.* Gaudebunt beati *supra se* de Dei visione; *infra se* de inferni evasione; *intra se* de animæ & corporis glorificatione; *circa se* de angelorum & sanctorum omnium adsociatione. Erit ibi *lux sine caligine, sapientia sine ignorantia, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate, memoria sine oblivione, gaudium sine mœrore, festivitas sine fine, aeternitas sine labe, serenitas sine nube.* Fidei succedet *visio*, spei *comprehensio*, dilectioni *perfectae fruitio. Sapientia Salomonis* videbitur ignorantia; *pulchritudo & forma Absolonis* turpitudo ac deformitas; *fortitudo ac robur Samsonis* debilitatio ac languor, *eorum, qui primi in hoc mundo fuerunt, vita* mors quædam; *divitiae & regnum huius terrae thesauri* paupertas & miseria. Erit ibi *amor sine livore, securitas sine timore, requies sine terrore, felicitas sine horrore, firmitas sine tremore, puritas sine squalore, otium sine labore, voluptas sine dolore, gaudium sine angore, laetitia sine mœrore, conversatio sine clamore, sapientia sine errore.* Aderit *omne bonum, omne gaudium*, quod dici vel cogitari potest, aderit plus boni ac gaudii, quam dici vel cogitari potest. Beatissima erit illa vita propter *rem*, qua fruemur, fruemur enim ipso Deo. Propter *modum*, quo ipso fruemur, eo enim fruemur per se omnibus mediis cessantibus. Propter *mensuram*, qua Deo fruemur, plene enim eo potiemur. Propter *tempus*, in æternum enim eo fruemur. Propter *certitudinem*, quia eo perfecte nos frui cognoscemus. Propter *domicilium*, in cœlo enim novo & terra nova eo fruemur. Propter *comites* denique nobis adiunctos, qui sunt angeli & electi.

Specialis enumeratio bonorum vitae aeternae.

§. LIV. Neque vero in generali illa cœlesti beatitudinis descriptione substistendum, sed in *specie* quæ & qualia in vita æterna exspectanda sint præmia, iuxta scripturæ ductum explicandum, ut ad illius desiderium & veræ pietatis studium magis excitemur, qua de re Anshelmus in libro de similitud. cap. 47. sic differit: *Multi homines, quibus nonnunquam boni mores & iusta opera proponuntur, cum, ut se in eis seculi postposita vanitate exerceant, inquirere solent, quamobrem, quo praemio, qua retributione. Respondetur itaque illis, quod scriptum est, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quas praeparavit Deus diligentibus se. Quod cum illi, non clare quid sit, adverter possunt, repetitur hoc ipsum aliis verbis & dicitur eis. Praemium, quod his, qui in hac vita Deo serviunt, in futura vita compensatur, est vita aeterna, beatitudo aeterna, aeterna iucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundum voluntatem & sine omni indigentia. Haec ergo cum illis hoc modo dicuntur, bona quidem & magna, ut sunt, videntur, sed quia non intelligunt, quid in ipsa vita habituri sint, nec subito, quid sit omnium commodorum secundum voluntatem sufficientia & sine omni indigentia, percipere possunt, haerent animo, nec multum efficaci sapore ad audita trahuntur. Quid igitur agendum, ut haec illis aliquatenus sapiant, & sic ad bona opera evigilent? Puerorum more cibandos aestimo eos, qui si aliquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem & oris angustiam ad-*

sum-

sumere nequeunt, si pro illorum capacitate prius non fuerit particulatim divisum. Itaque dividamus in partes magna, quae diximus, ut inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Progrediemur igitur hoc ordine. In bonis vitæ æternæ considerandæ eorum tum *quantitas* tum *qualitas*. Quantitas est vel *discreta* vel *continua*. Ad discretam quantitatem *numerus*, ad continuam refertur *tempus*. Numerus bonorum cœlestium ex *multiplici eorum varietate* colligitur. Varietatem & copiam illam, nullus in hac vita animo complecti, nedum verbis explicare potest, in enim ductum scripturæ secuti in ea explicanda eo usque progrediemur, quo in huius vitæ caligine & infirmitate possumus. Bona vitæ æterna sunt vel στερητικα, *privativa*, vel θετικα, *positiva*, quia scriptura eadem describit tum αποφατικως και αφαιρετικως, *negative*, tum καταφατικως και θετικως, *affirmative*. Erit in vita æterna *absentia omnis mali & praesentia omnis boni*, αναιρεσις παντων κακων, και θεσις παντων καλων και ευεργηματων. Quid enim mali illis adesse ac quid boni illis deesse possit, qui Deum a facie ad faciem vident ac summo & infinito illo bono perfectissime fruuntur? Descriptio negativa illorum bonorum prætermittenda non est, cum ipsa scriptura eadem utatur, cumque in hac vita vix possimus ulterius progredi, quam ut per *viam negationis* felicitatem & gloriam vitæ æternæ utcunque declaremus. Augustinus lib. III. de symbolo ad catechumenos cap. 12. *Facilius possumus dicere, quid non sit in vita illa aeterna, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce diximus, quid ibi non sit. Quid autem ibi sit, vix posse? haec nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

§. LV. Describi autem possunt hæc bona vitæ æternæ privativa tum γενικως tum ειδικως. In *genere* dicimus a beatis omne malum abfuturum, quodcunque nominari vel cogitari potest. Ut enim in inferno est omnis mali præsentia, ita in cœlo erit omnis mali absentia. Ac si vel maxime nullum in cœlo esset bonum positivum, tamen maximi beneficii, imo infiniti boni loco habendum esset, quod pii ab inferni pœnis futuri sint liberi, quia pœnæ illæ ratione æternitatis sunt infinitæ ac *interminabiles*, ratione multiplicis varietatis *innumerabiles*, ratione acerbitatis ac intensionis *inaestimabiles*, ut in præcedenti tractatu ostendimus. Quemadmodum non potest rectius intelligi, quantum bonum sit sanitas, quam si animo & oculis intueamur morbos, quibus alii miris ac miseris modis torquentur; sic non potest melius intelligi, quantum bonum sit vita æterna, quam si miserrimum statum damnatorum consideremus, qui infinita multiplicium malorum varietate divexantur. Isidorus lib. I. sentent. cap. 38. *Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior; ita & sanctorum requies comparata damnationi malorum erit gloriosior.* Quotquot in damnatis describuntur mala, totidem beatis tribuuntur bona, quia a malis illis omnibus beati immunes erunt. In *specie* dicimus, a beatis abfutura *mala culpae & poenae*, mala *peccati & supplicii*, mala *animae et corporis*, mala *interna & externa*, mala αυθαιρετα και

Bona vitae aeternae primariva.

καὶ αυθομεζα, mala *temporalia & aeterna*, adeoque omne, quidquid mali nomine exprimitur. Aberit a beatis *peccatum*, aberunt *peccati causae*, aberunt *peccati poenae*. 1) *Peccatum* est fons omnis mali, quia ob malum culpae creaturae rationales subiiciuntur malis poenae. Atqui aberit a beatis omne etiam minimum peccatum, aberunt omnes peccatorum species. In hac vita pii in carne sua peccati reliquias circumferunt, sed in vita aeterna omnes illae peccati reliquiae perfecte erunt expurgatae ac deletae. In hac vita pii quotidianis infirmitatibus ac naevis sunt obnoxii, sed in vita aeterna nec ignorantiae nec infirmitatis peccata in beatis amplius locum habebunt. Esai. XXX. 26. *Erit lux lunae sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die, qua adligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagae eius sanaverit.* XLIV. 22. *Deleo ut nubem iniquitatem tuam, & quasi nebulam peccata tua.* LX. 18. *Non audietur ultra iniquitas* (ita reddidit vulgata versio, in Hebraeo est חמס, *violentia, rapina*) *in terra tua vastitas & contritio in terminis tuis, vocabis salutem muros tuos, & portas tuas hymnum.* v. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem &c.* Hoc vaticinium ad ecclesiam triumphantem & Hierosolymam coelestem refertur Apoc. XXI. 23. XXII. 5. quia beneficia illa nov. test. de quibus propheta ibidem agit, inchoantur tantum in hac vita, in futura autem erunt perfecta & completa. Ier. L. 20. *In diebus illis & in tempore illo, ait Dominus, quaeretur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum Iuda, & non invenietur.* Ose. XIII. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* Mich. VII. 19. *Mundabit iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Huc referri possunt omnia scripturae dicta, quae de peccati abolitione ac deletione loquuntur, quia peccatum in hac vita mortificari incipit, sed plena peccati abolitio sequetur in vita aeterna. Rom. VII. 17. *Habitat in me peccatum.* v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis huius?*

Aberit a beatis 1) *peccatum.*

§. LVI. 2) *Peccati causae* sunt 1) *carnis corruptio*, 2) *diaboli persuasio.* 3) *mundi seductio.* At hae peccati causae omnes a beatis aberunt, non erit in eis *peccandi voluntas* nec *delinquendi facultas*, erunt enim in bono perfecte confirmati & a peccandi periculo liberati. a) *Carnis corruptio* prorsus erit abolita, nec fomes peccati in corporibus glorificatis amplius locum habebit. In hac vita *caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem*, Gal. V. 17. sed in futura vita caro perfecte subiecta erit spiritui. In hac vita renati adhuc ex parte *carnales sunt*, Rom. VII. 14. sed non *secundum carnem ambulant*, Rom. VIII. 1. sed in futura vita erunt perfecte spirituales. b) *Diaboli insidiae* non erunt amplius beatis metuendae, quia diabolus cum omnibus malis angelis & hominibus impiis in carcere infernali erit conclusus, nec ad coelestia palatia amplius ei patebit aditus. In hac vita *diabolus circuit tanquam leo rugiens, quaerens, quos devoret*, 1 Pet. V. 8. sed in futura vita rictus huius leonis penitus erit occlusus. In hac vita satanas *expetit pios, ut cribret eos sicut triticum*, Luc. XXII. 31. sed in futura vita *tritico a paleis perfecte purgato, & in coeleste horreum recondito*, Matth. III. 12. nihil quidquam moliri poterit. In hac vita

2) *Peccati causae.*

vita *piis est colluctatio adversus principes & potestates, adversus mundi rectores*, Eph. VI. 12. qui *telis ignitis* eos adgrediuntur, v. 16. sed in futura vita cessabit omnis pugna, quia perfecta sequitur victoria. In hac vita modo *aperte & violenter, modo occulte & fraudulenter, semper autem malitiose & crudeliter pios impugnat et persequitur*; Bernhardus serm. III. de sept. panib. col. 183. sed in futura vita tum violentia tum fraudulentia ipsius penitus erit depressa, qua de re testantur hæc scripturæ dicta: Esai. XXVII. 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leviathan serpentem directum, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.* Christus in passione sua pugnavit contra diabolum, contrivit caput infernalis serpentis, per *mortem destruxit eum, qui mortis habet imperium, hoc est, diabolum*, Heb. II. 14. huius beneficii fructus perfecte conspicietur, ac piis continget in vita æterna. Ies. XXXV. 9. *Non erit ibi leo, & mala bestia non adscendet per illam, nec invenietur ibi.* Beati a potestate infernalis leonis plene liberati ambulabunt libere. Rom. XVI. 20. *Deus pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Christus contrivit satanam, ne possit in pugna contra pios prævalere; interim adhuc ipsi permittitur, ut in hac vita tentationibus suis nos oppugnet, sed in die iudicii plene & perfecte sub pedibus piorum conteretur. In hac vita reportant pii victoriam ex pugna, in futura plenarie liberabuntur a pugna. 1 Cor. VI. 3. *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* Tantum abest, ut mali angeli possint suis tentationibus beatos post hanc vitam seducere, ut etiam malos angelos pii sint iudicaturi ac condemnaturi suo tum exemplo tum suffragio. Apoc. XII. 7. *Michael & angeli eius praeliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius.* v. 8. *Et non valuerunt, nec inventus est locus eorum amplius in cælo.* v. 9. *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas &c.* Hæc victoria inchoatur in ecclesia militante, in qua virtute & efficacia Christi per prædicationem evangelii satanas debellatur, ac regnum eius in cordibus hominum destruitur, Luc. X. 18. XI. 22. &c. sed perfecte consummabitur in ecclesia triumphante. Apoc. XX. 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris.* c) *Mundi seductio* non amplius erit beatis pertimescenda, quia in cœlum perfectæ beatitudinis, quietis ac lætitiæ locum erunt translati, ac proinde ab omni deceptionis periculo liberi. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitae*, 1 Ioh. II. 16. sed hic mundus in die iudicii transibit, v. 17. proinde etiam beatos amplius seducere non poterit. In ostio sancti sanctorum depictæ erant *palmae*, 1 Reg. VI. 32. quisquis enim in sancta sanctorum cœlestia est ingressus, victor erit tentationum satanæ, mundi & carnis. In deserto erant tria serpentum genera: *Serpens flatu urens, scorpio pungens, & dipsas siti enecans*, Deut. VIII. 15. sic in deserto huius mundi tria mala nobis sunt infesta. *Scorpio cauda pungens*, hoc est, carnis fallacia. *Serpens flatu urens*, hoc est, hostis malitia, & *dipsas siti enecans*, hoc est, mundi avaritia. Sed quemadmodum Israëlitæ, terram promissam ingressi, ab omnibus illis malis erant liberi; sic beati, in promissam vitæ hereditatem collocati, ab omnibus tentationibus ac seductionibus erunt pacati. In hac vita diabolus clamat, *ego decipiam*; caro clamat, *ego*

de-

deficiam; mundus clamat, *ego interficiam*; sed in futura vita nec diabolus poterit decipere, nec caro deficere, nec mundus interficere. Proinde cum Fulgentio epist. IV. cap. 8. *gemamus & fleamus coram Domino, qui fecit nos, ut a concupiscentia carnis & a concupiscentia oculorum & superbia seculi, quae non est ex Patre, sed ex mundo, liberet nos, & ad illam nos subiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnat ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum, quidquid in nobis est, fiat subditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta & excelsa humilitas, cum & in carne & in mente nostra nulla remanserit prava cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus; nulla erit sollicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis; nulla nobis erit iustitiae indigentia, sed cum delectatione sa-turitas plena. Ibi erimus enim perfecta celsitudine beati, quia perfecta erimus Deo carnis & spiritus humilitate subiecti.*

§. LVII. 3) *Peccati poenae* sunt a) *variae calamitates, dolores, molestiae, adversitates*, quibus in hac vita homines sunt subiecti. Atqui illa omnia aberunt a statu futuri seculi. Psal. CXVI. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* v. 8. *Quia eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.* CXXV. 3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* CXXIX. 4. *Dominus iustus concidet funes impiorum.* Esai. XXV. 8. *Auferet Deus omnem lacrimam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet.* XXXII. 17. *Erit opus iustitiae pax, & cultus iustitiae quies, & securitas usque in sempiternum.* v. 18. *Sedebit populus meus in habitatione pacis, in tabernaculis fiduciae & in requie securitatis.* XXXV. 10. *Fugiet dolor & gemitus.* XLIX. 10. *Non esurient nec sitient, & non percutiet eos aestus & sol, quia misserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum deducet eos.* LXV. 16. *Oblivioni traditae sunt angustiae priores, & absconditae sunt ab oculis nostris.* v. 19. *Non audietur in populo meo ultra vox fletus & vox clamoris.* Apoc. VII. 16. adducitur dictum propheticum Esai. XLIX. 10. *non esurient &c.* Apoc. XIX. 20. XX. 10. *Bestia persequens & pseudopropheta seducens mittentur in stagnum ignis*, ut beatis non amplius sint molesti. XXI. 4. *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Huc pertinent dicta, in quibus *requies & regnum* beatis tribuitur, quia ideo dicuntur futuri in requie, quod ab omnibus molestiis & adversitatibus futuri sint liberi; ideo dicuntur regnaturi, quia ab omnibus hostium impugnationibus erunt immunes. b) *Mors temporalis.* Ab ea vero nullum amplius beatis imminebit periculum, nullus in posterum eius erit metus. Si quae huius vitae felicitas, si aliquod gaudium, illud turbat mortis memoria, quia omnes tandem cogimur morti esse obnoxii, sed in futura vita exstincta penitus erit mortis memoria, adeoque mors erit prorsus mortua. Esai. XXV. 8. *Absorbebit mortem in sempiternum.* Ose. XIII. 14. *De morte liberabo eos, ero pestilentia tua o mors.* 1 Cor. XV. 26 *Novissimus hostis destruetur mors.* v. 54. *Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors victoria.* Apoc. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei*, quod est praesentissimum mortis

3) *Peccati poenae.*

tis alexipharmacum. XXI. 4. *Mors ultra non erit.* c) *Mors aeterna, infernus ac damnatio.* Nec illam metuere cogentur beati, quia hereditatem cœlestem obtinebunt in omnem æternitatem. Ose XIII. 14. *De manu inferni redimam eos, ero lues tua, o inferne.* Luc. XVI. 26. *Magnum chasma firmatum est, ut qui volunt hinc tranfire ad vos, non possint.* 1 Cor. XV. 55. *Vbi est, inferne, victoria tua?* Apoc. II. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* XX. 14. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, haec est mors secunda*, penitus ea sunt deleta & exstincta, ut in electos Dei nullam amplius habeant potestatem, sicut diabolus & omnes ecclesiæ persecutores, qui in lacum ignis sunt proiecti. Quidam μετωνυμικως exponunt de illis, quos mors & sepulcrum reddiderant v. 13.

§. LVIII. De hisce *privativis* vitæ æternæ bonis sic loquuntur pii veteres: Lib. II. oracul. Sibyllin.

ουκ εαρ, ουχι θερος, ου χειμων, ου μετοπωρον,

ου γαμος, ου θανατος, ου πρασεις, ουδ αγορασμοι,

ου δυσις αντολιη. ποιησει γαρ μακρον ημαρ.

Dicta veterum de privativis vitae aeternae bonis.

Athanasius serm. III. contra Arian. *Omnia in omnibus erit Christus. Vbi porro Christus, quod genus metus ac periculi erit?* Basilius homil. in Psal. CXIV. *Ea viventium beata regio, in qua non nox, non somnus, mortis imitatio quaedam, non cibus aut potus humanae infirmitatis praesidia, non praeterea morbus, non dolor aut medicina, vel indicia, seu mercatus, non artes, non pecunia, malorum origo, bellorum materia, inimicitiae radix, sed regio viventium, non morientium ob peccatum, sed veram vitam viventium in Christo Iesu.* Ephremus de compunct. cordis cap. 8. *Plorate fratres in conspectu Domini, ut gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, ubi fugatur dolor, tristitia & gemitus, ubi nec lacrimis aliquis nec pœnitentia indiget, ubi non est timor & tremor, ubi non est mors & corruptio, ubi non est adversarius & impugnator, ubi non est exacerbatio inobedientiae, & ira contentionis, ubi non est odium & inimicitiae, sed omnino gaudium, & laetitiae & exsultatio, & mensa spiritualibus cibis plena &c.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum lapsum: *Nullus illic calumniator timendus, nullae daemonum insidiae, nullae minae, nulla mors, nec ea, qua hic exstinguimur, nec altera, quae hac multo est acerbior, omnis harum rerum exspectatio desit.* Idem homil. VI. in epist. ad Hebræos in morali: *Revera est illa requies, ubi aufugit dolor, tristitia & gemitus, ubi neque curae, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens & quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic*: in sudore vultus tui vescēris pane tuo; *neque sunt spinae, neque tribuli. Non est amplius*; in doloribus paries filios tuos &c. *Omnia sunt pax, gaudium, laetitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic aemulatio & invidia, non morbus, non haec mors corporis, non illa animae, non sunt tenebrae neque nox. Omnia sunt dies, omnia lux, omnia sunt mitia ac mansueta, omnia splendida. Non potest capi satietas, semper erimus in perpetuo bonorum desiderio &c.* Cyrillus Alexandrinus lib. XII. in Ioh. cap. 58. *Nos dicimus nullas corruptionis reliquias, nullum stigma, nulla consequentia vel antecedentia post resurrectionem*

nem in hominibus futura. Eucherius homil. I. de epiph. Dom. *Veniet tempus illud exſpectatiſſimum ac beatiſſimum, in quo nobis ad ſerviendum Deo noſtro nulla iam obſiſtat infirmitas, nulla contradicat miſerae carnis adverſitas, nulla ulterius remaneat pugnandi neceſſitas. Veniet, inquam, tempus illud, quando iam nulla deſideretur cibi ſomnique refectio, nulla ſentiatur ieiunii laſſitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo vel de hoſte tentatio, ſed adverſario in inferni profunda contruſo perfruemur hac primum felicitate, ut incipiamus nec velle ultra peccare, nec poſſe, ceſſante omni iniquitate, omni miſeria, omni mœrore, totum innocentia, totum laetitia, totum felicitas poſſidebit. Nullam inferior miſeriam, nullam felicior timebit invidiam, quia exinanita & penitus exſtincta omni malignitate tranſibit in pectora hominum claritas angelorum, quibus admixti homines iam cœleſtes recepta carne ſine carnis infirmitate fulgebunt & ideo nullum ulterius patientur de ſempiterna Domini ſervitute faſtidium, nullum ſub perenni laudum ſuarum exſultatione defectum.* Auguſtinus lib. III. de ſymb. cap. 11. *Facilius poſſumus dicere in illa vita aeterna, quid ibi non ſit, quam quid ſit. Non eſt ibi mors, non eſt ibi luctus, non eſt ibi laſſitudo, non eſt infirmitas, non eſt fames, nulla ſitis, nullus aeſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœſtitia, nulla triſtitia.* Serm. LXIV. de verb. Domini ſecundum Iohan. *Non erit ibi laſſari & dormire, non erit ibi eſurire & ſitire, non ibi erit creſcere & ſeneſcere, quia nec naſci erit, ubi numeri integri manent.* Alcimus lib. II. de pecc. orig. *Ceſſabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas, fraus, dolor, atque dolus, mœror, diſcordia, livor. Nullus egens, nullus cupiens &c.* Proſper de vita contempl. lib. I. cap. 4. *Nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt.* Smaragdus in regulam Bened. in expoſ. prologi: *In vita aeterna non eſt fletus, nec ullus poteſt eſſe gemitus, ibi habebunt omnes ſancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudium ſempiternum. Ibi enim erit eis voluntas certa, cupiditas nulla, quia fruentur bonis cœleſtibus, ad quae pervenire cupiebant. Nihil eis deerit, quod ulterius concupiſcant, & in illa regione perpetuae ſecuritatis ac pacis perfectae nec timoris ſtimulos paſſuri ſunt nec dolores.*

§. LIX. Bona vitae æternæ θετικα ſeu *poſitiva* quidam revocant ad tres claſſes, videlicet ad *Dei viſionem, dilectionem & glorificationem*, cuius diſtributionis fundamenta petunt 1) ex *tribus ſummorum bonorum generibus*, naturæ rationali in prima creatione a Deo attributis, videlicet *ſapientia*, ſeu agnitione Dei perfecta & omnibus numeris abſoluta ſine errore & ignorantia; *iuſtitia*, ſeu obedientia erga Deum iuxta legem integra ſine peccato, quæ Deo maximopere placuit; & *laetitia cordis* in Deo, tanquam ſummo bono, ſuaviſſime adquieſcentis, quæ comes fuit priorum duorum beneficiorum individua. 2) Ex *oppoſitis tribus gradibus* pœnarum, mortis & damnationis æternæ, qui ſunt *tenebrae*, ſeu caligo perpetua; *odium Dei* & eccleſiæ ασπονδον, ſeu furor peccandi diabolicus; & *cruciatus* nunquam finiendus. 3) Ex *dicto Auguſtini*, quo libri ultimi de civitate Dei caput ultimum concludit: *Ibi Deum ſine fine videbimus, ſine faſtidio amabimus, ſine defatigatione laudabimus.* Nos σαφηνειας και ευμεθοδειας cauſa hoc modo progredimur: Bona vitæ æternæ θετικα, ſive poſitiva diſtingui poſſunt in *bona interna*, quæ beati in ſemetipſis ſentient, & *externa*,

Bona vitae aeternae poſitiva.

terna, quæ in ſociis beatitudinis intuebuntur, quorum intuitu bona interna augmentum capient, quæque ratione externi domicilii percipient. 1) *Interna bona* ſunt vel *totius compoſiti* vel *alterutrius partis*, animæ ſcilicet vel corporis; *bona totius compoſiti* vocamus ea, quæ ad animam & corpus beatorum pertinent, quamvis ad animam *primario & originaliter*, ad corpus *ſecundario & conſequenter*; bona *alterutrius partis* accipienda ſunt non *excluſive*, quaſi a bonis animæ penitus ſeparatum futurum ſit corpus & a bonis corporis prorſus ſeparanda ſit anima, ſed *incluſive & ſubordinate*. Cum enim inter animam & corpus arctiſſima futura ſit unio, ideo oritur ex ea talis communicatio, qua bona animæ redundabunt in corpus, & vice verſa bona corporis redundabunt in animam. Inter bona interna 1) totius compoſiti eminet a) *beata & beatifica Dei viſio*, quam electis in vita æterna competere ſequentia ſcripturæ dicta oſtendunt: Iob. XIX. 26. *In carne mea videbo Deum*, v. 27. *quem viſurus ſum ego mihi, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alienus.* Hoc dictum non eſſe accipiendum de viſione Dei, quæ in hac vita Iobo obtigit, ſed de ea quam poſt reſurrectionem ſperavit, ex contextu oſtendimus in tract. de reſurr. §. IX. Pſal. XI. 7. ישר *rectum*; (per heteroſin numerorum recti, ut exponunt rabbini) *videbunt faciem eius.* Pſal. XVI. 11. *Saturitas lætitiarum eſt cum vultu tuo.* XVII. 15. *Ego in iuſtitia videbo* פניך, *faciem tuam.* חזה, quando cum ב conſtruitur, quod ſit hoc loco, non ſignificat nude ac ſimpliciter intueri, ſed *cum quadam delectatione & voluptate ſpectare*, Pſal. XXVII. 4. *Ad videndum in amœnitate Domini.* Mich. IV. 11. *Videbit in Sion oculus noſter*, hoc eſt cum voluptate ſpectabit, id quod voluit, optavit & exſpectavit, quæ ſignificatio pulchre huic loco congruit, פנים *plurale* tantum ſignificat *faciem & perſonas*, ſed prior ſignificatio uſitatior eſt, in qua etiam hoc loco uſurpatur. Pſal. XXVII 13. *Credo, me viſurum bona Domini in terra vidientium.* XXXVI. 10. *Quoniam tecum vena vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.* In quem locum ſic commentatur Auguſtinus in ſoliloquiis cap. 36. *Tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen, te ſcilicet in te, in ſplendore vultus tui, quando te videbimus a facie ad faciem.* XLII. 3. *Quando erit ut videam faciem Dei*, non ſolum in eccleſia militante, in qua Deus per verbum ſeſe revelat, ſed etiam ac vel maxime in eccleſia triumphante? Matth. V. 8. *Beati mundo corde, quia Deum videbunt.* Sicut mundities cordis in hac vita nondum eſt perfecta. Eſai. LXVI. 18. *Venient & videbunt gloriam meam.* Auguſtinus lib. I. de Trinit. cap. 8. refert huc dictum Pſal. V. 4. *Mane adſtabo tibi, & contemplabor. Cum tenebrae mortalitatis noſtrae tranſierint*, inquit, *tunc erit illud, mane noſtrum.* Et Pſal. XCI. 16. *Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam ei ſalutare meum.* In futura autem perficietur; ſic viſio Dei in hac vita inchoatur, in futura conſummabitur. Sicut in ſpeculo lucido ac perpurgato imago facile conſpicitur; ſic in corde puro Dei facies relucet. Hieronymus lib. III. adv. Pelag. *Mundum cor, quod poſtea viſurum ſit Deum, in umbra poſſidemus & imagine.* Ioh. XIV. 21. *Qui diligit me*, inquit Chriſtus, *diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* XVII. 24. *Volo, ut ubi ego ſum, etiam illi ſint mecum, ut videant claritatem, quam*

1) *Interna*, 1) *totius compoſiti*, a) *Dei viſio.*

dedisti mihi. 1 Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Iustinus in ἐκθ πιστ. pag. 298. δι ἐσοπτρου και εν αινιγματι βλεπειν το αμυδρον tenuitatem & obscuritatem visionis significare παραινισσεσθαι, adserit. Quemadmodum enim perquam tenuiter & imperfecte res corporeas adspiciunt, qui imagines earum in speculo intuentur; sic in hac vita Deum & divina mysteria imperfecte, & quasi per speculum cognoscimus. Speculum illud sunt verbum, sacramenta & creaturæ, hoc est, *liber scripturae & liber naturae*, sed huic speculari & ænigmaticæ cognitioni intuitiva notitia in vita æterna succedet. 2 Cor. III. 18. *Nos omnes retecta facie gloriam Domini intuentes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu.* In quem locum sic commentatur Chytræus lib. de vit. & mort. p. 159. *In vita aeterna primum penitus remoto velo ignorationis Dei & densissimarum tenebrarum, quibus in hac vita circumsepti sumus, glorioſissimam faciem Domini Dei Zabaoth aeterni Patris, & Filii ipsius Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti lucem essentiam, bonitatem, sapientiam, iustitiam, omnipotentiam, veritatem & amorem inprimis ac misericordiam erga miserum genus humanum plusquam paternam, in clara & illustri luce retectam & oculis beatorum subiectam facie ad faciem intuentes in eamdem imaginem, ad quam initio conditi eramus, integre ac perfecte transformabimur, simili luce experte omnis caliginis, sapientia sine errore, iustitia sine omni peccato, laetitia sine omni mœrore & vita sine morte, qualis in ipso Deo, palamin nobis habitante & lucente fulget, complebimur, & de gloria seu luce fidei in gloriam seu claritatem visionis aeternae transferemur.* 2 Cor. V. 7. *Per fidem ambulamus*, in hac vita, *& non per speciem*, quod in futura demum vita sequetur. Heb. XII. 14. *Sine sanctimonia nemo videbit Deum*, in vita æterna. 1 Ioh. III. 2. *Cum adparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum, sicuti est.* Apoc. XXII. 4. *Servi eius servient illi, & videbimus faciem eius.*

§. LX. De hac visione Dei in vita æterna omnibus beatis exspectanda notandum est, 1) eam referri inter *bona electorum interna*, quia visio Dei cum fruitione illius summi boni & communione cum eo erit coniuncta. Neque enim eo modo electi videbunt Deum, quo in hac vita homo hominem intuetur, ex quo intuitu mere externo aliquid forte *voluptatis*, sed nihil vel parum *utilitatis* percipit; sed Dei visio erit vel maxime interna & intima summam non solum lætitiam ac voluptatem, sed etiam omnium bonorum congeriem electis adferens. Cum enim Deus sit *summum bonum*, ideo visio adfert eximia & inenarrabilia bona. Vnumquoque bonum, quo maius ac præstantius est, eo magis est sui *communicativum ac diffusivum*, quia ergo Deus est summum bonum, ideo per sui visionem suum bonum, suum gaudium, suam dulcedinem in summo gradu electis communicat. Nec in cœlo nec in terra maius bonum quam Deus. Ergo nec maius gaudium, quam Deum videre, Deum possidere. Obscura & imperfecta illa Dei cognitio, quæ in hac vita per verbum & Spiritus sancti illuminationem contingit, est interna, & divinæ naturæ nos κοινωνους efficit, 2 Pet. I. ut cum ipso dicamur habere κοινωνιαν 1 Ioh. I. 6. quanto magis *intuitiva Dei visio*, quæ clarissimam & perfectissimam Dei cognitionem complectitur, erit interna, ac in κοινωνιαν longe uberiorem & arctiorem cum Deo nos re-

po-

ponet? Inde manifestationem illam, quæ in vita æterna sequetur, Christus exponit per μονην, sive *mansionem* Patris cœlestis adeoque totius sacrosanctæ Trinitatis in electis, Ioh. XIV. 23. 2) Eam statui *bonum totius compositi*, quia ad animam & corpus beatorum pertinet. Quamvis enim adhuc controversum sit, an beati oculis corporeis glorificatis ipsam Dei essentiam sint visuri, qua de re in quæstionibus aliquid monebitur; certum tamen est, beatos corporeis suis oculis Christum, verum Deum & hominem visuros, ac proinde a Dei visione beatorum corpora non possunt penitus excludi. Ioh. XIV. 9. *Qui videt me*, ait Christus, *videt Patrem*, v. 10. *quia ego in Patre & Pater in me est.* Visio ergo Dei ad cognitionem intellectualem habet se ut *genus* ad *speciem* sive *totum* ad *partem*; inde pii veteres beatis triplicem visionem tribuunt, *corporalem*, qua visuri sunt Christi humanitatem & sanctos in corporibus glorificatis ac cœlum novum & terram novam; *spiritualem*, qua visuri sunt angelos & animas beatorum; *intellectualem*, qua visuri sunt ipsum Deum. 3) Eam statui *praecipuum & maximum beatorum bonum* tum ratione *obiecti*, quia versatur circa Deum, qui est summum & infinitum bonum, extra quem & præter quem non est verum bonum, qui est fons omnis boni ac proinde etiam omnis beatitudinis; tum ratione *effecti*, quia ex visione Dei omnia beatorum bona unice oriuntur ac dependent. Quemadmodum enim ex eo, quod angeli in cœlis dicuntur διὰ παντος *videre faciem Dei*, *qui in cœlis est.* Matth. XVIII. 10. recte colligitur, quod vivant in summa lætitia ex hac Dei visione in ipsos redundante, quod Deum laudent & glorificent, quod mysteria divina perfecte cognoscant, quod sint in bono confirmati, quod Deo serviant &c. ita quoque ex eo, quod beati in vita æterna Deum dicuntur visuri, recte infertur, quod ex illa visione Dei dilectio & glorificatio, summa delectatio & exsultatio, adeoque omnia reliqua corporis & animæ bona sint exoritura, ut in progressu plenius & in specie ostendetur. Augustinus quæst. 114. in Genes. *Dei visio summum erit beatorum praemium.* Deus est *summa dulcedo*, summum gaudium; utique ergo ex visione Dei in beatis oritur summum & ineffabile gaudium. Deus est *ipsa vita*, *ipsa lux*, *ipsa beatitudo essentialis*; ergo ex visione Dei electi participant vitam, lucem & beatitudinem. Summum bonum per visionem cognitum non potest non amari, quia hæc est natura boni, ut ad sui amorem adliciat; ergo ex visione Dei oritur in beatis summa dilectio Dei. Summum bonum cognitum & amatum non potest non laudari, prædicari & glorificari, quia quod quis amat, illud etiam laudat & glorificat; ergo ex visione & dilectione Dei orietur in beatis eiusdem glorificatio. Qui Deum intuitive videt & cognoscit, is etiam divina mysteria cognoscit, quia perfecta Dei cognitio complectitur etiam voluntatis & sapientiæ divinæ cognitionem; utique ergo ex Dei visione divinorum mysteriorum scientifica cognitio orietur. Qui Deum intuitive cognoscit, in bono confirmatus est, quia a summo bono perfecte cognito voluntarie nunquam se avertit; ergo ex Dei visione orietur electorum in bono confirmatio, quod nec voluntatem nec facultatem peccandi ulterius sint habituri, ut adparet in sanctis angelis. Qui Deum a facie ad faciem videt, is etiam coram throno eius stans ipsi servit, Apoc. VII. 9. un-

de in scripturis proceres & ministri regii *faciem regis videre* dicuntur, quia ad mandata eius exsequenda regi praesto sunt, ac dilectio ex visione Dei in beatis orta efficit, ut ad quævis obsequia promti sint ac parati; ergo etiam ex Dei visione oritur promtitudo ad Dei servitium & cultum. 4) Eam coniunctam fore *cum singulari Dei favore & gratia*. *Facies Dei* in scripturis significat non solum gratiam & favorem, sed etiam iram ac furorem, Levit. XVII. 10. XXVI. 17. 2 Thessal. I. 9. &c. proinde ut intelligatur, visionem faciei divinæ significationem favoris, gratiæ & clementiæ includere, ideo Psal. XXXVI. 10. dicitur, quod *beati in lumine Dei visuri sint lumen*; iam vero lumen faciei semper notat favorem ac gratiam, Numer. VI. 25. Psal. IV. 7. XXXI. 17. LXVII. 2. CXIX. 135. &c. qua de re in disput. de benedictione ecclesiastica Numer. VI. plenius egimus. Quemadmodum in hac vita est signum eximii amoris ac favoris, si rex vel princeps in secretius conclave ad videndum faciem suam aliquem admittat, familiariter cum ipso conversetur, ac sereno, læto ac lucido vultu eum intueatur, Prov. XVI. 15. *In hilaritate vultus regis vita*, Hebræum *in luce faciei*, vel *cum illuxerit facies*; sic visio divinæ faciei arguit, Deum beatos summo amore complecti, familiarissime & suavissime cum illis conversari, imo in illis & cum illis habitare, *ut sint populus eius, & ipse sit Deus eorum*, Apoc. XXI. 3. 5) *Eam esse bonum vitae aeternae proprium*. Exod. XXXIII. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum*, hoc est, post hanc vitam ostendam tibi meipsum, in quo continetur omne bonum, ostendam autem perclaram visionem, nam in hac vita *non poteris videre faciem meam*, sed duntaxat *posterora mea videbis*. 1 Cor. XIII. 12. *Videmus nunc*, in hac vita, *per speculum in aenigmate*, *tunc autem*, in futura vita, *a facie ad faciem*. 2 Cor. V. 7. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*, quod tunc demum nobis obtinget, quando *praesentes erimus ad Dominum*, v. 8. 1 Ioh. III. 2. *Cum adparuerit*, (Christus in die extremo 1 Ioh. II. 28. vel cum patefactum fuerit id, quod erimus, utroque enim modo verbum φανερωθῇ exponi potest) *tunc videbimus eum sicut est*. Eo quidam interpretes putant apostolum respexisse, quando 1 Cor. XIII. 13. charitatem fide maiorem statuit, quia scilicet fide cessante charitas duratura est in vita æterna. *Fidei enim succedet visio ac spei fruitio*, hoc est, fides transibit in notitiam intuitivam & rei præsentis adspectum, sicque mutabit suam speciem ac naturam, quod charitati non congruit, quae eamdem naturam retinet, licet ratione graduum augeatur ac perfectior reddatur. Chrysostomus homil. XXXIV. in 1 Corinth. *Charitas maior fide & spe, quia transeunt hae, illa durat*. Anshelmus in comm. eiusdem loci: *Fides cessabit, dum futura, quae creduntur, advenerint, & spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisque praestolatur, acceperit, sola vero charitas in aeternum perseverabit, & de visione conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit*. Neque huic adsertioni repugnat, quod Iacobus patriarcha Gen. XXXII. 30. *Dominum a facie ad faciem* in hac vita vidisse, & Exod. XXXIII. 11. ad Mosen, Deut V. 4. ad Israelitas Deus *a facie ad faciem locutus* dicitur; illud enim de adparitione Filii Dei in forma humana ad tempus adsumta, ac de familiari & amica conversatione Dei cum homine, qualis in hac vita locum habere potest, accipiendum: de intuiti-

tiva enim ac beatifica visione dicit ipse Dominus ad Mosen Exod. XXXIII. 20. *Non poteris videre faciem meam.* v. 23. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Proinde manet peculiare ac proprium æternæ vitæ bonum, quod electi sint Deum visuri αυτοπροσωπως, eumdemque audituri αυτοφωνως. 6) Denique promissionem de visione Dei in vita æterna beatis exspectanda, quæ est caput reliquarum promissionum omnium, non everti oraculo divino: Exod XXXIII. 20. *Non videbit me homo & vivet.* Neque enim absolute & simpliciter dicit Dominus: *Non vidit me homo*, sed addit conditionem, *& vivet*, hoc est, quamdiu in his terris vivit, ut sit sensus, in statu huius vitæ nemini beata & beatifica illa visio obtingere poterit. Gregorius lib. XVIII. moralium cap. XXXVII. sic exponit: *Nullus Deum spirituali ter videt, & mundo carnaliter vivit, non enim possumus simul frui Deo & mundo.* Sed hoc a literali sensu longius recedit.

Dicta veterum de Dei visione.

§. LXI. De visione illa Dei beatifica, & communione beatorum cum Deo, sic loquuntur veteres: Dionysius de div. nominib. cap. I. *Tunc vero quando incorruptibiles immortalesque facti erimus, & ad imaginem Christi beatissima dignati requie, semper* (ut scriptum est) *cum Domino erimus visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porro spiritualis ipsius & intelligibilis lucis (mente perturbatione omni & materia libera) participes facti, eius qui sensum omnem superat, unionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis iactibus erimus super cœlestes spiritus &c.* Irenæus lib. VI. adv. hæres. cap. XXXVII. p. 267. *Potens est in omnibus Deus visus quidem tunc per spiritum prophetiae, visus est autem & per Filium adoptive, videbitur autem & in regno cœlorum paternaliter, Spiritu quidem praeparante hominem in filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptibilem donante in vitam aeternam, quae unicuique evenit ex eo, quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem eius recipiunt; sic & qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes eius claritatem. Vivificat autem eos claritas, percipiunt ergo vitam, qui vident Deum &c.* Idem lib. V. cap. 10. p. 325. *Faciem nostra faciem Dei vivi videbit, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cum suum videat gaudium.* Cap. 11. *Si igitur nunc habentes pignus Spiritum Dei clamamus Abba Pater, quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem Deum videbimus? &c. Si pignus complectens hominem in semetipsum iam facit dicere Abba Patrr, quid faciet universa Spiritus gratia, quae hominibus dabitur a Deo? similes nos ei.* Cap. XXII. p. 355. *Quicunque erga Deum custodiunt dilectionem suam his praestat communionem. Communio autem Dei vita & lumen & fruitio eorum, quae sunt apud eum, bonorum.* Hilarius in Psalm. LX. *Sunt ergo in se vota, quae reddet tum, cum lumen viventium fit in eodem viventium lumine Deo ipse placiturus.* Nazianzenus orat. IV. de theol. Μηκετι πολλα οντες, ωσπερ νυν τοις κινημασι και τοις παθεσιν, μδεν ολως θεε η ολιγον εν ημιν αυτοις φερωντες αλλ ολοι θεοειδεις, ολα θεε χορηγικοι και μονα, τυτο γαρ η τελειωσις, προς ην σπευδομεν. *Non amplius multa existentes, ut nunc, variis animorum motibus & adfectibus iactitati, nihil omnino Dei, aut parum in nobis habemus, sed toti Deo simi-*

similes & conformes totiusque Dei capaces futuri sumus, haec enim est perfectio, ad quam tendimus. Idem in carminibus:

ἐν μονον ανθρωποισι καλοντε και εμπεδον εστι,

ανθεν αφορμασθαι και θεον αυτον οραν.

Idem in orat. ad Patrem ob grandinis calamitatem: *Beatos lux excipiet ineffabilis*, (το αφραστον φως) *& sanctae ac regiae Trinitatis contemplatio radios suae lucis illustrius & purius in mentes nostras spargentis, & toti menti totaliter commixta, quam ego solam regnum caelorum potissimum arbitror.* Idem iambico 15 *Felicitas quid? vivere beatum.*

Quid & caeleste regnum? visio summi Dei.

Gregorius Nyssenus lib. de virginit. Το καταξιωθηναι τον θεον ιδειν πασης ελπιδος η κορυφη, και πασης επιθυμιας και των αρρητων αγαθων το περας και κεφαλαιον. *Dignitas videndi Deum supremum omnis spei fastigium, & omnis desiderii ac bonorum ineffabilium finis, caput & summa est.* Serm. VI. de beatitud. Ο τον θεον ιδων παν οπερ εστιν εν τω των αγαθων καταλογω δια το ιδειν εχει, την ατελευτητον ζωην, την αιδιον αφθαρσιαν, την αθανατον μακαριοτητα, την ατελευτητον βασιλειαν, την αληκτον ευφροσυνην, το αληθινον φως, την πνευματικην τε γλυκειαν τροφην; την απροσιτον δοξαν, το διηνεκες αγαλλιαμα, το παν αγαθον. *Qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit, adeptus est. Vitam sine fine, aeternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, laetitiam continentem, spirituale ac dulce nutrimentum, gloriam inaccessam, perpetuam exsultationem, omne denique bonum.* Ambrosius in comm. 1 Cor. XIII. *Cognoscam sicut & cognitus sum, hoc est, videam, quae promissa sunt, sicut videor, hoc est, praesentem esse ad Deum, ubi Christus est.* Augustinus lib. de spiritu & anima cap. 55. *Visio Dei est tota vita aeterna. Si mali Dei faciem viderent, poenis caderent.* Lib. I. de Trinit. cap. 8. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, hoc est, in similitudinibus, tunc a facie ad faciem. Hac enim nobis contemplatione promittitur actionum omnium finis atque aeterna perfectio gaudiorum.* Et postea: *Hoc est plenum nostrum gaudium, quo amplius non est, frui scilicet Trinitate Deo, ad cuius imaginem facti sumus.* Lib. X. de civit. Dei cap. 16. *Illa namque visio Dei tantae pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praeditum atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* In meditat. cap. XXII. *O tu vita, quam praeparavit Deus his, qui diligunt eum, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitae cibo mens sine defectu satiatur.* Cap. XXVII. *Quis dicere vel cogitare sufficiat, quae sit in angelis* (& beatis hominibus) *sine fine festivitas visionis Dei, quae laetitia sine defectu, quis amoris ardor non erucians, sed delectans? quod sit in eis desiderium visionis Dei cum satietate & satietas eum desiderio, in quibus nec desiderium poenam generat, nec satietas fastidium parit? quomodo inhaerendo summae beatitudini sint beati? quomodo coniuncti vero lumini facti sunt lux? quomodo semper adspicientes incommutabilem Trinitatem, mutati sunt in incommutabilitatem?* Et postea sub finem: *Nihil tam pulchrum ac iucundum, quam ipsum solum mentis intuitu & cordis aviditate contemplari Deum, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841236-p0394-7

lem, ficque aliam non iſtam guſtare dulcedinem, & inſpicere aliam non iſtam lucem. Lux enim iſta, quae loco clauditur; tempore finitur, noctium interruptione variatur, & quam communem cum vermibus & pecoribus habemus, in comparatione illius ſummae lucis non lux dicenda eſt, ſed nox. Cap. XXVIII. *Illa ſumma & incommutabilis eſſentia, lux vera, lux indeficiens, lux angelorum a nemine conſpici valet in hac vita, quod ſolum praemium ſanctis reſervatur in cœleſti gloria.* In ſoliloq. cap. XXXVI. *Cum pervenerimus ad te, ſapientiae fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inexſtinguibilem, ut te non iam per ſpeculum in aenigmate, ſed facie ad faciem videamus, tunc ſatiabitur in bonis deſiderium noſtrum, quia nihil erit exterius, quod deſideretur, niſi tu Domine ſummum bonum, qui eris praemium beatorum, & diadema decoris eorum, & laetitia ſempiterna ſuper capita eorum &c. Videbimus in lumine tuo lumen. Quale autem lumen? lumen immenſum, lumen incorporeum, lumen incorruptibile, lumen ineomprehenßibile, lumen indeficiens, lumen inexſtinguibile, lumen inacceſſibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum, quod illuminat oculos angelorum, quod aetificat iuventutem ſanctorum, quod eſt lumen luminum & fons vitae, quod es tu Domine Deus meus &c. Quid eſt videre facie ad faciem, niſi quod,* ait apoſtolus, *cognoſcere, ſicut & cognitus ſum, cognoſcere veritatem tuam & gloriam tuam, hoc eſt, cognoſcere faciem tuam? Cognoſcere Patris potentiam, Filii ſapientiam, Spiritus ſancti clementiam, ipſius ſummae Trinitatis unam & individuam eſſentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc eſt ſummum bonum, gaudium angelorum atque omnium ſanctorum, praemium vitae aeternae, gloria ſpirituum, laetitia ſempiterna, corona decoris, bravium felici totis requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum & externum gaudium, paradiſus Dei, Hieruſalem cœleſtis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium aeternitatis, pax Dei, quae exſuperat omnem ſenſum. Haec eſt plena beatitudo & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei ſui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui ſalvavit eum, & qui glorificavit eum.* De ripl. habit. cap. IV. *Si Dei faciem omnes carcere inferni incluſi viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque triſtitiam ſentirent. Dei praeſentia, ſi in inferno cum ſanctis habitatoribus adpareret, continuo infernus in amœnum converteretur paradiſum &c. Cum angeli ab initio mundi mirabilia Dei ſoliti ſint videre, inde hodie non minus mirantur ea, quam in primo die, alioquin dudum coram angelis adſiduo videndi uſu vileſcerent.* Serm. LXIV. de verb. Domini ſecundum Iohannem: *Erimus illic ſalvi, erimus incolumes, erimus viventes, erimus ſine pœnis, erimus ſine fame & ſiti, erimus ſine defectu, erimus ſine orbitate oculorum noſtrorum. Totum hoc dixi, & quid habebimus plus? nondum dixi: Videbimus Deum. Hoc autem tantum erit & tanta res erit, ut eius comparatione nihil ſit totum.* Diſcipulus de tempore adlegat dictum Auguſtini, quod *Deum videre ita ſit delectabile, ut potius velit eſſe in inferno & Deum videre, quam in cœlo & eius viſione carere.* Beda in Marci XII. *Sicut angeli in cœlis erunt, ita & erunt ſancti, qui gloria reſurrectionis innovati abſque ullo mortis metu, abſque ulla labe corruptionis perpetua Dei viſione fruentur.* Idem in Marci XI. *O quanta felicitas, deitatis viſioni inter angelorum choros adeſſe perpetuo, ſi tanta tranſigurata Chriſti humanitas duorumque ſocietas ſanctorum ad punctum viſa delectet, ut eos, ne deſcendant*

dant, etiam Petrus obsequio sistere velit. Gregorius in homil. super illud Iohan. X. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. *Ingredientur ad fidem, egredientur autem a fide ad speciem, pascua autem invenient in aeterna refectione. Oves eius ergo pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, aeterno viriditatis pabulo nutritur. Quae autem sunt istarum ovium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? pascua namque electorum sunt praesens Dei cultus, qui cum fine defectu conspicitur, sine fine mens vitae cibo satiatur. In istis pascuis de aeternitatis satietate laetantur, quia iam laqueos voluptuosae temporalitatis evaserunt.* Damascenus lib. ultimi de orth. fid. cap. ultimum sic concludit: *Qui bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum angelis in vitam aeternam, cum Domino nostro Iesu Christo, ipsum videntes semper, ab eoque cernentur, & incessabili, quae ab eo est, laetitia perfruentur.* Prosper lib. I. de vit. contempl. cap. IV. *Quod hic crediderunt electi, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, aeterna exsultatione gaudebunt, divina ac mutua dilectione possessi Deo suo in aeternum & invicem sibi feliciter adhaerebunt.* Alcuinus lib. III. de beat. sanct. cap. XXII. *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. Haec est absque omni perturbatione beata Dei pax, quae exsuperat omnem sensum, in qua videbitur Deus Deorum in Sion, hoc est, in speculo perpetuae quietis.* Bernhardus de medit. cap. IV. *Omnes delectantur de Deo, cuius adspectus pulcer, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad praemium, nec extra illum quidquam quaeritur, quia totum in illo invenitur, quidquid desideratur. Semper libet eum adspicere, semper habere, semper in illo delectari, & illo perfrui &c. Ibi videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis eius. Videbimus gloriae decorem, sanctorum splendorem & regiae potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam, & ita habebimus notitiae summae illius Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus, tunc vero ipsam Trinitati puro mentis intuitu videbimus. O beata visio videre Deum in seipso, videre in nobis & nos in eo felici iucunditate & iucunda felicitate &c. Haec erit summa illius contemplationis, haec erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana divinitatis, videbitur & amabitur Deus, & haec visio & delectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio.* Idem: *Tripliciter in aeterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter iucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes Trinitatem.* Hugo in evang. Dom. resurrect. *Beatitudo principaliter consistit in cognoscendo & amando Deum & possidendo. Anima per essentiam Deum cognoscet, & non per aliquam similitudinem, & ipsum perfecte amabit tanquam summum bonum, & perfecte possidebit in se tanquam proprium & intrinsecum bonum.* Lutherus in enarr. I Cor. XV. *In futuro seculo tantum in Deo habituri sumus, ut nulla coena, quamlibet delicate & opipare instructa, tantum praebitura sit nobis voluptatis, quantum Deus ipse unico intuitu nos delectabit & adficiet. Itaque semper sanus & validus, semper laetus & alacris, neque non sole & luna pulchrior*

chrior & nitidior permanebis, adeo ut vestes aureae atque purpureae, quas reget atque caesares ferre solent, pro luto & stercore ducendae sint, si cum uno adspectu, quo Deus nos illustrabit, comparatae fuerint. Refero huc locum pulcerrimum ex Scaligero exerc. CCCVII. sect. XXVI. *Beatitudo est fruitio summi boni, sed quid est fruitio? participatio. Quomodo participatio. Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abscedit ab illo illa pars, ut huic communicetur, sed hoc eum illo unum, quo potest modo fit. Quo potest modo? potestne finitum unum fieri cum infinito? non hoc, quo illud infinitum est, sed quo bonum, hoc finitum fit cum illo unum per similitudinem. Hoc de ea beatitudine, quae in subiecto est, & qua subiectum fit beatum. Fit ergo, quia una fit beatitudo cum illa beatitudine, quae neque in subiecto illo est, neque ipsa subiectum ullum.*

Explicatio dicti 1 Cor. XV. 28. Deus erit omnia in omnibus.

§. LXII. Omnium vero rectissime & plenissime apostolus explicat, quantum bonum futurum sit Dei visio, quando 1 Cor. XV. 28. *Deum omnia in omnibus fore*, pronunciat. Plura quidem in his verbis continentur, quam humanus intellectus in hac vita adsequi possit; interim ut aliquo duntaxat modo, ac ut philosophi loquuntur νοϑω λογισμω summam illam beatitudinis perfectionem exprimamus, progredimur hac ratione, ut statuamus Deum in vita aeterna fore omnia in omnibus. 1) Ratione *agentis immediati.* In hac vita *operatur* omnia in omnibus, 1 Cor. XII. 6. sed tunc *erit* omnia in omnibus. Dixerat apostolus in praecedentibus, primo *Christum traditurum regnum Deo Patri*, secundo *evacuaturum omnem principatum, & potestatem, & virtutem*, v. 24. tertio *ponendos omnes hostes sub pedes eius*, v. 25. quarto *novissimum hostem mortem esse aliquando destruendum*, v. 26. quinto *omnia pedibus eius subiicienda praeter eum, qui subiecit ipsi omnia*, v. 27. sexto denique *cum omnia fuerint illi subiecta, tunc ipsum quoque Filium subiectum fore ei, qui subiecit ipsi omnia, ut sic Deus sit omnia in omnibus.* Ex his verus & genuinus huius phraseos sensus utcunque colligi potest. Deus in hac vita nobiscum agit non *immediate* sed *mediate.* Per ministerium verbi informat nos de via salutis, per verbum & sacramenta colligit sibi ecclesiam, eamdemque adversus hostes potenter defendit, corda hominum per verbum & spiritum sanctum illuminat, regenerat, sanctificat, renovat, novos motus in illis accendit. Atque hoc est regnum Christi, quod in his terris administrat. Sed in die iudicii *tradet illud regnum Deo Patri*, hoc est modum illum administrationis ac regiminis abole-

(*) Brentius in recognit. tom. VIII. pag. 1066. *Paulus non dicit simpliciter, Deus erit omnia, sed addit, in omnibus. Nec ego Paulum exponens dixi simpliciter, Deus erit calum, locus, cibus, potus & reliqua, sed addidi noster. Quare quemadmodum nec Paulus, ita nec ego unquam sensi, omnia redigenda in Deum, sed Deum fore omnia in nobis, in nobis inquam videlicet apte significans, nos non redigendos in nihilum, ut nihil prorsus praeter Deum remaneat, sed nos in nostra substantia resuscitatos non collecturos particulatim & quasi emendicatim ea, quae sunt nobis ad vitam & salutem nostram necessaria, ab aliis creaturis mediate, quemadmodum in hoc seculo fieri solet, sed nos habituros omnem nostram felicitatem & salutem a Deo ipso immediate &c.*

olebit, ac electos utpote regni huius cives Deo Patri glorificandos sistet; non amplius per verbum & sacramenta cum ipsis aget, sed seipsum & gloriam suam illis consp iciendam sistet, adeoque a fide ad præsentem intuitum eos perducet; non amplius contra hostes defendet, sed omnes hostes & inter eos ipsam mortem penitus destruet, ut ab illis nullum amplius metuendum sit periculum. *Omnia pedibus suis subiiciet*, hoc est, publice in conspectu angelorum & hominum manifestabitur, quod omnia a Patre ipsi sint subiecta. *Ipse etiam subiectus erit Patri*, in suis scilicet membris, cum quibus unum corpus mysticum constituit. Pii in hac vita sunt subiecti Deo secundum spiritum, sed quamdiu in ipsis *caro adversus spiritum concupiscit*, nondum ex integro, sed ex parte Deo subiecti sunt, ut notat Origenes homil. VII. in Levit. X. pag. 138. tunc vero penitus cessabit lucta carnis adversus spiritum, ac pii plene, integre ac perfecte, secundum carnem & spiritum Deo erunt subiecti. In hac vita piis adhuc imminet ac dominatur mors temporalis, sed tunc, quando mors penitus abolebitur, consummata erit beata illa subiectio. Oseæ XII. 11. dicit Dominus: *Ego per manum prophetarum* ממשל *assimilatus sum.* Ponitur enim *futurum* pro *præterito* iuxta vulgarem Hebræis idiotismum unde LXX. interpretes reddiderunt ωμοιωθην Ex quo colligitur, quod prophetæ & in genere omnes ecclesiæ ministri sint velut Dei larvæ, per quas nobiscum loquitur, sicut Lutherus in annot. margin. istius loci scribit: *Die Propheten waren meine Larven oder Personen, darunter ich gegenwertiglich alles that und redet.* Quemadmodum igitur homo personatus deponit larvam, quando seipsum manifestare cupit; sic Deus faciem suam, hoc est, seipsum electis deposita verbi larva in vita æterna manifestabit. In commentar. Lat. fol. 542. Lutherus exponit *active*, quod prophetæ sint veluti pictores Dei, qui Deum nobis in verbo ac per verbum depingunt, ac imaginem eius velut in speculo nobis exhibent. *Proponit* (inquit) *nobis Deus in verbo similitudinem sui, hoc est, pingit voluntatem suam, de qua non possunt dubitare, qui verbum fideliter retinent. Sicut enim pictura refert faciem hominis, ita verbum veram Dei notitiam nobis proponit.* Sed hæc Dei pictura, hæc umbratilis ac specularis Dei cognitio in vita æterna abolebitur; *tunc enim videbimus, sicuti est*, non amplius per ob-obscuram quandam imaginem. Apoc. XXI. 22. *Templum non vidi in ea*, cœlesti Hierosolyma, in quo homines per verbi prædicationem instituantur; *Dominus enim Deus omnipotens templum eius & agnus*, qui a facie ad faciem sine verbi involucro ab electis videtur. Cassiodorus in Cantic. IV. *Sanctorum doctorum in praesenti tantum vita necessaria est praedicatio & doctrina, nam in alia vita, postquam apparuerit aeterna dies, & finita fuerit nox praesentis seculi, non necesse erit doceri aliquem, quia omnes revelata facie gloriam Domini contemplabuntur.* In hac vita custodit nos Deus, per *angelos* invisibiliter, per *magistratum politicum* visibiliter, per eumdem præstat nobis quietem & tranquillitatem, 1 Tim. II. 2. prospicit liberis per parentes, egenis per benefactores &c. sicque omnia ad hanc vitam necessaria & utilia operatur, nobisque commoda illa præstat, mediate scilicet per creaturarum ministeria; sed in vita æterna Deus ipse erit omnia in omnibus, ipse enim immediate, electos proteget, custodiet, reget,

get, Apoc. VII. 17. faciet illos *angelis aequales*, Luc. XX. 36 *Evacuabit omnem principatum & potestatem & virtutem*, 1 Cor. XV. 24. hoc est, omnia imperia mundana, Dan. II. 44. quippe quorum in vita æterna nullus amplius erit usus, omnem potestatem in omnes se habere ostendet, in omnibus dominabitur, omnia sibi subiiciet, & sic ipse solus immediate electis omnia præstabit, quæ in hac vita mediate per diversa organa ipsis præstitit. In hac vita sustentat nos Deus per cibum & potum, sanitatem conservat ac restituit per medicinas, tegumentum corporis nobis præstat per vestes &c. sed in futura vita Deus ipse erit *cibus noster*, qui solus reficit nec deficit, ipse erit *animarum ac corporum nostrorum sanitas*, ipse erit *nostrum ornamentum ac munimentum*, sicque erit omnia in omnibus. In Deo solo & unico sine ullis aliis mediis & adminiculis cuncta ad beatitudinem æternam necessaria habebimus, in eo solo & per eum solum erimus beati, salvi, ditati & locupletati honoribus, pulchritudine, fortitudine, donis bonis & dignitatibus, *οπȣ γαρ η ȣσια τȣ θεȣ, εκει και η τȣ αγαθȣ.* 2) Ratione *obiecti*. In hac vita occupati sumus circa veri Dei cognitionem, dilectionem, laudem & cultum, sed in multa aliena distrahimur, ac circa *τα βιωτικα* & res terrenas occupati a cura divinorum sæpius avocamur: in futura autem vita *απερισπαςως* Domino adhærebimus, 1 Cor. VII. 35. non curabimus amplius ea, *quae sunt* mundi, sed illa duntaxat, *quae sunt Domini*, v. 32. circa solum Deum agnoscendum, laudandum, colendum citra ullam mentis distractionem ac impedimentorum obiectionem erimus unice occupati. Moses, Aaron, & seniores Israelitarum Deum in monte viderant, Exod. XXIV. 10. sed ex monte descendentes ad negotia secularia revertebantur, occupati erant circa regimen politicum, circa cultum Leviticum, circa laborem œconomicum; verum in vita æterna ad præsentem Dei intuitum semel admissi, nunquam ad alia negotia inposterum distrahentur, qui in templum Dei semel ingressus fuerit, *foras non egredietur amplius*, Apoc. III. 12. 3) Ratione *effecti*. In hac vita multis delectamur, sed in vita æterna in solo & unico Deo erit omnis oblectatio. In hac vita variis & diversis bonis Deus nos cumulat, sed in futura ipse unus ac solus erit nostrum præmium; *erit lumen nostro intellectui, erit rectitudo nostrae voluntati, erit pacata quies nostro adfectui, erit dulce melos nostro auditui, erit suavissimum mel nostro gustui, erit summa pulchritudo nostro visui, erit fragrantissimum balsamum nostro olfactui, erit summa voluptas nostro tactui.* Quidquid boni, quidquid læti desideramus, in illo summo bono abundantissime inveniemus. Ipse erit finis omnium desideriorum nostrorum, ut extra & præter illum nihil quidquam adpetamus. *Erit omnia in omnibus*, hoc est, lucem, lætitiam omniumque bonorum plenitudinem in omnes beatos effundet, inque eis in æternum habitabit, Apoc. XXI. 3. & 4.

§. LXIII. Sed præstat *pios veteres* audire, quomodo Deus *omnia in omnibus* futurus sit, explicantes: Cyprianus serm. de adscens. Domini cap. IX. *Non gustabunt, quam suavis sit Dominus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica, nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus praesens implebit &c. Erit Deus omnia in omnibus*

bus, & illius praesentia omnes animae & corporis implebit adpetitus. Hilarius in Psal. LX. *Beati comparticipes & concorporales & conformes Christi effecti sunt iam in his nec corruptione, nec morte dominante, cum in omnem plenitudinem Dei repleantur.* Nazianzenus in orat. funebr. ad patrem: οπω γενομενοι θεος αυτος (ινα τολμησας επω) χοντες ολην της αγιας τριαδ☉ την ελλαμψιν, ητις εστι και οια και οση εν αυτω χριστω τω κυριω ημων. (*) Hieronymus in epist. CXLVII. ad amandum: *Dominus atque Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis: verbi gratia, in Salomone sapientia; in Davide bonitas; in Iob patientia; in Daniele cognitio futurorum; in Petro fides; in Pinees & Paulo zelus; in Iohanne virginitas; in caeteris caetera. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.* Augustinus lib. I. de Trinit. cap. X. *Similitudinem gaudii caelestis praesignabat Maria, sedens ad pedes Domini & intenta in verbum eius, quieta scilicet ab omni actione & intenta in veritatem secundum quemdam modum, cuius capax est ista vita, quo tamen praefiguraret illud quod futurum est in aeternum. Martha quippe sorore sua in necessitatis actione conversante, quamvis bona & utili, tamen cum requies successerit, transitura, ipsa requiescebat in verbo Domini. Et ideo Dominus conquerenti Marthae, quod eam soror non adiuvaret, respondit:* Maria bonam partem elegit, quae non auferetur ab ea. *Non malam partem dixit, quod agebat Martha, sed istam optimam, quae non auferetur. Illa enim, quae in ministerio indigentiae est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur, boni quippe operis transituri merces est requies sempiterna. In illa igitur contemplatione Deus erit omnia in omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari, perfruique sufficiet &c.* Et postea: *Cum tradiderit Christus regnum Deo & Patri, id est, cum credentes & viventes ex fide, pro quibus nunc Mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendae suspiramus & gemimus, & transierit labor & gemitus, iam non interpellabit pro nobis, sed manifeste Patrem nobis ostendet.* Lib. LXXXIII. quaestionum quaest. LXIX. *Deus omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum, qui ei cohaerent, amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque fit omnibus, quod idem apostolus ait: Quid autem habes quod non accepisti?* Et sub finem: *Corpus Christi mysticum subiectum erit Deo secundum contemplationem sempiternae veritatis ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla corporis parte resistente, ut in illa vita, nemine amante propriam potestatem, sit*

(*) Nyssenus in disp. de anima & resurrectione super haec verba Pauli sic scribit: *Cum vita, quod in praesentia transigimus, variae ac multifariam a nobis exigatur, multae quidem res sunt, quarum participes sumus, ut temporis, ut aeris, ut loci, cibique & potus, ut tegumentorum, ut solis lucernarumque & aliarum rerum multarum ad usum vitae necessariarum, quarum rerum nulla Deus est. Beatitudo vero, quae exspectatur, nullius quidem harum rerum egena est. Omnia autem nobis locoque omnium erit divina natura ad omnem usum ac necessitatem illius vitae sese convenienter & apte impertiens. Atque id planum & manifestum est ex sacris literis, quod Deus & locus existit iis, qui digni sunt, & domus & indumentum & cibus & potus & lumen & divitiae & regnum, ac quidquid vel mente comprehendi vel nominari potest, quod nobis conferat & conducat ad bonam vitam.*

sit Deus omnia in omnibus. Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus &c. Praemium virtutis erit ipse, qui dedit virtutem, eique seipsum, quo nihil melius & maius possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per prophetam dicit:* Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs; *nisi ego ero, unde satientur, ego ero, quaecunque ab hominibus, honeste desiderantur, & vita & salus & victus & copia & gloria & honor & pax & omnia bona? Sic enim & illud recte intelligitur, quod ait apostolus, ut sit Deus omnia in omnibus.* Et paulo postea: *A Deo refecti & gratia maiore perfecti vacabimus in aeternum videntes, quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus.* Lib. I. contra serm. Arianorum cap. XXXVII. *Apostolus dicit, tunc Patri Filium subiectum futurum, ut sit Deus omnia non tantum in illius unius forma hominis* (Christi) *sed in omnibus, id est, ut ad habendam vitam & satiandum in bonis desiderium nostrum, natura divina sufficiat. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, cum praeter ipsum nihil omnino habere velle caeperimus. Omnia quippe ipse nobis erit, quando ipse sufficiente nihil deerit.* Serm. IV. de verb. Domini secundum Matth. *Divitiae nostrae Deus noster; quaecunque hic varia quaeris, tibi unus omnia erit.* Serm. XIV. de verb. apostoli: *Erit vita de verbo sine verbo, de verbo nullo sonante verbo.* Serm. XVI. de verb. apostol. *Quid est omnia? quidquid hic quaerebas, quidquid hic pro magno habebas, ipse tibi erit, quidquid hic volebas, quidquid hic amabas manducare & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus, ipse erit tibi sol, ipse luna. Videbas sanitatem corporis, ipse erit tibi immortalitas.* Eucherius lib. III. in lib. regum: *Ita nos in illa patria divinae praesentiae claritas adimplet, ut nihil aliud visus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, nihil tactus dulce habeat, nisi diligere Deum nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam nos ipsos.* Anshelmus in comm. 1 Cor. XV. *Deus in electis erit omnia, id est, vice rerum omnium erit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, finis ac satietas desideriorum nostrorum.* Bernhardus de meditat. cap. IV. col. 1194. *Praemium est videre Deum, vivere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum &c. Homo beatus videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem.* Idem serm. XI. super Cant. *Qui replet in bonis desiderium animae, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis.* Serm. IV. omn. sanct. *Deus implebit animam nostram rationalem luce sapientiae, concupiscibilem iustitia, irascibilem perfecta tranquillitate.* (*) Gersonius lib. de vita contempl. disputat contra eos, qui ex hoc loco apostolico colligere voluerunt, quod *in resurrectione omnes homines, omnesque res creatae creaturae fint ad suum esse ideale & divinum, quod ab aeterno habuerunt in Deo, adeoque convertendae fint in ipsum Deum, ita ut*

(*) Theophylactus in h. l. *Cum peccatum porro non fuerit, planum est, quod Deus omnia in omnibus erit, quando non amplius meritis & affectibus succubuerimus, ita ut nihil omnino Dei vel parum in nobis seramus, sed tosi Deisimiles, totius & solius Dei capaces erimus. Omnia sane tum nobis Deus erit, & cibus & potus & cogitatio & indumentum & motus.*

ut tunc omne esse creatum evanescere debeat & absorberi ab ipso esse increato, puta ab ipsa divinitate. Sed recte monet hunc locum errori illi potius contrariari, tantum abest, ut eidem vel in speciem faveat. *Si enim in vita aeterna Deus erit omnia in omnibus, ergo omnes, id est, omnes beati & electi erunt ac permanebunt, alioquin Deus non esset omnia in omnibus, sed esset solus omnia in nullis sive in nihilo.* Thomas in comm. 1 Cor. XV. sic exponit, *tum demum fore, ut plene cognoscatur Deum habere omnium rerum perfectiones, quia scriptura tunc rem esse vel fieri significat, cum plene cognoscitur. Nunc ubi diabolus reluctatur Deo, impii ordinem a Deo institutum pervertunt, scandala multa oculis obversantur &c. non liquido adparet, Deum esse omnia in omnibus, sed postquam Christus iudicio a Deo mandatum exsecutus, satanam & omnes impios in exitium proστraverit, gloria Dei omnibus erit conspicua.* Baptista Mantuanus lib. III. de patient. cap. XXVI. *Tunc erit Deus omnia in omnibus, hoc est, quidquid singuli desiderabunt, suppeditabit Deus, quia tanta dulcedine mentibus nostris illabetur, ut perfecte compleatur, quod dicitur a propheta: Satiabor, cum adparuerit imago tua.* B. Lutherus in enarr. 1 Cor. XV. *Quidquid fruστulatim ab omnibus creaturis nobis mendicandum est in hoc seculo, ille unus omnium horum nobis instar erit, nulla inopia unquam laboraturus.*

Nil tibi deficiet, Deus omnibus omnia fiet.

Idem huc adcommodat locum apostolicum 2 Pet. I. 4. quem tantis extollit laudibus, ut ei similem in utroque testam. exstare neget: *Erimus θειας κοινωνοι φυσεως, hoc est, divinae sapientiae, veritatis, iustitiae, bonitatis, vitae, laetitiae, immortalitatis & reliquorum summorum in Deo bonorum.*

§. LXIV. b) Ex beata & beatifica Dei visione, quae est summum beatorum in vita aeterna praemium, orietur in cordibus ipsorum *ineffabilis laetitia & exsultatio.* Cum enim Deus sit summum bonum, summa suavitas, summa dulcedo, Psal. XXXIV. 9. ideo ex visione Dei non potest non oriri ineffabile gaudium & inenarrabilis quaedam laetitia, de qua sequentia scripturae dicta loquuntur: Psal. XVI. 11. שבע שמחות, *saturitas laetitiarum est cum facie tua, iucunditates in dextra tua in seculum.* Saturitas Hebraeis ponitur pro plenitudine ac abundantia, sic senex dicitur *satur dierum* Gen. XXV. 8. pro quo LXX. interpretes reddiderunt πληρης ημερων. Psal. LXXXVIII. 4. *Satiata est in malis anima nostra*, hoc est repleta. Sensus igitur est, quod gaudium vitae aeternae plenissimum ac abundantissimum sit futurum. Ponitur etiam pluralis, *quod laetitiae & iucunditates* sint futurae. in vita aeterna, ut innuatur, non unam, sed variam ac multiplicem fore laetitiae materiam, ac omnia genera gaudiorum ibi abundantissime futura. Psal. XVII. 15. *Satiabor, cum expergefactus fuero secundum imaginem tuam*, hoc est, laetabor, quia ex satietate oritur laetitia, Actor. XIV. 17. *Implens cibo & laetitia corda nostra.* Psal. XXII. 27. *Edent pauperes, & saturabuntur, corda eorum vivent in seculum seculi*; satiabuntur bonis coelestibus, inde cor eorum vivet, hoc est, laetabitur & exsultabit in aeternum. XXXVI. 9. *Inebriabuntur pinguedine domus tuae, & torrente delitiarum tua-*

b) Ineffabilis beatorum laetitia & exsultatio.

tuarum potabis eos. Ebrietas itidem in scripturis notat copiam & abundantiam, largam irrigationem & ex ea ortam exsultationem. Sensus igitur est, quod beati largiter reficiendi sint bonis cœlestibus, tanquam cibis pinguissimis, *ac torrente voluptatis potandi*, hoc est, immensis & ineffabilibus gaudiis perfundendi. Fons autem illius torrentis delitiarum est in Deo æterna, ac proinde indeficiens, unde additur v. 10. *apud te est vena vitae.* LXVIII. 4. *Iusti laetabuntur, exsultabunt coram Domino*, לפני אלהים, *ad faciem Dei, & gaudebunt in laetitia;* hoc gaudium inchoatur duntaxat in hac vita, quando pii prægustum quemdam futuræ felicitatis percipiunt, sed in vita æterna perfecte consummabitur. LXXXIV. 3. *Cor meum & caro mea exsultaverunt in Deo vivo.* CXXVI. 1. *Cum Dominus convertet captivitatem Sion, erimus sicut somniantes.* v. 2. *Tunc repletum est risu os nostrum.* Gaudium Israelitarum in liberatione ex Babylonica captivitate fuit præludium summi illius gaudii, quo perfundentur electi, quando ex captivitate huius seculi liberati in cœlestem ac plenam libertatem restituentur, unde psaltes typum ad antitypum transferens v. 5. subiungit: *Qui seminant in lacrimis venient cum exsultatione &c.* Esai. XXV. 8. *Delebit Deus omnem lacrimam ab omni facie*, non quod in electis luctus ac lacrymæ sint locum habituræ, sed quod in perpetua lætitia sint victuri. מחה significat non solum *abstersit*, *deterst*, sed etiam *abolevit*, *prohibuit.* XXXV. 10. *Redemti Domini revertentur, & venient in Sion*, (non terrenam, sed cœlestem, Hebr. XII. 22.) *cum laude, & laetitia sempiterna erit super caput eorum, gaudium & laetitia adprehendent eos, & fugiunt dolor ac gemitus.* Caput pro toto subiecto iuxta familiarem hebraismum accipitur Gen. XLIX. 19. Prov. XV. 22. &c. Sensus igitur est, quod super beatos futurum sit sempiternum gaudium, cuius præludium aliquod tenue præcessit in reditu Israelitarum ex Babylone in Hierosolymam. Quidam tamen existimant, hisce verbis adludi ad consuetudinem nuptiarum apud Israelitas receptam, qua sponsa ex agris & locis sylvestribus, ubi feræ sunt, & nihil tutum a periculo, in montem myrrhæ & collem thuris advocantur, hoc est, in Ierusalem, quæ in mystico sensu patriam beatorum significat, ad quam cum hymenæo plausu atque lætitia adscendebatur, quia lætitia sempiterna futura esse dicitur *super caput*, qui loquendi modus delitias indicat nuptiales, lætitia enim super caput est corona nuptialis, qua ornatur sponsæ caput; sed prior explicatio est simplicior. LXI. 3. *Dabit gloriam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu frictio*, hoc in vita præsente incipit, in futura consummatur, ideo additur v. 7. *Laetitia seculi sive sempiterna erit eis.* LXV. 14. *Ecce servi mei laetabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei iubilabunt prae exsultatione cordis, & vos clamabitis prae dolore cordis.* v. 18. *Gaudebitis & exsultabitis in aeternum in his, quae ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exsultationem, & populum eius gaudium.* v. 19. *Et exsultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo ultra vox fletus & vox clamoris.* Tantum erit cœlestis Hierosolymæ gaudium, ut nihil nisi mera exsultatio videatur, sicut vir summe sapiens dicitur ipsa sapientia nomine abstracto posito pro concreto propter επιτασιν. LXVI. 14. *Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Matth. XXV. 21. & 23. *Serve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Gaudium Dei est, quod beati percipiunt ex Dei visione, in hoc gau-

dium intrant beati, quia exsultant gaudio, quod ex beatifica illa Dei visione promanat. Euthymius in comm. per gaudium μετωνυμικως *ipsam beatitudinem* intelligi statuit, ut sit sensus, *intra in domum domini tui plenam omnibus rebus, quae delectationem & gaudium adferre possunt, quia in coelesti domo nihil quidquam occurrit, quod maestitiam parere possit, sed quidquid in ea est, summum gaudium ac summum voluptatem parit.* Nec simpliciter dicitur, quod fidelis servus coelestis gaudii debeat fieri particeps, sed quod debeat *in illud intrare*, hoc est, summo gradu illud participare, quemadmodum intrare in possessionem bonorum dicitur, qui plenariam eorum hereditatem percipit. Nec dicitur, quod *gaudium domini debeat intrare in servum*, sed quod servus debeat intrare in Domini sui gaudium; tam magnum enim est Domini gaudium, quod a Domino proficiscitur *effective*, & in ipso percipitur *obiective*, ut non possit in homine concludi, vel ab eo comprehendi, ideo homo intrat in illud incomprehensibile gaudium, non autem intrat illud in hominem velut ab homine comprehensum. Thomas in comm. sic exponit: *Intra in Gaudium Domini tui, hoc est, gaude de eo, quo gaudet, & de quo gaudet dominus tuus, scilicet de fruitione suipsius. Tunc gaudet homo ut dominus, cum fruitur ut Dominus.* Quo sensu etiam super mensam Domini edere & bibere dicuntur Luc. XXII. 30. qui beati sunt eo, quo Dominus est beatus. Qui in hoc gaudium Domini intrat, nunquam ex eo iterum exibit, Apoc. III. 12. Ioh. XVI. 22. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Erit gaudium verum & sincerum, quia cor ipsum gaudebit; erit etiam gaudium non interruptum, sed perpetuum & sempiternum, quia nemo illud tollet a beatis, orietur ex visione Dei & Christi: *Ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Hoc gaudium apostolorum inchoatum fuit post Christi resurrectionem, sed postea consummatum in gloria coelesti. Lyranus in comm. *Vita Christi, quae fuit materia huius gaudii, non amplius erat per mortem auferenda, ideo ipsum quoque gaudium non poterat auferri.* 1 Pet. I. 8. *Exsultabitis in revelatione Christi, quem, cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis*, quanto igitur magis olim, cum manifestatus fuerit, adspectu eius, *exsultabitis gaudio ineffabili & glorificato.* In Graeco est αγαλλιασθε, quod proprie significat motu & subsultatione corporis testabimini gaudium vestrum, ita ut *praesens* ponatur pro *futuro* propter immotam rei certitudinem. Gaudium ipsum dicitur ανεκλαλητον, quia eius magnitudo & abundantia verbis exprimi nequit, sicut ipsa beatitudo in cor hominis non adscendit, ac proinde etiam in linguam adscendere nequit, 1 Cor. II. v. 9. dicitur δεδοξασμενον, quia ex corporis & animae glorificatione oritur. 1 Petr. IV. 13. *In hoc, quod consortes estis adflictionum Christi, gaudete, ut in revelatione quoque gloriae eiusdem gaudeatis exsultantes*, αγαλλιωμενοι. 1 Ioh. I. 4. *Haec scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Haec plenitudo gaudiis in piis duntaxat incipit in hac vita, sed in futura consummabitur. Epist. Iud. v. 24. *Deus potens est vos conservare a peccatis, & statuere in conspectu gloriae suae incontaminatos, εν αγαλλιασει, cum exsultatione.* Apoc. XIX. 7. *Gaudeamus & exsultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni.*

§. LXV. Ex his colligitur, beatorum gaudium 1) recte referri ad *bona vitae aeternae interna toti composito communia*; neque enim erit superficiarium, ex-

externum & umbratile, sed verum, internum, & ut sic loquar, cordiale gaudium omnes animæ facultates, omnia corporis membra interius & exterius pleniſſime perfundens. Gaudia huius vitæ sunt *falsa gaudia*, uti recte eadem vocat Maro, sed æternæ vitæ gaudia sunt vera gaudia. Gaudia huius vitæ sunt superficiaria & umbratilia, cor ipsum non attingunt nec quietant; sed longe diversa ratio erit gaudii cœlestis, quod omne cordis desiderium adimplet ac perfectam lætitiam complectitur, Psal. LXXXIV. 3. Ioh. XVI. 22. &c. 2) Fore illud gaudium *sincerum*, nulla tristitiæ macula contaminatum, nulla mœroris nube perturbatum. Gaudia huius vitæ non sunt sincera, sed γλυκυπικρα, Prov. XIV. 13. si cui enim materia gaudii exhibetur ab uno quodam obiecto, tristitiæ materiam percipit ex obiecto alio, unde poeta canit:

Vsque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Sed cœleste gaudium erit prorsus purum & incontaminatum, nullo doloris aceto infuso corruptum, sicut & cœlestis hereditas ἀμιαντος, *intontaminata* ab apostolo vocatur 1 Petr. I. 4. 3) Fore illud gaudium *sempiternum stabile*, ac nunquam interruptum vel finiendum, quia causa eius est perpetua. Est *gaudium Domini aeterni*, utique ergo etiam ipsum est æternum Gaudia huius vitæ brevia sunt & fugacia, de quibus recte usurpatur illud Bernhardi: *Rara hora, brevis mora*; ac si vel maxime pii in hac vita prægustum aliquem cœlestis gaudii percipiant, tamen felicitas ac voluptas illa non est piis in hac vita perpetua, mox subiiciuntur terroribus & angoribus, adeoque ex cœlo sibi videntur detrudi *in infernum*, 1 Sam. II. 6. sed gaudium vitæ æternæ erit perpetuum & æternum, *quod non auferetur ab electis*, 1 Ioh. XVI. 22. 4) Gaudii huius fontem ac *principalem causam* fore beatificam Dei visionem, Psal. XXXVI. 9. & 10. Cum enim sit summum & infinitum bonum, summa dulcedo, summa suavitas &c. ideo ex Dei visione non potest non oriri ineffabile gaudium & inexplicabilis voluptas. Si tanta vis & efficacia solis creati est, ut suo calore rebus nascentibus vitam non modo impertiat, sed etiam animos hominum, imo omnes creaturas diffusione radiorum lucis suæ suaviſſime recreet & mirifice delectet; quanto in infinitum maiori gaudio credendum est completum in pectora piorum, quando creatorem solis, solem iustitiæ, causam omnis lætitiæ ac salutis non modo oculis suis intuebuntur, sed etiam intima eiusdem communicatione discussis penitus peccatorum tenebris pleniſſime perfruentur. *Secundariae & minus principales causae* sunt reliqua vitæ æternæ bona tam interna quam externa, tam corporis quam animæ, tam privativa quam positiva electis in vita æterna aliquando conferenda. Gaudebunt electi *supra se* de Dei visione, *intra se* de animæ & corporis glorificatione, *circa se* de sanctorum angelorum & omnium beatorum adsociatione, *infra se* de inferni evasione. Habebunt gaudium *de Christo*, *in Christo*, *cum Christo*, *post Christum*, *per Christum*, *propter Christum*.

§. LXVI. De hoc beatorum gaudio sic loquuntur pii veteres: Cyprianus serm. de adscens. cap. IX *Exsultabunt sancti in gloria, videbunt Deum, & gaudebunt, laetabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & in felici-*

Dicta veterum de gaudiis vitae aeternae.

citate iucundabuntur aeterna. Hieronymus in comm. Matth. XXV. *Quid potest maius dari fideli servo quam esse cum domino, & videre gaudium domini sui?* Augustinus tract. XXV. in Ioh. *Quale est intus illud, unde non exitur foras? magnum penetrale & dulce secretum. O secretum sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum. Nonne illud secretum est, quo intravit ille, cui dicturus est Dominus servo bene merito: Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui!* In soliloq. cap. XXXV. *Intrain gaudium sine tristitia, quod continet aeternam laetitiam &c. beata deitatis visio est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te.* Lib. de tripl. habitac. cap. IV. *Nihil comparandum gaudio, quod nescitur ex invisibilibus & incorporeis, ex societate angelorum & iustorum omnium, ex certa scientia & cognitione ipsius divinae naturae, & ex Dei ipsius a facie ad faciem visione.* Prosper in epigramm.

Semper erunt, quod sunt, aeterna gaudia vitae.

Gaudenti quoniam causa erit ipse Deus.

Olympiodorus in Eccleiast. III. *Cum palmam consequetur, deinde in futuro seculo laetabitur in delitiis, & in multitudine pacis.* Gregorius hom. IX. in evang. *Tunc fidelis servus super multa constituitur, quando devicta omni corruptionis molestia de aeternis gaudiis in illa caelesti sede gloriatur. Tunc ad Domini sui gaudium perfecte intromittitur, quando in aeterna illa patria assumtus atque angelorum caetibus admixtus, sic interius gaudet de munere, ut non iam sit, quod doleat exterius de corruptione.* Anshelmus lib. de similit. cap. LVI. *In illa futura vita delectatio quaedam ineffabilis bonos inebriabit, & inaestimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullae, extra etiam ipsa & cuncta singulatim, singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus eius inebrietur.* cap. LXXI. *Bonus quisque tunc poterit gaudere, quia praedictas omnes beatitudinis partes* (in corpore & anima) *obtinebit perfecte. Quid ergo beatius illo, quo tunc replebitur iustus gaudio? adhuc tamen ad cumulum beatitudinis suae aliud habebit, unde magis possit gaudere. Quia enim quisque sic ut se alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot ac tantis beatitudinibus sanctorum iubilabit? Quod si tantum de aliis, quos ut se diligit, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diligit, exsultabit? Gaudium enim ei erit intus & extra, sursum & deorsum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum.* Idem in prosolog. cap. XXIV. *Tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum agnoscent.* Hugo lib. IV. de anima cap. XV. *Gaudent beati de Deo ineffabiliter. Gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia unus quisque unumquemque diligit sicut seipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo; quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Conflat igitur, quod singuli tot gaudia habeant, quot socios, & singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cum autem quisque plus amet Deum, quam seipsum, &*

& omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate, quam de sua & omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscuiusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot & tanta gaudia? ideo dicitur, intra in gaudium Domini tui, non intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset. Bonaventura in diæta salutis titul. IX. cap. L. tom. VI. pag. 337. *Sancti gaudebunt propter loci amœnitatem, quam possidebunt; propter iucundam societatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt; propter mundum, quem contemserunt; propter infernum, quem evaserunt.* Ludolphus Carthusiensis part. II. de vit. Christi cap LXXXVIII. *Gaudebunt sancti supra se de Dei visione; infra se de cœli & creaturarum pulchritudine; intra se de corporis & animæ glorificatione; iuxta se de angelorum & hominum adsociatione. In tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio.* Scholastici docent, duplex esse *de Deo* & *in Deo* gaudium. Unum, quo gaudemus ipsum Deum possidere infinitum bonum: alterum, quo gaudemus ipsum Deum possidere tanquam bonum nostrum, ad quod posterius genus beatorum in vita æterna gaudium pertinet.

§. LXVII. c) Ex visione & intima cordis ob eamdem exsultatione orietur *Dei glorificatio & iubilatio sempiterna*, de qua hæc loquuntur dicta: Psal. LXXXIV. 5. *Beati habitatores domus tuae*, עוד *usque in seculum, in sempiternum laudabunt te.* CXXVI. 2. *Tunc replebitur gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione.* v. 5. *Seminantes in lacrimis, metent* ברנה, *in praeconio sive cum laude.* Radix רנן significat, *clamavit vehementius, vociferatus est prae laetitia.* Levit. IX. 24. *Vidit totus populus*, וירנו, *& exclamaverunt.* Targum: שבחו, *laudaverunt, cantarunt.* Psal. V. 12. *Laetabuntur omnes qui confidunt in te*, לעולם ירננו, *in seculum praeconia canent.* Targum ישבחון *laudabunt.* Psal. CXLIX. 5. *Exsultabunt iusti in gloria, laudabunt in cubilibus suis.* v. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Esai. XXVI. 19. *Expergiscimini & iubilate.* XXXV. 10. *Redemti Domini revertentur, & venient in Sion* ברנה, *in praeconio.* LI. 11. idem repetitur. LXV. 14. *Servi mei clamabunt, iubilabunt, ovabunt prae laetitia cordis.* Ierem. XXXI. 12. *Venient & laudabunt in monte Sion.* Apoc. IV. 8. *Quatuor animalia non habebant requiem die ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Quidam ad *angelos* in quatuor mundi plagis Deo ministrantes, sed Hieronymus in proœm. super Matth. Augustin. lib. I. de confess. evang. cap. VI. Beda, Primasius &c. ad *quatuor evangelistas* adplicant. Confer Hoë, theologum meritissimum in comm. illius loci. v. 9. *Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum viventi in secula seculorum*, v. 10. *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes*: v. 11. *dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem et virtutem.* Viginti quatuor seniores quidam symbolum esse volunt duodecim patriarcharum vet. & duodecim apostolorum nov. test. quidam per eos intelligunt omnes sanctos. Confer tract. de morte §. CCC. Quidquid sit, illud ex hac visione manifestum est, beatorum in cœlo adsiduam occupationem esse Dei laudationem; ideo enim dicuntur *habe-*

c) *Dei glorificatio.*

habere requiem die ac nocte, non quod laus Dei illis molesta, sed quia non interrupta. V. 8. *quatuor animalia & viginti quatuor seniores habebant singuli citharas aureas, & cantabant canticum novum dicentes: Dignus es accipere librum.* v. 11. *Et vidi & audivi vocem angelorum. multorum in circuitu throni & animalium & seniorum, & erat numerus eorum millia millium*: v. 11. *Dicentium voce magna: dignus est agnus accipere virtutem &c.* VII. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis stantes ante thronum &c.* v. 10. *Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno.* XI. 16. *Viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum.* v. 17. *Dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens.* XII. 6. *Audivi vocem magnam in cœlo dicentem, nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri.* XIV. 2. *Audivi vocem e cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem audivi tanquam citharaedorum citharizantium in citharis suis.* v. 3. *Et cantabunt quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores.* XV. 2. *Habentes citharas Dei*, v. 3. *cantant canticum Mosis servi Dei & canticum agni dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.* XIX. 1. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia! Salus & gloria & honor & virtus Deo nostro* v. 3. *& iterum dixerunt, alleluia!* Hæc iteratio significat perpetuam beatorum occupationem fore laudis divinæ in omnem æternitatem continuationem. v. 4. *Et ceciderunt viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentes super thronum, dicentes, Amen, alleluia!* v. 5. *Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi eius.* v. 6. *Et audivi quasi vocem turbae magnae, & sicut vocem aquarum multarum &c. dicentium: Alleluia!*

§. LXVIII. Ex his colligitur, 1) *glorificationem Dei* ex beatifica eiusdem visione in electis oriri. Summum enim illud bonum videri nequit, quin etiam statim diligatur, ex amore laus & glorificatio sponte nascitur. Quia beati sunt ante thronum Dei, ideo etiam sedentem in throno glorificant. 2) Eamdem recte referri ad *bona vitae aeternae interna toti compositio*, hoc est, animabus & corporibus beatorum communia. Neque enim laus illa in ore duntaxat nascetur, sicut in hac vita multi *labiis suis Deo adpropinquant*, ut interim *cor eorum procul sit ab ipso*, Esai. XXIX. 13. Matth. XV. 8. sed ex intimo cordis fundo proficiscetur. *Sicut cor & caro beatorum exsultant in Deo vivo*, ita quoque cor & caro beatorum in laudes Dei prorumpent. 3) Eamdem fore *continuam & non interruptam*, quia visio Dei beatifica, ex qua laus illa oritur, erit continua & sempiterna. In hac vita Deum laudare incipimus, sed in laude illa non sumus adsidui; verum in vita æterna nullis negotiorum distractionibus a laude Dei impediemur, materiam laudis fore æterna *& infinita vitae aeternae bona* in beatos divinitus collata, proinde etiam ipsa laus erit æterna & infinita. 4) Per eamdem nos conformari angelis, Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. Constat ex scripturis, angelos incessabili voce clamare: *Sanctus, sanctus, sanctus*, Esai. VI. 3. cum illis beati unum constituent chorum, & coniunctis vocibus sine intermissione ac fine Deum laudabunt.

§. LXIX.

Dicta veterum de Dei glorificatione.

§. LXIX. De hac Dei laude sic loquuntur veteres: Irenæus lib. V. adv. hæres. cap. XI. *Si nunc habentes* (Spiritum Dei) *pignus, clamamus Abba Pater; quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum &c. quando omnia membra adfluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitaverit ea ex mortuis?* Lactantius lib. VII. div. institut. cap. XXIII. *Prioris vitae factorumque omnium memores erunt, & in bonis cœlestibus collocatae ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum praesenti Deo gratias agent, quod malum omne deleverit, quos eos ad regnum vitamque perpetuam suscitaverit.* Hilarius in Psal. CXLVIII. *In futuro beatae illius civitatis seculo &c. Deo confessio eius super cœlum & terram reddetur &c. Et quia illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris adscendent, psalmum ita propheta concluſit: Hymnus omnibus sanctis eius, sanctorum omnis hic hymnus est, qui Deum non ut caeteri reges aut principes aut iudices pro virtutis & confessionis admiratione laudent, sed pro gaudio consummatae in se beatitudinis & gratulatione sanctantium.* Nazianzenus in carm.

αγνοτατοι καθαροισιν ομοφρονες φρανιοισιν

Ιηθοσυνοι μελπωμεν εορτιον υμνον ανακτι,

ενθαφω τε κλεος τε κακων τ αμπνευσις απαντων.

Idem:

αυτην δ ατρεκιην καθαρη νοω ομαρτι λευσσων

Μελψω εκ σωματων ηχον εροτασιον.

Ipsam veritatem purae mentis oculo coram intuens cantabo ore meo sonum festivum. Augustinus lib. XXII. de civit. Dei cap. XXX. *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, ubi neque ulla desidia cessabitur, neque ulla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, ubi lego vel audio:* Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. *Omnia membra & viscera incorruptibilis corporis, quae nunc videmus per usus necessitatis varios & motus distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna, felicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus iam sum locutus, qui nunc latent harmoniae corporalis numeri, non latebunt, intrinsecus & extrinsecus per corporis cuncta dispositi, & cum caeteris rebus, quae ibi magnae atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succedent.* Quæ omnia paucis verbis immutatis repetit Alcuinus lib. III. de ætern. beatit. sanct. cap. XXII. Idem Augustinus in enarrat. Psal. LXXXIII. *Quid beati in vita aeterna acturi? in secula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrorum sine defectu Alleluia &c. Non nos satiabit, nisi laus Dei, nisi amor Dei. Si deficias ab amore, deficies a laude; si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* Serm. XVII. de verb. Dom. *In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi nullus locus erit? quia nihil deerit, ubi videbitur, quod hic creditur, quod hic speratur, ibi tenebitur.* In medit. cap. XXVII. *Illi laudant Dominum purissime & incessanter,*

fanter, qui semper inhaerent contemplationi divinae, non per speculum & in aenigmate, sed facie ad faciem. Anshelmus lib. de similitud. cap. LX. *Vt in laudibus illius aeternaliter iucunderis, semper, de quanta miseria fis erutus, ut puto, coram habebis.* Bernhardus de medit. cap. IV. *Vna erit omnium lingua, iubilatio indefessa; unus adfectus, amor aeternus.* (*)

§. LXX. d) Ex beatifica Dei visione etiam consequetur *perfecta imaginis divinae reformatio*? unde cum Iohannes dixisset, *similes erimus*, αιτιολογικως subiungit, *videbimus eum, sicut est*, 1 Ioh. III. 2. Quemadmodum enim puritas & mundities speculi requiritur, ut imago in eo conspiciatur; sic animæ & corporis perfecta mundities in beatis erit, ut Deum videre, eiusdemque imaginem in semetipsis perfecte exprimere possint, Matth. V. 8. De hac imaginis divinæ in beatis reformatione sequentia dicta loquuntur: Psal. XVII. 15. *Satiabor, cum evigilavero secundam imaginem tuam.* LXX. interpretes reddiderunt εν τω οφθηναι μοι την δοξαν σου. Theodoretus: εν τω οφθηναι την δεξιαν σου. Vulgata Latina *cum adpuerit gloria tua.* Sed Hebræum תמונה proprie significat *imaginem, similitudinem*, unde Symmachus rectius vertit: εν τω εξυπνισθηναι της ομοιωσεως σου. Sensus igitur est: Satiabor bonis cœlestibus & æternis, quando post somnum mortis expergefactus sive resuscitatus fuero *iuxta imaginem tuam*, hoc est, ad imaginem tuam perfecte renovatus ac reformatus, ut sit ellipsis præfixi ב pro בתמונה, qualis etiam in aliis scripturæ dictis occurrit, Psal. X. 4. XVIII. 10. XLIV. 3. CIX. 4. Hos. VI. 9. Mich. VI. 10. vel quia præfixum ב in voce proxime præcedente בקיץ habetur, in vocabulo תמונה erit repetendum, qualia exempla occurrunt Exod. VI. 3. Esai. XLVIII. 14. Ier. XXVII. 18. &c. Posset etiam nomen תמונה referri ad remotius verbum אשבעה *satiabor imagine tua, cum evigilavero* vel expergefactus fuero. Pagninus reddidit: *Cum expergefacta fuerit imago tua*, scilicet in me perfecte renovata ac reformata, quod eumdem parit sensum. Rom. VIII. 29. *Quos præscivit, eos etiam praedestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei*; primo quidem in cruce, deinde vero in gloria, Iohan. XVII. 22. ut enim ipse *per passionem intravit in gloriam*, Luc. XXIV. 26. ita quoque pios *per passiones oportet ingredi regnum cœlorum*, Act. XIV. 22. in quo ad imaginem Dei perfecte renovabuntur. 1 Cor. XV. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portabimus etiam imaginem cœlestis*, nimirum in resurrectione ad vitam æternam, unde additur v. 50. *Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam hereditabit*, ubi το οτι commode accipi potest αιτιολογικως, ideo dico nos gestaturos imaginem illius cœlestis, quia caro & sanguis non possunt hereditare regnum Dei. 1 Ioh. III. 2. *Cum adparuerit, similes ei erimus*, in corporis & animæ puritate, inque cœlesti gloria ac felicitate, proinde etiam imago Dei perfecte in nobis erit reformata. Idem colligitur ex dotibus animæ & corporis, quæ erunt in beatis, de quibus postea.

d) Perfecta imaginis divinae reformatio.

§. LXXI. De hac divinæ imaginis in beatis restitutione notandum, 1) quod in hac vita inchoetur, in futura per-

(*) Vide quoque Gregorius homil. XXII. in Ezech. tom. II. f. 1215.

perficiatur, ideoque possunt huc referri dicta scripturæ, quæ de reformatione divinæ imaginis, quæ piis in hac vita obtingit, loquuntur. 2 Cor. III. 18. Την δοξαν κυριε κατοπτριζομενοι, *gloriam Domini tanquam speculo recipientes*, ac in verbo evangelii vel ut speculo certam Christi & mysteriorum divinorum cognitionem habentes *transformamur in eamdem imaginem*, hoc est, tam clare Christi imaginem concipimus, ut in eamdem quasi transformari videamur, quia per Spiritum sanctum renovamur ad Christi imaginem, *in iustitia & sanctitate vera* consistentem, απο δοξης εις δοξαν, ut in cognitione Christi & vitæ sanctitate quotidie crescamus, donec ad plenam perfectionem & perfectam imaginis divinæ restitutionem in cœlesti gloria adspiremus. Eph. IV. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Col. III. 10. *Induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.* Quemadmodum enim primitiæ testimonium sunt secuturæ messis, sic inchoata divinæ imaginis reformatio evidens indicium est, plenam & perfectam renovationem secuturam in vita æterna, quæ propterea vocatur tempus αποκαταστασεως παντων, Act. III. 20. tunc enim bona per lapsum amissa, inter quæ eminet divina imago, ad quam primi homines conditi erant, perfecte restituentur. 2) Quod sit *bonum totius compositi.* Quemadmodum enim in homine ante lapsum divina imago non pertinuit tantum ad animam, sed ad totum compositum; quia Moses de toto homine dicit, quod Deus *ad imaginem suam eum creaverit*, Gen. I. 27. nec post formatum demum corpus humanum creaturus animam dixit: *faciamus hominem ad imaginem nostram*, sed ante creationem tam corporis quam animæ suum illud decretum verbis hisce exposuit, unde immortalitas, quæ divinæ imaginis pars est, toti composito fuit communis: quemadmodum Christus imaginem Patris sui cœlestis in animæ & corporis sanctitate, puritate, immortalitate, claritate &c. exprimit: denique quemadmodum inchoata imaginis divinæ restitutio in hac vita sanctificatione *corporis & spiritus* constat, Rom. XII. 1. 1 Cor. VI. 19. 2 Cor. VII. 1. 1 Thess. V. 23. &c. ita quoque plena divinæ imaginis restitutio, quæ in altera vita sequetur, erit bonum totius compositi, non animæ duntaxat, sed etiam corporis, unde notanter dicit apostolus Phil. III. 21. quod *Christus corpora nostra redditurus sit συμμορφα corpori suo glorioso.* 3) Quod divina imago longe perfectior & expressior sit futura in beatis, quam fuit in primo homine. Primus homo, quia ad imaginem Dei in arbitrii libertate & immortalitate conditus erat, poterat non peccare & non mori; sed beati ad divinam imaginem reformati longe maiorem perfectionem obtinebunt, quia non poterunt peccare nec poterunt mori, cum sint in bono & beatitudine confirmati. 4) Quod ob divinam imaginem in beatis perfecte relucentem non iniuria dici possint filii Dei, imo quidam dii. Quod si enim primi homines, & angeli ob creationem, credentes ob υιοθεσιαν & adoptionem, magistratus & iudices ob divini officii, quod in terris gerunt, officium *filii Dei & Elohim* dicuntur, Luc. III. 38 Iob. I. 6. & XXXVIII. 7. Ioh. I. 12. Psalm LXXXII. 6. Ioh. X. 34. quidni beati ad imaginem Dei perfecte renovati & angelis æquales facti recte dici possent Dei filii & quidam quasi dii? Si in hac vita *divinae naturae*

consortes dicuntur, 2 Pet. I. 4. quanto magis in futura vita beatum illud consortium habebit locum?

Dicta veterum de reformatione divinae imaginis.

§. LXXII. Audiamus hac de re differentes patres; Irenæus lib. V. cap. 11. p. p. 325. *Gratia Spiritus universa, quae hominibus datur a Deo*, (in vita æterna) *similes nos ei efficiet, quia secundum imaginem & similitudinem Dei hominem reformabit.* Nazianzenus orat. IV. de theol. *Erimus ολοι θεοειδεις deiformes, Deo similes ac conformes, ολω θεω χωρητικοι και μονω, totius ac solius Dei capaces.* Augustinus lib. de spiritu & litera cap. XXII. *Cum adparuerit, similes ei erimus. Haec similitudo nunc incipit reformari, quamdiu homo interior renovatur de die in diem secundum imaginem eius, qui creavit eum. Sed ad illius eminentiae perfectionem, quae tunc futura est, quid hoc aut quantum est?* Eucherius lib. III. in libros regum: *In regno caelesti angeli sancti in imagine sui conditoris, ad quam facti sunt, semper manent, & electi homines imaginem eius, quam peccando amiserant, recipiunt. Scimus enim, inquiunt, cum adparuerit, similes ei erimus.* Pantheologia veterum triplicem statuit Dei imaginem *naturae, gratiae & gloriae.* Item *creationis, recreationis & similitudinis*, b. Lutherus tom. I. in Genes. pag. 18. *Evangelium hoc agit, ut ad illam & quidem meliorem imaginem reformemur, quia in vitam aeternam vel potius in spem vitae aeternae renascimur per fidem, ut vivamus in Deo & cum Deo, ac in ipso simus unum, sicut Christus dicit. Neque vero ad ullam jolum renascimur, sed etiam ad iustitiam, quia fides accipit meritum Christi, & statuit, nos per Christi mortem liberatos esse; inde alia nostra iustitia oritur, nempe illa vitae novitas, qua studemus obtemperare Deo edocti verbo & adiuti per Spiritum sanctum. Sed haec iustitia in hac vita incipitur tantum, nec potest in hac carne esse perfecta &c.*

2) *ad partem alteruram spectantia.* A) *ad animam.* 1) *Perfecta Dei cognitio.*

§. LXXIII. Exposuimus hactenus bona vitae æternae interna toti composito communia, restat, ut 2) bona ad *partem alterutram*, animas scilicet vel corpora beatorum peculiariter spectantia subnectamus. A) In *anima* cuiusque beati 1) fulgebit *perfecta Dei & divinorum mysteriorum cognitio* ex intuitiva Dei visione orta. Esai. LIV. 13. *Erunt omnes docti a Deo.* Ier. XXXI. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum & fratrem suum dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo ad maximum.* Augustinus lib. de spiritu & litera cap. XXIV. hæc vaticinia exponit de præmio fidei, hoc est, de perfecta Dei cognitione in vita æterna, neque enim duntaxat de inchoatione nov. test. quæ fit per ministerium evangelii & Spiritum sanctum in cordibus efficacem, prophetia concionatur, sed de tota & integra instauratione naturæ, quæ fiet in vita æterna, cum nova & æterna lux sapientiæ Deum perfecte agnoscentis in mentibus hominum fulgebit. Center tract. de minist. §. 401. 1 Cor. XII. 9. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*, in hac scilicet vita. v. 10. *Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Omnis noster in θεογνωσια και θεοσοφια profectus in hac vita, etiam cum ad summum pervenit gradum, est *verbum defectivum*, cuius clausula est: *caetera desiderantur.* In futura autem vita Dei & divinorum mysteriorum perfecta cogni-

tio

tio succederet. Tunc plene & perfecte intelligemus ea, ad quorum notitiam intuitivam & claram in hac vita penetrare non potuimus, quomodo scilicet Deus sit in essentia unus, in personis trinus? quomodo Filius Dei ab æterno a Patre sit genitus? quomodo Spiritus sanctus ab æterno a Patre & Filio procedat? quare Filius Dei, non Pater, nec Spiritus sanctus humanam naturam adsumserit? quare Mediatorem nostrum Deum & hominem esse oportuerit? quomodo divina & humana natura in Christo personaliter sint unitæ? quomodo Deus ex nihilo omnia creaverit? quo die angelos condiderit &c. Tunc plene & perfecte causas divinorum consiliorum & operum intelligemus, creationis scilicet, redemtionis, sanctificationis, resuscitationis & glorificationis, quomodo Deus hominem immensa sapientia creaverit, ineffabili bonitate conservaverit, infinita misericordia redemerit? quomodo æterna sua omnipotentia ecclesiam adversus hostes defenderit, ac pios ex morte ad vitam æternam suscitaverit? Tunc plene & perfecte naturam novi cœli ac novæ terræ, adeoque omnium creaturarum penetralia & intimos recessus cognoscemus; tunc non cogemur amplius conqueri, nos instar ciconiæ Æsopicæ *vitrum lambere, pultem non attingere*, sed interiores rerum formas & proprietates præsenti mentis intuitu conspiciemus. Quod si enim Adamus per concreatæ sapientiæ lucem naturas animalium tam exacte potuit pernoscere, ut singulis convenientia nomina imponeret, Genes. II 19. ac Evam antea non visam *ex carne & ossibus suis* ædificatam esse intelligeret, v. 23. quanto magis beati divino lumine collustrati cœli terræque mysteria perfecte intueri poterunt. Neque quemquam turbet, quod apostolus 1 Cor. XIII. 8. γνώσιν in! vita æterna *destruendam* adserat; illud enim non absolute ac simpliciter de quavis cognitione accipiendum, alias summæ felicitati summa infelicitas, videlicet ignorantia tribueretur, sed duntaxat de illa cognitionis specie ac modo, qui in hac vita locum obtinet. Nunc enim *per speculum in ænigmate videmus*, v. 12. ac quotidie oportet nos discere ac perficere in cognitione Dei adhibitis adminiculis prophetiæ seu interpretationis scripturæ ac linguarum, sed hic modus, hæc species cognitionis in altero seculo cessabit, quando a facie ad faciem videbimus. Scientia huius vitæ est imperfecta tum ratione *obiecti*, tum ratione *modi*, sed scientia vitæ alterius utroque modo perfecta erit. Quare ut maius lumen obscurat minus; sic scientia nostra, quæ in hac vita est imperfecta, a perfectiore scientia in vita æterna abolebitur. Syrus eleganter reddidit: *Modicum ex multo cognoscimus*, v. 9. quia maximum eorum, quæ de Deo & rebus divinis scimus, est minimum eorum, quæ ignoramus, totum quod Dei est, omnia eius attributa, perfectiones omnes in hac vita non cognoscimus, sumus quasi parvuli, qui ut ætate ita quoque sapientia quotidie crescunt, v. 11. sed beati illa omnia non *partialiter*, non *obscure*, non *eminus*, sed *perfecte*, *clare & cominus* cognoscunt, ideoque sunt in scientia maturæ ætatis viri. Gradus cœlestis illius ac perfectissimæ sapientiæ in vita æterna statuuntur quatuor: 1) *αυτοψια Dei & Christi θεανθρωπε, ac perfecta cognitio essentiae & voluntatis divinae;* 2) *clarissima cognitio consiliorum, mysteriorum ac operum divinorum omnium non modo hominum, sed etiam angelorum captum in hac vita excedentium;* 3) *plena ac perfecta naturae rerum ac novi cœli & terrae perspectio*, Adami ante lapsum

perspicacitatem longo intervallo antecedens; 4) *familiarissima societas cum omnibus angelis & beatis hominibus*, quos notissimos & perspectissimos habebimus.

Dicta veterum de Dei cognitione.

§. LXXIV. De hac beatorum cognitione sic loquuntur veteres: Irenæus lib. II. cap. 47. p. 148. ex loco apostolico 1 Cor. XIII. 13. colligit, *etiam in futuro seculo in quibusdam nos melius informandos*, & addit: *ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quae sunt a Deo; semper enim fides, quae est ad magistrum nostrum, permanet firma.* Sed hoc non de quotidiano cognitionis profectu, verum eiusdem origine ac dependentia accipiendum. Origenes lib. II. de princ. cap. 12. *Cum ad cœlestia loca pervenerint sancti, tunc iam iam rationem astrorum per singula pervidebunt &c. sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse revelabit, intelligent. Iam enim tanquam filiis rerum causas & virtutem suae conditionis ostendet, & docebit eos, quare illa stella in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spatio separatur.* Homil. V. in Psal. XXXVI. *Os iustorum non cibis & potu, neque delitiis & voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam replebitur. Ultra enim non erit aliquis imperitus in regno Dei, non permanebit indocilis, nullus erit a rerum scientia peregrinus, omnes efficiemur, si tamen meremur*, (gratia Dei digni reddemur) *discipuli sapientiae. Si quis hic positus imbuitur, & instruitur in his, quae potuit in carne positus attingere, ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea, quae hic studio ac labore quaesita fuerunt, ad compendium futurae initi institutionis accedent.* Non tamen hoc eo sensu accipiendum, quasi profectus aliquis scientiæ futurus sit in beatis, sed quod simplici intuitu cogniturí sint ea, quæ per gradus & partes in hac vita discimus. Nazianzenus orat. funeb. in patrem: χοντες ολην της αγιας τριαδος την ελλαμψιν καθαρω νω καθαραν την αληθειαν επορτευοντες. Ambrosius lib. II. de Abraham cap. 1. *In altera terra beatitudinis plena mens immortalis non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed vivam rerum cernet substantiam, eo quod excussa corporis & sensuum & vocis nebulosa quadam imagine corruptibilem caliginem deponat, & revelata facie beatae vitae gratiam lustret obtutu.* Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 24. *Scientia, quae evacuabitur, est illa parvulorum scientia, in qua hic vivitur, quae ex parte per speculum in aenigmate videtur; propter hanc enim necessaria est prophetia, cum adhuc praeteritis futura succedunt, propter hanc linguae, hoc est, multiplicitas significationum, cum ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, qui nondum aeternam lucem perspicuae veritatis mente purgatissima contemplatur. Cum autem venerit, quod perfectum est, & totum hoc, quod ex parte est, fuerit evacuatum, tunc quod assumta carne carni adparuit, ostendet seipsum dilectoribus suis, tunc erit vita aeterna, ut cognoscamus unum verum Deum, tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus, sicut & cogniti sumus, tunc non docebit unusquisque civem suum aut fratrem suum dicens: cognoste Dominum. Omnes enim cognoscent eum a minore usque ad maiorem eorum.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Ea potentia scientiae, quae magna in beatis erit, non solum sua praeterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit.* De tripl. habitac. cap. 4. *Ibi, quidquid nos nunc latet, manifestum erit, ibi ratio manifesta erit, cur hic electus est, & iste reprobatus, cur hic in regnum adsum-*

sumtus, & ille in servitutem reductus, cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in iuventute, alius in senectute. Cur alius pauper & alius dives; cur filius adulterae baptizatur, & aliquando filius legitimae coniugis ante baptismum moritur. Cur qui bene incipit vivere, aliquando male finit. Haec omnia & huiusmodi multa in libro vitae, hoc est, aeternae veritatis & summae sapientiae plana & aperta omnibus erunt. Ibi omnes invicem suas cogitationes cognoscent &c. Cap. 6. *In Dei visione trina scientia nascitur, hoc est, homo qui cernit, & Deus qui cernitur, & caeteri omnes omnia videbunt & intelligent. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nosipsos, & ipsum speculum, & quidquid praesens adest, videmus; sic per speculum divinae claritatis & ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum possibile est creaturae, & nos ipsos, & caeteros vera & certa scientia comprehendemus. Tunc abdita creaturarum & ipsius inferni videndo Deum videbimus. Tunc iustis manifestum erit, quomodo Deus est invisibilis, incomparabilis, sine initio & sine fine ante omnia. Quid interest inter nasci, quod ad Filium pertinet & procedere, quod ad Spiritum sanctum, quomodo Pater non praecesserit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum, quomodo omnia Dei unum sunt ex Deo, excepto quod ad relationem pertinet &c. quomodo mundus erat in Deo, antequam in seipso esset non mundus, sed Deus, quomodo ubique totus sine loco, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, & quomodo omnia penetrat munda & immunda sine sui pollutione.* Prosper lib. I. de vit. contempl. cap. 4. *Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales. Nec latebit iam perfecte beatos aliquid secretorum, qui quod est longe praestantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Lib. III. de vita contempl. cap. 30. *Ibi erit scientiae ac prudentiae perfectio vera, rerum omnium cognitio tota, quando scientia ad perfectum fuerit partis evacuatione traducta.* Gregorius in Cant. *Hic nox est, ibi dies erit, hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus illucebit.* In comm. Lib. XXVIII. ad illa verba: *Non adaequabitur ei aurum aut vitrum &c. Cum uniuscuiusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur.* Anshelmus lib. de similit. cap. 59. *Sapientia tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quae scire voluerint, nihil fit, quod ignorent. Bonus enim perfecta, quae Deus est, sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur, quam dum ita perspexerit, creaturae totius naturam videbit, quae in Deo melius quam in seipsa consistit. Tunc enim iusti omnia scient, quae Deus fecit scienda, tam ea, quae praeterita, quam quae postmodum sunt futura. Ibi a singulis omnes, ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.* Bernhardus serm. de triplic. genere bonor. *Si nihil nobis deerit, aliquid autem latuerit, numquid erit gloria consummata? ideo nihil latebit nos, & ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quae in caelo & quae in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiae rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia civitas illa iuxta Iohannem purissimo vitro similis erit, ut sicut per vitrum lucidissime cernimus, sic aliorum conscientias clarissime videamus.* Baptista Mantuanus libr. III. de patient. cap. 27. *Videbunt beati caelos, ac omnem caelorum harmoniam percipient. Sicut nunc ex motu corporis animam inesse percipimus,*

& vegetare ac regere membra corporea; ſic tunc cælo & elementis & rebus omnibus Deum eſſe intimum, & in qualibet univerſi parte totum conſervare, alere ac gubernare mundi hanc machinam, non dubio cernemus intuitu. Nunc id ſatis ratio perſuadet & credimus, tamen prae inſcitia noſtra naturali non perpendimus, tunc autem oculos circumquaque vertentes id perpendemus.

§. LXXV. 2) Ex Dei viſione beatifica & cognitione intuitiva profluet *voluntatis perfecta ſanitas & ſanctitas, exactiſſima ορθοτης & conformitas cum norma divinae legis ac iuſtitiae, perfecta bene agendi libertas ab omni peccati ſervitute & corruptione prorſus libera*, adeoque eiusdem in bono ſtabilitio ac confirmatio. a) Quia enim beati Deum ſummum bonum *intuitive ac perfecte* cognoſcent, ideo etiam ſummo illi bono perfecte agnito per ſanctum voluntatis motum inſeparabiliter adhærebunt, ac proinde ut ex mente omnis caligo ignorantiæ, ita ex voluntate omnis ad malum proclivitas erit expulſa. In Deo, utpote infinito bono, omnia bona eminentiſſime continentur, adeoque tota latitudo obiecti voluntatis, ad quod naturaliter fertur, reperitur, ut nihil melius ab homine cogitari vel adpeti poſſit; ex quo ſequitur, beatos per ſuam voluntatem a Deo non poſſe ſe avertere, aut aliud quid niſi in ordine ad obiectum illud adæquatum adpetere, cum in illo contineatur ſumma hominis perfectio, deſiderii omnis complementum ac finis ultimus, quo obtento voluntas adquieſcit, neque aliud quidquam deſiderat. Proinde ex ipſa natura ſui ſtatus, ex beatifica ſcilicet Dei viſione, non tantum ex *lege Dei extrinſeca*, ut quidam ſcholaſticorum opinantur, beati erunt in bono confirmati. Quemadmodum in Chriſto nullus fuit inordinatus voluntatis motus, nulla peccati labes, nulla iniquitatis macula, ſed exactiſſima cum norma divinæ legis congruentia; ſic in beatis voluntas immutabiliter eligit bonum ab intellectu agnitum ac monſtratum ſine ulla omnino ad peccandum pronitate. Quemadmodum angeli, quia *ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt*, Matth. XVIII. 10. ſunt in bono confirmati & a peccandi periculo liberati; ſic beati, utpote futuri ισαγγελοι, perfecte ſancti & in bono confirmati erunt per & propter beatificam Dei viſionem. b) Atque iſthæc beatorum in cœlo ſanctitas & voluntatis ad bonum libertas longe perfectior erit, quam ſanctitas & libertas primi hominis, quippe quæ in eo conſtitit, quod primus homo potuit non peccare, quod potuit iuxta normam divinæ legis recte agere &c. ſed beatorum libertas in eo conſiſtit, quod non poterunt peccare, quod non poterunt non iuxta divinæ legis normam agere. c) Neque vero immutabilitas illa ac confirmatio in bono detrahit quidquam arbitrii libertati, cum liberior ſit voluntas, quæ non poteſt niſi bonum agere, quam quæ ad bonum & malum agendum indeterminate ſe habet, ut Dei, qui eſt agens liberrimum, & angelorum ſanctorum in bono confirmatorum exemplo comprobatur. Abſurdum minime cenſeri debet, quod eadem voluntatis potentia erga quædam obiecta indifferens ac libera, erga quædam per modum naturæ determinata ſit, cum & Dei voluntas, quoad externa indifferens & liberrima, circa operationes immanentes ſive opera *ad intra*, uti vocant, ſit naturaliter determinata.

3) *Voluntatis perfecta ſanitas.*

Mi-

Misera & miserabilis est libertas *posse peccare*, id est, a bono deficere; contra vero felix & exoptanda necessitas (immutabilitatis) est *non posse peccare*, id est, summo bono inseparabiliter adhærere. Libertas *interior* sive a coactione, essentialis est arbitrii libertati, sed *exterior* libertas ab immutabilitate nequaquam. Nemo igitur existimet, inde dictum liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur, alioquin nec Deus nec angeli sive boni vel mali liberi arbitrii dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono sive in malo æque liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debebat aut esse valeat, nisi volens.

§. LXXVI. De hac beatorum sanctitate atque arbitrii libertate sic loquuntur scripturæ sacræ: Psalm XVII. 15. *Ego in iustitia*, integra & perfecta totius naturæ cum archetypo conformitate, *videbo faciem tuam.* Esai. LX. 20. *Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & finientur dies luctus tui.* v. 21. *Populus tuus omnes ipsi iusti*, כלם צדיקים, *in seculum hereditabunt terram.* Hoc vaticinium Apoc. XXI. 23. ad cœlestem Hierosolymam refertur, cuius cives omnes erunt iusti. In ecclesia militante tritico admixta sunt zizania, sanctis & iustis admixti sunt non sancti & non iusti, sed in ecclesia triumphante omnes erunt iusti & sancti. Ioël. III. 17. *Et Ierusalem erit sancta, & non transibunt per eam alieni.* Zach. III. 9. *Auferam peccatum terrae die uno.* In die extremi iudicii, in quo peccatum a credentibus prorsus abolebitur, & perfecta iustitia restituetur. Rom. VIII. 21. *Libertas gloriae sive gloriosa* filiis Dei obtinget. Eph. I. 4. *Elegit nos, ut essemus sancti & immaculati in conspectu* eius, in hac vita inchoative, in futura consummative. V. 26. & 27. *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam vel rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Hoc demum in vita æterna perfecte implebitur, ut recte docent Hieronymus in comm. Ierem. XXXI. & Augustinus libr. III. de doctr. Christ. cap. XXXIV. lib. II. retract. cap. VIII. 1) Quia in hac vita non tollitur omnis peccati & omnis vetustatis ruga. 2) Verbum παραστηναι *sistere, statuere, praesentare* & sistendo ut sponsam sibi copulare, deducit nos ad diem novissimum, in quo Christus ecclesiam utpote sponsam suam cœlesti Patri sistet, & ad cœlestium nuptiarum solennitatem introducet 1 Cor. XV. 24. Apoc. XIX. 6. 3) Ενδοξος, sive gloriosa erit ecclesia demum in futuro seculo. Col. I. 22. Παραστησαι, *exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso.* Αμωμοι sunt, in quibus nec ipse Momus, quod carpat, invenire potest, ad talem perfectionem adspirabimus demum in vita æterna. 1 Thess. V. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos* ολοτελεις, *totos atque integros, ut integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* Ολοκληρον est, quod omnibus suis partibus integrum est ac perfectum, cui totum illud, quod forte accepit, inest. Optat igitur apostolus Thessalonicensibus, ut tam integrum spiritum, animam & corpus Christo in die iudicii reddant, qualem ab eo in baptismo acceperunt. 2 Pet. III. 13. *Novos cœlos ac novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.* Novi cœli ac novæ terræ cives tanta iustitia ac sanctitate præditi erunt,

erunt, ut ipsa iustitia in illo cœlo ac in illa terra habitare recte dicatur, abolebitur enim penitus peccatum, ac electi perfecta iustitia decorabuntur. 1 Ioh. III. 2. *Similes ei erimus*, in sanctitate & claritate. Epist. Iudæ v. 24. *Deus potens est vos στησαι κατενωπιον της δοξης αυτε αμωμους ον αγαλλιασει.* Hæc beatorum puritas ac sanctitas symbolice denotatur per *stolas albas*, quibus coram throno Dei adparent amicti, Apoc. III. 5. IV. 4. VI. 11. VI. 9. & 13. per *byssinum candidum ac splendidum*, quo sponsa Christi introducitur ornata Apoc. XIX. 8. XXI. 2.

Dicta patrum de beatorum sanctitate.

§. LXXVII. Patres: Dionysius Areopagita eccles. hierarch. cap. VII. *Sanctae animae, cum in hac vita possint ad deteriora converti, in regeneratione id habituraе sunt, ut ex Dei similitudine ad inconvertibile transeant, at vero casta sanctarum animarum corpora, cum quibus una & vitae mortalis iter egerunt & simul descripta sunt, simulque certarunt, pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secundum divinam vitam firmitate ac sede resurrectionem quoque una recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, ut Christi effecta membra divinam atque immortalem beatamque recipient requiem.* Cyprianus serm. de adscens. Domin. cap. 9. pag. 526. *Non erit concupiscentia in membris, non ultra illa exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus ac pacificus, sana ex integro natura sine omni macula & ruga deinceps permanebit.* Augustinus in enchirid. cap. 91. *Tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, vivificante spiritu carnem subditam sine sustentaculi alicuius indigentia, ut nihil nobis repugnet ex nobis. Sed sicut foris neminem, ita neque intus nosmetipsos patiamur inimicos.* Idem lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Nec ideo liberum arbitrium* (beati) *non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem* (aliis: indeclinabile liberatum.) *Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est creatus, potuit non peccare, sed potuit & peccare, hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suae possibilitate naturae. Aliud enim est esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest, particeps vero Dei ab illo accipit, ut peccare non possit &c. Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis & aequitatis, quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem vero felicitatis nec perpetua felicitate perdidimus. Certe Deus ipse nunquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Prosper libr. I. de vit. contempl. cap. IV. *Humanorum pectorum tanta ibi erit ac tam perfecta munditia, ut habeant, unde mundatori suo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant, quia nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt; & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt.* Hesychius libr. III. in Levit. XII. adplicat huc typum circumcisionis. *Dies*, inquit, *octavus, quoniam septimae diei, quae imago est praesentis vitae, succedit, figuram gerit futuri seculi, in quo carnem praeputii circumcidimus, opera carnis omnia*

cuncta deponentes, tunc quippe non solum non peccaturi, sed nec comesturi &c. erimus autem procul dubio, sicut ait Dominus, ex corruptibilibus incorruptibiles sicut angeli, & mundi modis omnibus ex immundis efficiemur. Remigius in Psal. V. *Tota haec vita quasi nox est, quia multis & magnis ignorantiae & vitiorum tenebris involvitur, transacta hac corruptibili vita, cum mortale hoc induet immortalitatem, veniet mane, id est, initium diei nunquam deficientis. Tunc enim fulgebunt iusti quasi sol in regno Patris eorum, claritate virtutum splendidi, nullam maculam corruptionis habentes.* In libro, cui titulus: *altercatio ecclesiae & synagogae* (circa annum 900. scripto) cap. IV. *Cum mortale nostrum induerit immortalitatem, & corruptibile nostrum induerit incorruptionem, cum mors absumta fuerit in victoria, & principium suum repetierit perfectae libertatis nova creatura, cum venerit, quod perfectum est, & evacuatum fuerit, quod ex parte est &c. cum cessante mentis & corporis mutabilitate liberum arbitrium fuerit liberatum, ut quod volumus, possimus, & quod possumus, recte velimus: ubi sicut voluntatem possibilitas, sic possibilitatem praecedit ordinata voluntas, & quibus nunc accidit, ex nativa corruptela velle & posse peccare, tunc habuerimus & nusquam vel velle vel posse peccare.* Baptista Mantuanus libr. III. de patient. cap. XXVI. *Paradisus noster sua redundantissima voluptate sic omnem voluntatis adpetitum inebriat, ut liberum arbitrium in ea positum peccandi facultate privetur, quod tamen non est libertatem minui, sed augeri. Longe enim praestantior est libertas, ea tantum velle posse, quae displicitura sint nunquam, quam ea etiam velle posse, quae aliquando nolle sit necesse.*

§. LXXVIII. 3) Ex mum bonum, ex luce sapientiæ in mente & ex perfecta sanctitate & libertate in voluntate orietur in cordibus beatorum *adfectuum & adpetituum plena conformitas cum recta ratione divino lumine collustrata.* Itemque *perfecta Dei & proximi dilectio.* Cum enim Deus sit summum bonum, ideo fieri nequit, quin ex beatifica Dei visione & intuitiva eius cognitione ardentissimus eius amor excitetur, siquidem haec natura boni est, ut cognitum adpetatur & ametur, quare quo perfectior erit summi boni cognitio, eo etiam perfectior erit eiusdem dilectio, unde caritatem etiam in vita aeterna mansuram apostolus adserit 1 Cor. XIII. 13. cum reliqua Spiritus sancti charismata, dona scilicet miraculorum, prophetiae, sanationum etiam in hac vita, fides & spes cum hac vita desinant. Adde, quod ex cumulatissima omnium bonorum abundantia divinitus in se collata & ex intimo amoris sensu beati evidenter cognituri sint, se a Deo in summo gradu diligi, ideo ipsum quoque in summo ac perfectissimo gradu amabunt, ex quo amore erga Deum, etiam amor erga proximum orietur, quem in Deo & sub Deo diligent. Cumque *intellectus* plenitudine divinæ lucis futurus sit collustratus, ac *voluntas* immutabiliter in bono confirmata, inde etiam *adfectus cordis* erunt puriissimi, sinceriissimi, ab omni ἀταξία prorsus liberi, atque imperio voluntatis exactissimæ congruentes. Quemadmodum enim in primo homine ad imaginem Dei condito ante lapsum ratio subdita erat Deo, voluntas rationi, adfectus ac reliquæ potentiæ voluntati, ut omnium animæ virium ac facultatum pulcerrima esset harmonia, nullus erat in corde metus,

cum recta ratione conformitas.

3) *Adfectuum* visione Dei, qui est sum-

nullus terror, triſtitia nulla; ſic multo magis in beatis ad imaginem Dei perfecte renovatis talis conformitas omnium adfectuum atque adpetituum cum rectæ rationis dictamine locum habebit. Dilectio illa, qua beati Deum & proximum complectentur, nulla cum moleſtia, difficultate, tædio vel ſatietate erit coniuncta, ſed iucundiſſima, quietiſſima, pacatiſſima & ſinceriſſima. Certo ſcient beati, ſeſe ex ſtatu illius felicitatis, in quam translati ſunt, non eſſe ullo unquam tempore deturbandos, ideo nulla torquebuntur ſolicitudine, nullo angentur metu, ne, quod divina gratia acceperunt, propria culpa aliquando amittant. Nihil adverſi, nihil periculi ipſis impendebit, ideo triſtitia & terror ab eis penitus exſulabit. Quinimo nec ſpes ſolicita & anxia in cordibus eorum locum habebit, neque enim bona futura exſpectabunt dilatione eorumdem perturbati, ſed præſentibus pleniſſime ac perfectiſſime fruentur.

Dicta veterum de beatorum dilectione.

§. LXXIX. Hac de re ſic loquuntur pii veteres: Auguſtinus in enarr. Pſal. LXXXIII. *Poſſident Hieruſalem cœleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diverſitate & diviſione limitum, omnes habent eam, & ſinguli habent totam &c. amor ſempiternus erit, quia illa inſatiabilis pulchritudo erit.* Angelomus ad libr. III. Reg. VI. *In præſenti eccleſia talem nos ingredi ac ducere vitam neceſſe eſt, in qua dilectionem Dei & proximi per fidem & operationem, per patientiam & benignitatem ſervemus. In futura autem vita Deum & proximos in luce aeternae beatitudinis videbimus, eadem utique dilectione genuina abſque ullo prorſus labore imo magna multitudine divinae dulcedinis fruemur.* Anſhelmus in comm. 1 Cor. XIII. *Fides ceſſabit, dum futura, quae creduntur, advenerint, & ſpes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisque praeſtolatur, acceperit, ſola vero caritas in aeternum perſeverabit, & de viſione conditoris ac beatitudine ſanctorum ſine fine gaudebit.* Idem epiſt. II. ad Hugonem. *Tanta ibi erit dilectio inter Deum & eos, qui ibi erunt, & inter ſeipſos invicem, ut omnes ſe invicem diligant ſicut ſeipſos, ſed plus ament omnes Deum, quam ſeipſos. Et propter hoc nullus ibi volet, niſi quod Deus, & quod volet unus, hoc volent omnes; & quod unus vel omnes, hoc ipſum Deus volet. Quapropter quidquid unusquisque volet, hoc erit & de ſeipſo, & de omnibus aliis, & de tota creatura, & de ipſo Deo. Et ſic ſinguli erunt perfecti reges, quia quod ſinguli volent, hoc erit; & omnes ſimul cum Deo unus rex & quaſi unus homo, quia omnes unum volent, & quod omnes volent, erit.* Libr. de ſimilitud. cap. 63. *Corpus & anima cuiusque ſancti, imo concordiae tantae erunt omnes iuſti, quantae in praeſenti ſunt oculi noſtri. Sicut enim oculus unus verſi non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eamdem partem ſemper voluuntur; ſic etiam corpus & anima, vel ſocietas illa iuſtorum nihil poterunt diverſum, ſed eamdem ſemper voluntatem habebunt. Corpus enim unum erimus, eccleſia una erimus, ſponſa Chriſti erimus; quicunque ibi erimus. Ipſa Dei voluntas non erit a tua diverſa, ſed ſicut tu, quod ille, ita & ille volet in cunctis, quod tu, caput namque a ſuo corpore quonam modo diſcreparet?* Scholaſtici diſputant, duplicem eſſe Dei amorem. Unum *benevolentiae*, quo amamus Deum, quatenus in ſe bonus eſt: alterum *concupiſcentiae*, quo amamus Deum, quatenus nobis bonus eſt.

§. LXXX.

§. LXXX. Bona *animae* beatis in vita æterna exspectanda vidimus hactenus, restat, ut B) *bona corporis* eisdem promissa expendamus. Neque enim existimare debemus, animas beatorum duntaxat glorificandas, sed in consortium illius gloriæ etiam corpora recipientur non tantum per bona toti compositio communia, sed etiam per bona corporum propria. 1) Quia apostolus expresse adserit secuturam *την απολυτρωσιν τε σωματος ημων*, Rom. VIII. 23. Illa *απολυτρωσις* est liberatio a mortalitate, corruptione & prava concupiscentia, a peccato & omnibus peccati pœnis, ab omni miseria & dolore, quæ in altera demum vita corporibus beatorum obtinget. Quidam referunt ad piorum mortem, in qua animæ liberantur ex corporum ergastulo, in quo velut captivæ detinebantur miseriis & ærumnis huius vitæ oppressæ; sed apostolus non redemtionem a corpore, verum *ipsius corporis redemtionem a servitute* scilicet *corraptionis*, v. 21. id est, a corruptione, quæ est misera quædam servitus, exspectare nos iubet, eamdem *cum adoptione*, id est, revelatione adoptionis, 1 Ioh. III. 2. ac plenaria in hereditatem cœlestem immissione coniungit, ex quo intelligitur, non tam de statu animarum separatarum post mortem, quam de statu beatorum post resurrectionem hoc loco ipsum agere. 2) 1 Cor. XV. 45. illud ipsum corpus, quod *εν ατιμια* seminatur *εν δοξη*, *in honore & gloria* resurrecturum dicitur, ergo non tantum animabus separatis stola glorificationis obtingit, Apoc. VI. 11. sed etiam corporibus piorum resuscitatis. Ratione substantiæ eadem corpora erunt, sed qualitates mutabuntur, ut hac ratione ignobilitati gloria succedat. Chrysostomus homil XXXV. in Matth. XX. *Sicut lana, si in colorem purpureum tingitur, manet quidem pristina lana, sed est pulchrior, quam antea: ita corpora nostra, quoad substantiam, priora corpora erunt, sed clariora sunt futura.* 3) Phil. III. 21. testatur apostolus, Christum *corpus nostrum humilitatis sive humile transfiguraturum, ut conforme fiat corpori suo glorioso.* Abolebitur ergo corporis humilitas, sequetur gloria & claritas. Nequaquam vero de essentiali ipsius substantiæ mutatione hoc accipiendum, quia Christi glorificatum corpus ratione substantiæ idem est cum corpore humili ante passionem & in passione, sed de qualitatum duntaxat mutatione, quam per *μεταχηματισμον* apostolus exprimit. Photiniani illud *μεταχηματιζεσθαι* censent vertendum esse per *transformari*, ut obineant, electos in vita æterna non amplius habituros carnem & sanguinem, sed verbum illud in scripturis ubique de accidentali duntaxat mutatione accipitur, Rom. XII. 2. 1 Cor. IV. 6. 2 Cor. XI. 13. 14. & 15. 1 Petr. I. 14. sicut & *χημα* proprie significat *speciem, habitum*, 1 Cor. VII. 31. Philip. II. 7. Ac si vel maxime per *transformatinem* verteretur, nondum tamen substantiæ corporeæ abolitio foret evicta; ut enim duplex est forma, *essentialis* & *accidentalis*, ita quoque duplex transformatio. Christus coram discipulis *μετεμορφωθη*, quando *facies eius instar solis splendebat*, Matth. XVII. 2 Marc. IX. 2. non quod substantia corporis fuerit ablata, sed quia *species vultus eius facta fuit alia*, Luc. IX. 28. in quo futuræ nostræ glorificationis ptæludium ac specimen nobis proponi, ostendimus superius. 4) Christus docet beatos fore in cœlis *ισαγγελους*, Matth. XXII. 30. Marc.

B) *ad corpus.*

XII. 25. Luc. XX. 36. non angelicæ essentiæ, sed angelicarum proprietatum respectu, atque hanc ισαγγελοτητα ibidem non solum ad animas, sed etiam ad corpora beatorum refert, quia post resurrectionem eos tales futuros pronunciat, cum secundum animas etiam ante resurrectionem tales sint, ac diserte addit, quod non sint operi generationis amplius vacaturi, quod corporis proprium esse quilibet intelligit. Iam vero conformitas corporum cum proprietatibus angelicis absque glorificatione eorum locum habere nequit, inde Tertullianus libr. de resurr. carnis cap. 26. p. 326. carnem beatorum vocat *reformatam & angelificatam.* 5) Corpus fuit organum bonorum operum in hac vita, 2 Cor. V. 10. æquum igitur est, ut in communionem præmii & consortium gloriæ adsumatur. Corpus per passiones & crucem conforme factum imagini Christi crucifixi, Gal. VI. 17. *Porro stigmata Christi in corpore;* æquum igitur est, ut conforme fiat imagini Christi glorificati. Confer tract. de resurr. §. XXI. 6) Inter corpus & animam est arctissima unio & intima coniunctio etiam in hac vita, ut tristitia, mœror, & alii adfectus animæ ipsum corpus adficiant, utique ergo etiam in vita altera propter arctissimam & indissolubilem animæ & corporis unionem gloria ac lætitia animæ in corpus beatorum redundabit. Alvernus de retribut. sanctor. cap. 1. *Retributio sanctorum dicitur secundum suum principale, imo secundum suum totum gloria animarum, prout sentire videtur Augustinus. Gloriam enim corporum non partem beatitudinis, sed redundantiam eiusdem vocat his verbis: Tanti, inquit, fecit Deus animam rationalem, ut ex beatitudine illius non beatitudo, quae fruentis & intelligentis est propria, sed sanitas incorruptionis in inferiorem naturam, id est, corpus redundet. Tota ergo beatitudo, quae sanctis promittitur, animarum est sic fruentis & intelligentis propria. Sola autem anima fruens & intelligens est, ut patet ex eius verbis. Secunda igitur stola, quae est gloria corporum, nec beatitudo est proprie, nec pars beatitudinis, est tamen pars totius remunerationis; id est, totius boni, quod sanctis in fine dabitur.*

§. LXXXI. *Dotes* illæ sive qualitates *corporis glorificati*, quæ & quot sint futuræ, in hac vita exacte scire & definire posse hominem arbitramur neminem, cum de illis quoque recte accipiatur dictum propheticum & apostolicum generale: Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus*, non solum in animæ sed etiam corporis bonis, *sese diligentibus.* Augustinus libr. XXII. de civ. Dei cap. 21. circa medium: *Quae fit & quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium fit omne, quod de illa profertur eloquium.* Lib. eiusdem cap. 30. *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & flatus sicut ipsa species decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit, non erit.* Recensebimus primo varias variorum scriptorum de numero istarum qualitatum sententias. 1) Quidam *denario numero*, qui perfectionis est, dotes glorificatorum corporum complectuntur. Habebunt enim eiusmodi corpora 1) *perfectam munditiem ac puritatem* sine omni peccato, erunt omnis pec- *Quot futurae sint glorificati corporis qualitates?*

peccati experi, non amplius audietur querela apostolica Rom. VII. 18. *Scio, quod in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum.* 2) *Pulchritudinem & formositatem* sine omni macula, reddemur enim naturæ non iniuriæ; 3) *claritatem* absque caligine; 4) *honorem & gloriam* sine omni ignominia; 5) *indeficiens robur & fortitudinem* sine infirmitate; 6) *perpetuam satietatem*; 7) *summam agilitatem*; 8) *subtilitatem*, ut dimensiones corporeas penetrare possint; 9) *alacritatem*, quod non dormiant; 10) *impassibilitatem*, propter quam non indigebunt vestibus, quia nec frigore nec calore lædentur. 2) Radulphus domin. I. post pascha ad *numerum septenarium*, qui itidem perfectionis est, dotes illas revocat. *In resurrectione*, inquit, *corpus septem donis decorabitur. Primum erit subtilitas; adeo enim tunc subtile erit corpus, quod obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis nec claustris queat prohiberi, unde & corpus Christi glorificatum potuit clauso sepulcro exire, clausisque ianuis intrare. Secundum erit velocitas; nam tantae velocitatis erit corpus glorificatum, ut in momento de cœlo ad terras, de terris ad cœlum, ab oriente in occasum, vel e converso ire possit. Hinc est, quod Dominus adparens duobus discipulis in Emaus, mox adparuit Petro in Ierusalem, cum loca sexaginta stadiis distent. Tertium erit incorruptibilitas; tunc enim corpora non poterunt corrumpi, nec morte, nec senio, nec morbo, nec gladio, nec fame, nec siti, nec aliquo incommodo. Quartum erit fortitudo; tunc enim tantae fortitudinis erit corpus glorificatum, ut montes etiam possit evertere, quod nunc angelos posse credimus. Quintum erit pulchritudo; tantae enim pulchritudinis, tantaeque gloriae tunc erit corpus, ut fulgeat sicut sol. Sextum erit voluptas; tunc enim omnes corporei sensus veris & aeternis voluptatibus delectabuntur. Septimum erit libertas; adeo enim corpus glorificatum erit liberum, ut ea, quae nobis contraria videntur, ipse possit ostendere, ut cum subtile sit in sua natura, se corpulentum & palpabile possit ostendere, & cum voluerit evanescere, ut cum gloriosum & fulgens sit in sui natura, se subobscurum & visibile possit ostendere, cum nullius cibi aut vestis indigeat, possit manducare & esse vestitum, quod & de angelis legimus.* Anshelmus lib. de similitud. cap. 48. itidem septem recenset corporis dotes, sed paululum diversas. *Partes*, inquit, *beatitudinis ad corporis beatitudinem pertinentes sunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longaevitas.* 3) Scholastici communiter ut *tres dotes animae*; videlicet visionem, fruitionem & tentionem; ita *quatuor* glorioforum corporum *qualitates* recensent, 1) *claritatem*, 2) *impassibilitatem*, 3) *agilitatem* & 4) *subtilitatem.* Thomas in comp. theolog. cap. 168. *Erunt hae quatuor conditiones corporum beatorum, subtilitas, claritas, impassibilitas & agilitas.* Iacobus de Vitriaco domin. IV. quadragesi. *Corpora glorificata erunt splendida, subtilia, agilia & impassibilia. Splendida sine obscuritate, subtilia sine corpulentia & grassitudine, agilia sine ponderositate & tarditate, impassibilia sine corruptione & dissolutione.* Hugo de Prato in evangel. domin. resurrect. *Corpus non habebit beatitudinem, quae in anima erit, sed suas dotes, quae sunt agilitas, ut subito feratur, quocunque anima velit; impassibilitas, ut a nulla re possit laedi vel pati; subtilitas, ut montes penetret; & claritas delectabilis & perspicua non laedens oculos, ut claritas solis, ita quod in ipsa claritate corporis claritas animae cognoscetur vel gloria, quia anima magis beata clarius corpus habebit,*

ut quod quilibet possit cognoscere gloriam aliorum, & omnia praedicta habebit corpus ex redundantia gloriae animae in corpus.

Rationes numeri quaternarii.

§. LXXXII. Hasce qualitates, earumque numerum demonstrant 1) ex *dictis scripturae*, quorum prius exstat Sap. III. 7. *Fulgebunt iusti, & ut scintillae in stipula vel arundineto discurrent.* Bonaventura libr. IV. sentent. dist. 49. art. 2. quæst. 1. *In fulgore notatur claritas, in iustitia impassibilitas, in scintillae nomine subtilitas, in discursu agilitas.* Posterius 1 Cor. XV. 42. 43. & 44. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute. Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Thomas d. l. *Per incorruptionem significatur impassibilitas, per gloriam claritas, per virtutem agilitas, per spirituale subtilitas. Primum spectat qualitates passibiles; alterum formam externam; tertium vires; quartum formam internam.* 2) Ab *exemplo corporis Christi.* Corpora sanctorum erunt talia post communem resurrectionem, quale fuit corpus Christi post suam resurrectionem, teste apostolo Phil. III. 21. proinde corpus Christi est exemplar aliorum corporum. Iam vero corpus Christi post resurrectionem habuit quatuor illas dotes: *subtilitatem* ostendit, cum penetraret cœlos; *claritatem*, cum transfiguraretur in monte; *agilitatem*, cum incederet super mare; *impassibilitatem*, cum manducaretur in cœna. Et quamvis aliqua horum facta sint ante resurrectionem, inde tamen efficaciter deduci potest, multo magis post resurrectionem fieri potuisse. Nam easdem dotes, quas ante mortem per intervalla adsumsit, post resurrectionem constanter tenuit. Ergo etiam beatorum corpora illas qualitates erunt habitura. Thomas lib. IV. sent. dist. 44. quæst. 2. Suarez tom. II. in part. III. Thom. disp. 48. Becanus in adpend. disput. de purgat. Calvin. cap. 10. pag. 160. 3) Ex *rationibus.* Thomas de Argentina libr. IV. sentent. dist. 49. profert hanc ratiocinationem: *Ad hoc, ut corpus ab anima beata resumtum non sit ipsi animae onerosum, sicut esse consuevit, in hac vita mortali quatuor requiruntur, duo scilicet ex parte sensus, & duo ex parte motus. Nam ex parte sensus primo requiritur, ut corpus animae beatae sit ignobilium passionum scilicet corruptivarum & laesivarum actionum propulsivum. Ratione primi convenit tali corpori dos claritatis. Et similiter ex parte motus duo requiruntur in huiusmodi corpore. Primo enim congruum est, ut huiusmodi corpus taliter disponatur, quod motor suus ipsum movendo non lassetur. Secundo, ne in suo motu propter resistentiam medii retardetur. Quo ad primum disponitur huiusmodi corpus dote agilitatis, quo ad secundum dote subtilitatis.* Bonaventura d. l. producit duas. Prior desumta est a *causa formali hominis*, videlicet anima, quæ naturæ cœlestis est, & convenientiam habet cum luce. *Sicut enim in hac vita saepe praedominatur natura elementaris, hoc est, corpus: sic in altera vita dominabitur natura cœlestis, quae lucida, hoc est, anima. Lux autem habet quatuor istas proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat; impassibilitatem, quia nihil ipsum corrumpit; agilitatem, quia subito vadit; penetrabilitatem, quia corpora diaphana pertransit. Pari ratione corpus gloriosum, in quo dominabitur natura lucis, quatuor istas dotes habebit.* Posterior petita est a *causa materiali*, nimirum corpore. *Corpus ex quatuor elemen-*

mentis est compositum, & quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab illis defectum. Ab aqua, quae est elementum humidum & passibile, habet passibilitatem & corruptionem, unde humidum aqueum corpus corrumpit. A terra habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne animalitatem, quia calor absumit continue, ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab aëre autem habet infirmitatem. Aër enim facilime immutatur, & cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus per bona opposita removeri debent, ideo quatuor sunt dotes. Contra corruptionem est impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas vel agilitas, contra infirmitatem virtus, sive penetrabilitas vel subtilitas. 4) *Ex dicto Augustini* libr. XXII. de civ. Dei cap. 6. *Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Deformitas enim aberit per claritatem, tarditas per agilitatem, infirmitas per penetrabilitatem, & corruptio per impassibilitatem.* Confer Meisnerum part. I. sobr. philos. sect. III. cap. 2. quæst. 5. p. 746. Quidam ex recentioribus ad ternarium numerum qualitates illas revocant, videlicet 1) ad *gloriositatem*, 2) *incorruptibilitatem* & 3) *spiritualitatem*, ad quam per subdivisionem referunt 1) *invisibilitatem*, 2) *illocalitatem*, 3) *subtilitatem* & 4) *agilitatem*.

§. LXXXIII. Progrediemur hoc ordine, ut primo *nomen*, secundo *numerum ac species* harum corporis glorificati qualitatum explicemus. 1) Dicuntur hæ qualitates ac proprietates glorificati corporis ecclesiastica loquendi consuetudine eâusdem *dotes*. Quamvis vero dona & beneficia quæcunque generali adpellatione vocentur dotes, ut constat ex illo Nasonis libr. II. de art.

Ingenii dotes corporis adde bonis;

& ex versiculis Eobani:

Adde, quod & numeros facile est meminisse, nec ullis
Dotibus ingenii gratia maior inest.

Tamen dos in prima & propria significatione denotat pecuniam nuptiarum causa a parente sponsæ datam, quam *profectitiam* vocant, & ab *adventitia* distinguunt.

Quae dos matronis pulcerrima? vita pudica;

canit Ausonius, cui consonat illud Horatii libr. III. carm. od. 24.

Dos est magna parentum
Virtus & castitas.

ac virginis bene moratæ apud Plautum in Amphitr. *Non ego illam mihi dotem esse duco, quae dos dicitur, sed pudicitiam & pudorem &c.* Hæc significatio propria huc quodammodo adcommodari potest. In die novissimo venient *nuptiae agni*, Apoc. XIX. 7. tunc enim cœlestis *sponsus veniet*, & *virgines prudentes*, *quae paratae erunt*, ad nuptias secum introducat, Matth. XXV. 6. & 10. tunc sancta civitas, *nova Hierosolyma descendens a Deo ex cœlo erit parata, sicut sponsa ornata viro suo*, Apoc. XXI. 2. ac Pater cœlestis, qui filio eam adducet, corporis & animæ bonis amplissimis eam dotabit, ut sit formosa ac dives *non habens maculam vel rugam vel aliquid huiusmodi, sed sit sancta & immaculata*, Ephes. V. 27. Christo sponso suo maximopere placens. Reinerius in pantheologia veterum, quinque rationes reddit huius ad-

adpellationis. a) *Sicut parentes dant dotes filiabus ſponſis in proprietatem, ſponſo in diſpenſationem; ita quoque has dotes dari eccleſiae & Chriſto.* b) *Sicut dos datur in ſolatium; ita & has dotes.* c) *Sicut dos datur ad maiorem ſponſae commendationem & ornatum; ita & has dotes.* d) *Sicut dos non confertur in deſponſatione, ſed deductione in domum; ita & has dotes.* e) *Sicut monilia pertinent ad dotes; ita & has ſpirituales dotes pertinere ad gloriam.* Anshelmus vocat *corporis beatitudines.* Leo *virtutis augmentum.* Ruffinus *praerogativas futuri corporis vel carnis.* Tertullianus *indumentum angelicum.* Confer Cramerum de myſt. corp. glorif. cap. 9. ubi pluribus de adpellatione harum qualitatum & αυχηματων differit. 2) Corporis glorificati dotes Chriſtus uno genere complectitur, quando beatos ισαγγελες futuros eſſe pronunciat. Paulus ad αφθαρσιαν, δοξαν, δυναμιν ac ſpiritualitatem omnia revocat. Quibusdam videtur, quod quaternarius ſcholaſticorum numerus, quo dotes omnes referunt ad *claritatem, impaſſibilitatem, agilitatem* & *ſubtilitatem* retineri poſſit. Cramerus d. l. cap. 10. hoc ordine progreditur: *Certum eſt, quod inanimatum diſtinguatur ab animato non niſi ſenſu & motu. Vt ergo inanimatum differt ab animato ſenſu & motu, ſic profecto corpus ſpirituale ab animali differet diverſitate motus & ſenſus. Neceſſe eſt enim modum motionis & ſentiendi, qui animalis corporis conſtitutionem immediate ſequitur, alium eſſe quam hunc, qui conſequitur conſtitutionem corporis ſpiritualis. Sunt autem motus ſeu motionis, quae duo hoc loco pro eodem accipimus, ſpecies ſex, ut phyſicus enumerat, generatio, corruptio, alteratio, augmentatio, diminutio, motus localis. Senſus ſunt quinque, viſus, auditus, tactus, guſtus, olfactus. In utriusque, hoc eſt, tam ſenſus quam motus perfectione conſiſtit* βελτιωσις & υπερυψωσις *corporum noſtrorum in vita aeterna.* Docendi cauſa etiam ad duo generalia capita revocari poſſe videntur, videlicet ad *ſpiritualitatem* & *claritatem* Erunt enim beatorum corpora *ſpiritualiter clarificata* & *ſpiritualia.* Diximus in tract. de reſurrect. mort. in cap. de mar. §. 82. qualitates corporum reſuſcitatorum eſſe in duplici differentia, quaedam enim *communes* ſunt omnibus reſuſcitatis tam impiis quam piis, tam incredulis quam credentibus. Tales ſunt αφθαρσια και αθανασια, quae tamen in damnatis non poſſunt dici dotes; quaedam vero *propriae* ſolis piis ad vitam aeternam reſuſcitatis. Tales ſunt *claritas & gloria, robur ac potentia, impaſſibilitas &c.* proinde ut corporum beatorum dotes plene enumerantur, *claritas ſpiritualitati*, ac *ſpiritualitas claritati* ſive glorificationi coniungenda, ex quibus duobus fontibus reliquae dotes inſtar diverſorum rivulorum promanant. Quaedam dotes exprimuntur verbis adfirmativis, utpote quod corpora glorificata futura ſint *ſpiritualia, clara, robuſta, formoſa, agilia, ſubtilia;* quaedam vero negativis, utpote quod futura ſint *immortalia, impaſſibilia, illocalia, inviſibilia, impalpabilia.* Sed praeſtat dotes illas ordine & diſtincte enumerare & ex ſcripturis confirmare, quam de exquiſitis earum diviſionibus ac ſubdiviſionibus ſcrupuloſius agere.

§. LXXXIV. Dicimus ergo corpora beatorum fore 1) πνευματικα, *ſpiritualia*, non *animalia*, cibo, potu, ſomno, veſtibus &c. in vita aeterna indigentia. Docet hoc a) *diſerta oppoſitio apoſtolica* inter corpus animale ac ſpirituale: 1 Cor. XV. 44. *Seminatur cor-* 1) *Spiritualitas.*

corpus animale, surgit corpus spirituale. v. 46. *Non prius, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Corpus *animale* vocat apostolus, cui vitam præstat anima, scilicet ad hanc vitam, quæ indiget cibo, potu, vestibus, quam per carnalem generationem homo in sobolem propagat, quæ cum brutis ipsi communis est. Corpus *spirituale* vocat, quod præditum est qualitatibus spiritualibus, nec indiget amplius cibo, potu ac vestimentis &c. Corpus ψυχικον est, quod per naturales animæ operationes regitur ac sustentatur, corpus πνευματικον, quod per Spiritum citra cibum, potum, somnum ac concoctionem regitur. B. Lutherus in enarr. 2 Cor. XV. *Non dicitur propterea corpus spirituale, quod corporaliter non sit victurum, nec carnem & sanguinem habiturum, alioquin enim verum corpus dici non possit. Sed ideo spirituale dicitur, quod quidem sit victurum, sed non comesturum, non bibiturum, non dormiturum, non concoctum, verum a solo Deo cibandum & sustentandum, in quo & vitam habiturum est. Corpora nostra*, inquit Chemnitius lib. de duabus natur. in Christo cap. 30. p. 475. *vocentur in hac vita* ψυχικα, *non quod in animam sint transmutata, aut eiusdem cum anima substantiae, quae est spiritualis essentia, sed quia non seipsis, aut propriis tantum suis corporeis conditionibus, proprietatibus & facultatibus ad actiones moventur corpora, sed ab animae potentiis per cibos & alia, quae ad nutritionem, augmentationem, sustentationem ac totam vitae huius rationem & conditionem, ut media pertinent, vegetantur, sustentantur & conservantur. Item, quia ab animae potentiis ad vitales & animales actiones corpora moventur & gubernantur. Animata enim corpora habent talem communionem cum potentiis animae, ut corpora inde conditiones, facultates & actiones animatas habeant, anima enim per organa corporis αἰσθητηρια seutit, per nervos virtutem suam locomotivam exercet, & oculi animae virtute vident, aures audiunt, nervi corpus movent. Ac breviter, corpus subiectum est animae adfectionibus, quae membris corporis pro sua voluntate & potentia, sicut vult & potest, utitur, & corpus virtute animae utitur ad motus & actiones suas perficiendas. Eadem ratione in resurrectione erunt corpora πνευματικα, seu spiritualia, non quod in Spiritum transmutabuntur, aut quod eiusdem substantiae cum Spiritu sancto erunt, habebunt enim & retinebunt naturam seu substantiam corporis, sed erunt spiritualia, quia quod nunc anima est corpori, hoc tunc, excepta hypostatica animae & corporis unione, spiritus & animae erit & corpori. Corpus enim absque mediis a spiritu sustentabitur & conservabitur, & corpus una cum anima perfectissime subiecta erunt ductui ac gubernationi Spiritus. In hac enim vita rerum in rebus ad Deum pertinentibus aguntur Spiritu Dei, sed ex parte tantum & imperfecte, mente enim secundum interiorem hominem ducitur Paulus Spiritu Dei, Rom. 7. atque ita habet κοινωνιαν Spiritus etiam in hac vita, 2 Cor. XIII. carne autem servit peccato, lex enim peccati in membris in hac vita repugnat legi mentis, Rom. 7. In resurrectione vero & corpus & anima absque ulla repugnantia perfecte subiecta erunt ductui & gubernationi Spiritus, qui & corpore & anima sanctorum ad quoscunque motus & operationes voluerit, pro sua omnipotentia utetur. Et corpora atque animae sanctorum in gloria virtute Spiritus, ad omnes motus & operationes, quas Spiritus voluerit, utentur, & conditiones, facultates atque operationes, non iam animales,*

spirituales habebunt perfectissimas. Hæc Chemnitii explicatio confirmari ex eo, tum quod apostolus considerat primum hominem, non qualis fuit ante lapsum immunis ab omni carnis & Spiritus lucta, sed qualis per peccatum factus est post lapsum, quando accepit corpus mortale, ac terrenus factus dicitur v. 47. non tantum ratione *originis*, sed etiam ac vel maxime ratione *vitiosarum qualitatum & inclinationum* pravarum contra Dei legem ruentium, adeoque respectu habito ad statum corruptionis adinncta & effectus lapsus in se complectentem. Quando ergo Adamo tribuitur corpus animale & quando nos ab Adamo dicimur accipere corpus animale, non tantum ad cibi, potus & vestium usum & ad vitam in terris animalem, sed etiam ad corruptionem per peccatum introductam respectus habetur, acutrique corporis glorificati spiritualitas opponitur; tum quod spiritualitas opponitur; tum quod spiritualitati corporis v. 50. opponitur *caro & sanguis*, quo nomine hoc loco intelligit non substantiam carnis & sanguinis, sed concupiscentiæ corruptionem in vita æterna penitus abolendam, quando pro animali corpore beati spirituale corpus recipient. Nequaquam tamen statuendum, quod apostolus adpellatione *spiritualis corporis* tantum vitiosarum & carnalium qualitatum abolitionem intelligat, sed plura omnino hæc adpellatio complectitur, ut ex seqq. manifestum erit. Addimus enim b) *dictum Christi* Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. *Beati erunt ως αγγελοι*, sive ισαγγελοι, id est, ut angeli sunt πνευματα, ita beati in cœlo habebunt corpora πνευματικα non quidem erunt angeli ratione ουσιας, sed erunt *sicut* angeli & *æquales* angelis ratione ποιοτητος spiritualis. Vt angeli nec cibo, nec potu, nec somno, nec vestibus indigent, quia sunt Spiritus incorporei, sic beati nec cibo, nec potu; nec somno, nec vestibus indigebunt, quia habebunt corpora spiritualia. c) *Visio apocalyptica*, Apoc. VII. 17. *Sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo eius.* Ergo non dormiunt nec quietem capiunt, qua Dei servitium in ipsis interrumpatur. v. 16. *Non esurient neque sitient amplius*, sicut in hac vita, ergo non indigebunt sustentatione per cibum ac potum. d) *Typus Mosis & Eliae.* Moses in monte Deum videns per quadraginta dies & noctes ieiunus manens corporali cibo non indigebat; sic visio Dei in vita æterna absque cibi ac potus corporei adminiculo corpus & animam beatorum satiabit. Eliam itidem sine cibo & potu omnipotenti sua virtute per totidem dies ac noctes Deus sustentabat, quidni idem beneficium beatis cœlitibus præstare possit? Nondum quidem hi duo sancti prophetæ glorificata acceperant corpora, interim præludium quoddam glorificationis ac spiritualitatis in ipsis corporibus suis sentiebant, & aliis exhibebant. e) *Exemplo corporis Christi* Christus *corpus nostrum suo corpori reddet conforme*, Philip. III. 21. κατα το ποιον scilicet, ut interim ineffabiliter maiori gloria excellat κατα το ποσον, ut Theodoretus in comm. recte monet. *Similes ei erimus*, ait Iohannes 1 epist. III. 2. Iam vero corpus Christi post resurrectionem fuit & est spirituale, nec alimenti nec vestimenti indigum. *Manducavit* quidem cum apostolis, Luc. XXIV. 43. Ioh. XXI. 5. Act. I. 3. X. 41. sed non ex ενδεια *indigentia ac necessitate*, verum ex libera οικονομια *ac dispensatione*, ut resurrectionis veritatem in animis discipulorum confirmaret. Talia e-

runt

runt etiam beatorum glorificata corpora. *Regnum Dei non est cibus, potus,* Rom. XIV. 17.

Dicta Patrum de corporum glorificatorum spiritualitate.

§. LXXXV. Hac de corporis glorificati proprietate sic loquuntur veteres: Irenæus lib. V. adv. hæres. cap. 10. pag. 324. *Corpora nostra in hac vita sunt animalia, id est, participantia animam, quam cum amiserint, mortificantur. Deinde per Spiritum surgentia fiunt corpora spiritualia, uti per Spiritum semper manentem habeant vitam.* Cap. 11. p. 325. *Nunc partem aliquam Spiritus eius sumimus ad perfectionem & praeparationem incorruptelae paulatim adsuescentes capere & portare Deum, quod & pignus dixit apostolus, hoc est, partem eius honoris, qui a Deo nobis promissus est &c. Incorporales spiritus non erunt homines spirituales, sed substantia nostra, id est, animae & corporis adunitio adsumens Spiritum Dei spiritualem hominem perfecit.* Chrysostomus homil. XLI. in 1 Cor. *Saepe nunc quidem Spiritus gratia peccantibus nobis adsistit, ac ut praesto sit menti quidem nostrae, tamen vita in carne interim est Spiritum ignorante. Isthic vero non item, sed constanter spiritus beatorum carni adsistit, eritque penes hunc imperium etiam anima tum praesentem, atque hoc per spirituale Paulus significavit.* Epiphanius lib. II. tom. I. adv. hær. p. 182. refellit Proclum, Platonicum philosophum, qui corpora glorificata propterea putabat dici spiritualia, quod *in aëra vel ventum vel aethera, quae spiritus dicuntur, sint commutanda.* Pamphilus martyr in apolog. pro Origene: *Necesse est, animam in locis corporeis habitantem uti corporibus talibus, quae apta sunt his locis, in quibus degit. Et sicut verbi causa, si in aqua maris nos habitare vel degere poscret, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videretur habere talem corporis statum & compositionem, qualem habent illa animalia, quae in aquis degunt; ita nunc cum caelorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriam consequens est, aptandas esse etiam corporum qualitates.* Ruffinus in apolog. Pamphili pro Origene: *Salvis praerogativis futuri corporis & carnis resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, ut & natura carnis eadem servetur, & incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria non infringatur.* Augustinus libr. de fide & symbolo cap. 6. *Corpus spirituale est, quod spiritui promtum praestabit obsequium, omni fragilitate ac labe terrena in caelestem puritatem & stabilitatem mutata & conversa.* In enchirid. cap. 91. *Sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est, ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit.* Lib. XIII. de civ. Dei cap. 20. *Sicut spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellatur spiritualis, non quia in spiritum convertetur, sed quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur &c. Non solum non erit tale beatorum corpus, quale nunc est in quavis optima valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum, qui licet morituri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc corporalia gestantes* (quædam exemplaria rectius legunt: *animalia corpora terrena gestantes*) *qua licet senio non veterascent, ut necessitate perducerentur ad mortem, tamen & alios sumebant cibos praeter unam arborem &c.* Lib. eiusdem cap. 22. *Corpora iustorum, quae in resurrectione futura sunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat, ut nullo morbo vel senectute inveterata moriantur,*

neque ullis aliis corporeis alimentis, quibus esuriendi aut sitiendi qualiscunque molestia devitetur, quoniam certo & omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non nisi velint possibilitate, non necessitate vescantur. Quod angeli quoque visibiliter & tractabiliter adparentes, non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, ut hominibus congruerent, sui ministerii quadam humanitate fecerunt &c. Non potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur, unde & spiritualia erunt; non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent. Cap. 23. *Sicut ista, quae habent animam viventem, nondum spiritum vivificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animae sunt, sed corpora, sic illa spiritualia vocantur corpora. Absit tamen, ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem, corruptionemque carnalem spiritu vivificante passuram. Tunc iam non terrenus, sed caelestis homo erit, non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono caelesti iam tale erit, ut etiam caelo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat.* Lib. XXII. de civ. Dei c. 21. *Homo spiritualis sic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis sit, & videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suae. Erit autem etiam corpore spiritualis, cum eadem caro sic resurrexerit, ut fiat quod scriptum est: Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Cap. 24. *Spirituale erit habens quidem carnis, sed sine carnali corruptione, substantiam.* Fulgentius de fid. ad Petr. cap. 34. *Non indigebimus illic vestimento, quia erimus immortalitate donati.* Iunilius in Genes. *Caro nostra post resurrectionem nulla eget refectione ciborum, quia nulla ei suppetit a fame vel lassitudine, vel alia qualibet infirmitate, defectio.* Beda in Marci XII. *Beati sunt sicut angeli in caelis, quia spiritualis ipsis promittitur conversatio, in qua ab que ullo terreni actus flatu perpetua Dei visione fruentur.* Guilielmus Alvernus primae partis de universo part. II. cap. 23. *Quod calimento indigeant in statu felicitatis illius corpora glorificata, inde manifestum est, quia omne nutrimentum est restauratio eius, quod fluit de corpore nutribili per motum & consumtionem caloris naturalis. Quia igitur huiusmodi dissolutio vel consumtio locum non habet in huiusmodi corporibus, manifestum est, quia neque nutrimentum* Thomas I. 2. quæst. 97. art. 2. *In ultimo statu post resurrectionem anima communicabit quodammodo corpori ea, quae sunt sibi propria, in quantum est spiritus; immortalitatem quidem, quantum ad omnes; impassibilitatem vero & gloriam & virtutem, quantum ad bonos, quorum corpora spiritualia dicentur. Unde post resurrectionem homines cibis non indigebunt, sed in statu innocentiae iis indigebant.* Idem lib. IV. sent. dist. 44. quæst. 2. recenset ac refellit quorumdam opinionem, qui putabant, *dotes corporis glorificati spirituales ex immissione quintae essentiae inducendas.* Arbitrabantur enim, *in humano corpore, quod ex quatuor elementis conflat, etiam in statu huius mundi harmoniam elementorum inter sese conciliari per naturam quinti corporis, quod dicunt in compositionem humani corporis venire, cuius interventu corpus reddatur debita & habilis materia animae rationalis. In hac autem vita aiunt praedominium esse penes corporis elementaris partem. In altera autem praedominaturum esse corpus quintum, ex cuius praedominio corpus humanum trahatur ad similitudinem corporis caelestis, unde tandem constituatur hoc modo corpus spirituale.*

§. LXXXVI.

§. LXXXVI. 2) *Immortalia & incorruptibilia.* Hæc glorificatorum corporum immortalitas distincta erit a) ab *immortalitate Dei*, qui per essentiam & a seipso per absolutam & omnimodam moriendi impossibilitatem immortalis est, sed beati per gratiam & gloriam, adeoque per beatificam Dei visionem immortales erunt futuri. Hoc sensu accipiendum, quod apostolus 1 Tim. VI. 16 asserit, *solum Deum habere immortalitatem.* Hieronymus lib. II. contra Pelag. Damascenus lib. III. orth. fid. cap. 3. *Angeli & homines non sua natura, sed per Dei gratiam habent immortalitatem.* Augustinus lib. III. contra Maximin. Arian. cap. 12. vocabulum *immortalitatis* iudicat esse positum pro *immutabilitate essentiali, quae solius Dei propria.* Chrysostomus in comm. h. l. existimat, *dictum hoc esse in comparatione regum terrenorum, praecedit enim, solus potens, rex regum &c.* Quemadmodum enim electi in vita æterna erunt beati non a se, sed summi boni participatione; sic etiam immortales erunt, non a se, sed illius, qui est ipsa vita & immortalitas, fruitione. b) Ab *immortalitate primi hominis.* Primus homo immortalis erat per potentiam non moriendi, id est, poterat a morte immunis manere, si in concreata integritate & sancta erga Deum obedientia persisteret; interim poterat etiam mori, si a Deo creatore per inobedientiam sese averteret. Proinde immortalitas primi hominis non erat *absoluta moriendi impotentia*, sed ut diximus, *in potentia non moriendi* consistebat; verum beatorum immortalitas in statu glorificationis erit absoluta moriendi impotentia. Vt enim in bono erunt confirmati, ita quoque ab omni mortis periculo & possibilitate liberati. Alia est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus, alia, quam in resurrectione per Christum speramus. Ille factus est homo immortalis, ut posset non mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret. Filii autem resurrectionis non poterunt ultra peccare nec mori. Sicut aliud est posse non peccare & non posse peccare; sic aliud est posse non mori & non posse mori. Prior immortalitas moriendi actum tollit, potestatem omnem saltem remotam non excludit, posterior vero utrumque abolet. c) Ab *immortalitate angelorum & animarum.* Angeli & animæ immortales sunt per gratiam creationis & propter essentialem a materia segregationem; sed corpora beatorum glorificata erunt immortalia per singularem Dei ordinationem ac perfectam divinæ imaginis renovationem. d) Ab *immortalitate damnatorum.* Damnati erunt immortales, quia *quaerent mortem, sed mors fugiet ab eis*, Apoc. IX. 6. at hæc misera erit immortalitas, quia non in felicitate & lætitia, sed in pœnis & miseria erunt immortales, unde respectu beatæ vitæ, a qua sunt exclusi, dicuntur *aeternum mori*; sed beatorum immortalitas non tantum erit durans animæ & corporis unio, sed etiam beatæ vitæ æterna continuatio. Immortalitas corporum beatorum cum aliis glorificationis donis erit coniuncta, sed damnatorum immortalitas ab illis penitus erit separata.

2) *Immortalitas & incorruptibilitas.*

§. LXXXVII. Probatur hæc corporum glorificatorum immortalitas 1) ex *diserta apostoli assertione:* 1 Cor. XV. 42, *Seminatur εν φθορα, resurget in αφθαρσια.* v. 50. Η φθορα ου δυναται την αφθαρσιαν κληρονομειν, *beatam illam immortalitatem & incorruptibilitatem*, quam

in cœlo exſpectamus. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* v. 54. *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo &c.* ubi magna emphaſis eſt in pronomine relativo δειξτικω τϐτο quatuor vicibus repetito, quam ſuo loco expendimus; oſtendit enim ipſa illa corpora, quæ in hac vita ſunt mortalia & corruptibilia, tunc fore immortalia & incorruptibilia. 2 Cor. V. 4. *Quod mortale eſt, a vita abſorbebitur.* 1 Ioh. II. 17. *Qui facit Dei voluntatem, manet in æternum.* Apoc. II. 11. *Qui viterit, non laedetur a morte ſecunda.* 2) Ex *infallibili Dei promiſſione.* Eſai. XXV. 8. *Abſorbebit mortem in ſempiternum.* Oſ. XIII. 14. *Ero peſtis tua, a mors.* 1 Cor. XV 26. *Noviſſimus hoſtis deſtruetur, mors.* v. 55. *Abſorpta eſt mors in victoriam*; id eſt, victorioſe, ut in ſempiternum devicta ac proſtrata iaceat, nec amplius in beatos dominetur. Apoc. XX. 14. *Mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis*, id eſt, penitus deleta & exſtincta, ut nullam amplius in beatos habebunt poteſtatem. XXI. 4. *Mors ultra non erit.* 1 Petr. I. 4. *Vocati ſumus ad hereditatem αφθαρτον και αμαραντον.* 3) Ex *primi hominis conſtitutione.* Si Adamus in ſtatu innocentiæ fuit immortalis, multo magis beati in vita æterna immortales erunt, quia tunc ſuccedet αποκαταϛασις των παντων, Act. III. 21. interim diſcrimen quoddam erit inter immortalitatem primi hominis in *paradiſo terreſtri* & beatorum in *paradiſo cæleſti*, de quo paulo ante egimus. 4) Ex *cauſae remotione.* Mors eſt effectum peccati. At in vita æterna nullum amplius in beatis erit peccatum. Erunt in bono confirmati, ut non poſſint peccare. Ergo etiam erunt in vita confirmati, ut non poſſint mori. 5) Ex *beatorum cum Chriſto conformatione.* Chriſtus corpus noſtrum *reddet conforme ſuo corpori*, Phil. III. 21. atque illud poſt reſurrectionem eſt immortale, Rom. VI. 9. 2 Cor. XIII. 4. Apoc. I. 18. Ergo & beatorum corpora talia erunt. 6) Ex *angelorum conditione.* Beati erunt ιϐαγγελοι. Atqui angeli ab omni mortis neceſſitate & periculo ſunt liberi. Ergo. Huius argumenti fontem monſtrat nobis Chriſtus Luc. XX. 36. *Non poterunt ultra mori, æquales enim ſunt angelis Dei.* 7) Ex *perfecta imaginis divinae reſtitutione.* Imago Dei, ad quam primus homo fuit conditus, complectebatur immortalitatem, Sap. II. 23. iam vero divina imago in beatis perfecte reformabitur, ut ſuperius oſtendimus. Ergo etiam immortalitas beatis conferetur. 8) Ex *habitaculi duratione.* 2 Cor. V. 1. *Habemus aedificationem ex Deo, domum non manufactam, ſed aeternam in cœlis.* Hebr. XIII. 14. *Non habemus hic civitatem manentem μενουσαν, ſed futuram inquirimus.* Si habitaculum eſt æternum, ergo etiam cives & incolæ vivent in eo in æternum, neque enim metus eſt, ne ex eo expellantur, quod angelis malis obtigit. 9) Ex *vitae aeternae adpellatione.* Beatitudo cœleſtis, quæ electis poſt hanc vitam obtingit, ideo adpellatur vita æterna, quia mortem & mortalitatem penitus excludit.

§. LXXXVIII. De hac corporis glorificati immortalitate ſic loquuntur veteres: Tertullianus libr. de reſurr. carn. cap. 36. p. 332. *Reſuſcitati ſimiles erunt angelis, qua non nupturi, quia nec morituri, ſed qua tranſituri in ſtatum illum angelicum per indumentum illud incorruptibilitatis.* *Dicta patrum de immortalitate beatorum.*

Cyrillus

Cyrillus lib. XII. in Ioh. cap. 58. *Quid est in virtute atque gloria resurgere aliud quam quod omni infirmitate, omnique corruptionis dedecore procul depulso ad sinceram incorruptibilitatem genus humanum redituram sit?* Chrysostomus hom. XLI. in 1 Cor. *Quod si mihi parum credis, cœlestia corpora splendida illa hactenus durantia aeterna tranquillitate consistentia vide, credesque deinceps, etiam illa nostra corruptibilia incorruptibilia ut sint, efficere Deum posse, imo his, quae oculis cernuntur, praestantiora.* Augustinus lib. VI. de Genesi ad liter. cap. 25. *Aliud est non posse mori, aliud autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis &c. Neque enim immortale, quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 116. *Per iuventutem resurrectionem a mortuis intelligit, cum nimirum corruptio immutabitur, & natura ad statum ab omni corruptione & interitu alienum iuvenescet.* Theodoretus in comm. Col. II. *In futura vita a corruptione & interitu alienum ac immortale corpus effectum non potest amplius peccati sordes suscipere.* Iunilius in Gen. *Adam ita immortalis factus est, ut posset non mori, si non peccaret; si autem peccaret, moreretur; ita vero immortales erunt filii resurrectionis, cum erunt aequales angelis Dei, ut nec mori ultra, nec peccare possint.* Rupertus lib. II. in Apoc. II. *Qui digne percipit hoc sacramentum, sic resurget in novissimo, ut corpore novo candorem habeat solidum, candorem sempiternum, sitque corpus eius quasi calculus, hoc est, splendida immutatione solidatum.*

§. LXXXIX. 3) *Impassibilia*, nullis omnino passionibus internis vel externis obnoxia. Duplici enim respectu corpora beatorum erunt impassibilia, a) respectu *passionum internarum*, quia in corporibus illis non habitabit amplius fomes concupiscentiæ vitiosas passiones producens, nulla in illis erit peccati macula, nulla inordinata παθη inerunt, sed modis omnibus erunt pura, sancta, incontaminata. b) Respectu *passionum externarum*, quia nihil quidquam erit, quod passionem ac dolorem illis inferre possit, erit in eis divina quædam qualitas, quæ ab omni corruptiva alteratione eadem defendat, non lædentur ab æstu vel frigore, non a fera bestia ipsis imminebit periculum, nec igne, nec gladio poterunt penetrari &c. Prior impassibilitas probatur ex *totali abolitione peccati ex anima & carne renatorum*, quam superius demonstravimus, §. 55. quo referri etiam potest dictum apostolicum 1 Cor. XV. 50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, hoc est, caro vitiis & concupiscentiis adhuc subiecta. Confer tract. de resurr. §. 75. Posterior impassibilitas probatur 1) ex *diserto Spiritus sancti oraculo*, Apoc. VII. 16. *Non esurient nec sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec ullus aestus.* XXI. 4. *Mors non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra.* In Græco est πονος, quod proprie laborem & fatigationem significat. 2) Ex *immortalitatis dono.* Impassibilitas ex perfecta immortalitate & incorruptibilitate originem ducit; quia passio est partialis quædam corruptio & ad mortem quasi præparatio. Iam vero beati erunt perfecte immortales & incorruptibiles. Ergo etiam impassibiles.

3) *Impassibilitas.*

1 Cor. XV. 45. *Surget in* ἀφθαρσια v. 50. *Corruptio non poterit hereditare* τὴν ἀφθαρσιαν. v. 53. *Oportet corruptibile hoc induere* ἀφθαρσιαν. Apostolus absolute ac simpliciter glorificatis beatorum corporibus tribuit ἀφθαρσιαν, proinde ab omni omnino corruptione tum *totali*, quæ est mors, tum *partiali*, quæ est passibilitas, eadem liberat. 3) Ex *primi hominis statu*. In corpore primi hominis quidam statuunt non modo *immortalitatem*, sed etiam *impassibilitatem*, per quam semper extra interitum & corruptionem in integra & naturali sua dispositione permansisset, quam ex protoplastorum ante lapsum nuditate sine ullo dolore, molestia, aut extrinseco eorum incommodo probant. Quamvis vero dubium alicui videri poterat, an ab omni plane passione partiali primus homo immunis fuerit, cum calor nativus egerit in humidum radicale, cum arbor vitæ in προφυλακτικον senii ac mortis fuerit ipsi tradita, cum cibo ac potu ad naturæ conservationem indiguerit; illud tamen certum est, a passione dolorosa ac molesta, quæque tandem mortem per causas internas vel externas adducere potuisset, primum hominem ante lapsum penitus fuisse liberum. Beatorum igitur corpora multo magis ac in gradu longe perfectiori erunt impassibilia, quia nulli penitus passioni vel alterationi erunt obnoxia, postquam exoptata illa των παντων αποκαταστασις fuerit secuta, Act. III. 21. Ut primi homines in statu integritatis erant eo sensu ac respectu *immortales*, quod poterant non mori; sic eo sensu & respectu erant *impassibiles*, quod poterant non pati, id est, omnes passiones & passionum causas prudentia sua avertere. Sed beatorum immortalitas & impassibilitas consistet in eo, quod *non poterunt mori vel pati*, quod corpora eorum nullo plane modo ullius passionis & corruptivæ alterationis erunt δεκτικα ac capacia. Bielis lib. II. sent. dist. 19. quæst. un. art. 1. *Immortale & impassibile accipitur proprie vel improprie. Proprie ut contradictorie opponitur huic, quod est mortale, ut videlicet negatio inclusa negat potentiam moriendi, & sic valet immortale, id est, non potens mori. Impropris, ut non opponitur contradictorie, sed quasi subcontrarie, ut videlicet negatio inclusa non negat potentiam sed actum valens tantum immortale, id est, potens non mori. Priori modo homo non habuit corpus immortale* (& impassibile) *in statu innocentiae, sed secundo. In vita aeterna vero corpus eo modo ac sensu immortale* (& impassibile) *accipiet.* 4) Ex *conformitate cum angelis*. Beati erunt ισαγγελοι. Iam vero angeli sunt impassibiles. Ergo & beati. 5) Ex *remotione causarum passionis*. In novo cœlo ac nova terra nullus erit æstus, nullum frigus, quod beatis nocere possit. Beati erunt reges & victores, erunt domini omnium creaturarum, ergo nemo iniuriam illis inferre audebit. Nulla erit contrariarum qualitatum in corpore glorificato pugna, quæ interitum subiecto moliatur. Nativus calor non absumet humidum, ut restauratione opus sit per cibum; ergo multo minus metuendum erit, ne progressu temporis illud penitus depascat. Potentia materiæ in corporibus glorificatis ita erit exsatiata ab eorum forma, ut aliam nec adpetat nec admittat. Non erunt ibi gladii dissecantes ac interficientes, ac si vel maxime essent, attamen tam non possent lædere corpus glorificatum, quam aërem, quam cœlum, quam spiritum. Nulla ibi opus erit pulmonum eventilatione, nulla ad vitam conservandam exspiratione & respira-

spiratione, sed omnia erunt spiritualia & impassibilia. 6) Ex *pleno animae in corpus dominio.* Hanc rationem profert Thomas in additam. quæst. 82. art. 1. *Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens. Impossibile est autem quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formae proprie super materiam patientis. Corpus autem humanum, & quidquid in eo est, erit perfecte subiectum animae rationali, sicut anima perfecte subiecta erit Deo, & ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, qua perficitur ab anima, & hae ratione corpora erunt impassibilia.* Proficiscitur autem hoc plenarium animæ in corpus imperium a qualitate supernaturali divinitus infusa, quæ perfectissimam corpori sanitatem conciliabit. Si enim in hac vita per medicamenta corporis sanitas aliquanto tempore conservari potest, quidni Deus in vita æterna per qualitatem aliquam supernaturalem ac per beatificam sui visionem corporis sanitatem perpetuo conservare possit?

§. XC. De hac impassibilitatis dote sic loquuntur veteres: Tertullianus libr. de resurr. carnis cap. 57. *Manebit quidem caro etiam post resurrectionem eatenus passibilis, qua ipsa, qua eadem: & tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manumissa a Domino, ne ultra pati possit.* Augustinus in epist. ad Dioscor. *Sanitas perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura fecit Deus animam, ut ex eius plenissima beatitudine redundet etiam in corpus plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor.* Iunilius in Genes. *Nulla suppetet carni a fame vel lassitudine vel alia qualibet infirmitate defectio.* Anshelmus libr. de similitud. cap. 54. *Incunctanter, ut mea quidem fert opinio, adstruere licet, sanitatem futurae vitae ita vigere, & immutabilem ac inviolabilem fore, ut ineffabili quadam dulcedine suavitatis totum hominem repleat, & omne, quod alicuius in se vicissitudinis, mutabilitatis aut laesionis suspitionem praetendere queat, procul arceat atque repellat.* Damascenus lib. III. orth. fid. cap. 28. Christus *primitiae & resurrectionis & incorruptibilitatis & impassibilitatis nobis factus.* Rupertus lib. II. in Apoc. II. *Mortui resurgent, inquit apostolus, & nos immutabimur. Immutari namque sanctorum est tantum, idemque est, ac si diceret: ultra non moriemur, impassibiles erimus.* Scholastici notant, adfectiones & passiones in corporibus esse duplicis generis. Quædam sunt *maleficae, quae corpus laedunt, atterunt ac conficiunt*, ut fames, sitis, morbus, dolor &c. illæ non habebunt locum in beatis corporibus. Quædam vero *naturam potius iuvant & perficiunt, quam laedunt*, ut sensuum notitiæ. Non læditur oculus, cum adficitur pulchris coloribus, nec auditus, cum percipit suavem harmoniam: huius posterioris generis passiones sive adfectiones concedunt sanctis, quippe quæ non κακιωσιν sed potius βελτιωσιν continent.

§. XCI. 4) *Clara, splendida, lucida, fulgentia,* 4) *Claritas non obscura, tenebrosa* &c.

Probatur hæc claritas 1) ex *perspicua scripturae adsertione.* Dan. XII. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudierunt multos, sicut stellae in seculum & in aeternum.* Matth. XIII. 43. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris mei.* Rom. VIII. 18. *Passiones huius temporis non sunt dignae ad futuram δοξαν.* v. 21. *In libertatem gloriae filiorum Dei.* 1 Cor. XV. 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum. Stella enim differt a*

ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. v. 43. *Surgit εν δοξη.* Col. III. 4. *Adparebitis cum Chriſto εν δοξη.* 1 Petr. V. 1. *Της μελλουσης αποκαλυπτεσθαι δοξης κοινωνος.* Fulgentius in lib. adv. decem obiectiones Arianorum refert huc locum ex Pſalm CX. 3. *Tecum principium in die virtutis tuae in ſplendoribus ſanctorum. Splendor*, inquit, *ſanctorum in reſurrectionis claritate conſiſtit, hic ſplendor tunc ſanctis a Domino tribuetur, quando reformabit corpus noſtrum humile, ut conforme illud reddat corpori ſuo glorioſo.* Sed Hebræa aliter habent, ac de ſtatu piorum in hac vita loquuntur, conſequenter tamen hoc dictum propheticum de *pulchritudinibus* ſeu *decoribus ſanctitatis* huc adcommodari poteſt, quia decor ille conſummabitur demum in futura vita. Scholaſtici huc referunt locum Sap. III. 7. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillae in arundineto diſcurrent.* Ne quis vero ſuſpicetur, modicum fore beatorum ſplendorem propterea, quod cum ſcintillis conferantur, ideo notant non æqualitatem ſplendoris ſignificari, qui longe maior erit in beatis, ſed duntaxat ſimilitudinem, quæ rem non prorſus adæquat. Neander in theol. p. 725. huc adcommodat dictum Iud. V. 31. *Qui diligunt Dominum, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendent atque ita rutilant.* 2) Ex *ſymbolica novi cæli ac novae terrae deſcriptione.* Eſai. XXX. 26. *Erit lux lunae ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſep empliciter ſic ut lux ſeptem dierum.* Apoc. XXI. 18. *Ipſa civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo*, quod eſt diaphanum ac pellucidum; iam vero qualis civitas, tales etiam erunt incolæ, fulgentes ac lucentes divino colluſtrati lumine. 3) Ex *Chriſti transfiguratione.* Chriſtus *corpus noſtrum humile tranſigurabit, ut conforme fiat corpori ſuo glorioſo*, Phil. III. 21. iam vero glorificatio corporis Chriſti ſic deſcribitur Matth. XVII. 2. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt candida ſicut nix.* Marc. IX. 3. *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, στιλβοντα, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* Luc. IX. 29. *Facta eſt ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus & refulgens, εξαστραπτων, fulgura quaſi emittens.* Ergo etiam beatorum corpora talia erunt; unde Moſes & Elias ibidem adparent *εν δοξη*, Luc. IX. 31. ac *nubes lucida obumbrat diſcipulos*, Matth. XVII. 5. ut ſignificetur, etiam ſanctos claritatis illius in cœlis aliquando eo ſortes futuros. 4) Ex *angelorum conditione.* Beati erunt *ισαγγελοι*, iam vero quoties angeli, qui propter claritatem comparantur *flammis ignis*, Pſalm CIV. 4. in adſumtis corporibus adparuerunt, lucem ac ſplendorem emiſerunt. Dan. X. 6. *Corpus eius ſicut Tarſis, & facies eius velut adſpectus fulguris, & oculi eius ut lampades ignis, & brachia & pedes eius ſicut color aeris politi.* Matth. XXVIII. 3. *Erat adſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix.* Marc. XVI. 5. *Viderunt iuvenem coopertum ſtola candida.* Luc. XXIV. 4. *Duo viri in veſte fulgenti.* Ioh. XX. 12. *Vidit duos angelos in albis.* Act. I. 10. *Duo viri adſtiterunt in veſtibus albis &c.* Ergo etiam tales erunt beati, unde & ipſi deſcribuntur veſtibus candidis ac fulgentibus induti, Apoc. III. 4. IV. 4. VII. 9. 13. &c. 5) Ex *beatifica Dei viſione.* Deus, qui eſt ipſa *lux*, 1 Ioh. I. 5, beatifica ſui viſione beatos perfecte illuminabit ac colluſtrabit, ut ex eo toti reddantur fulgentes ac lucidi. Eſai. LX. 19. Apoc. XXI 23. *Claritas Dei illuminabit cæleſtem Hieroſolymam & omnes eius cives*, unde v. 24 additur: *Gentes, quae ſalvantur, ambulabunt in lumine illius.*

lius. 6) Ex *typica praefiguratione.* Exod. XXXIV. 29. cum Moſes deſcenderet de monte Sinai, in quo Deum viderat, & cum ipſo locutus fuerat, *ſplendebat cutis faciei eius ex conſortio ſermonis Domini.* Vulgata verſio habet, *Moſen cornuta fuiſſe facie*, quia קרן, quod ſignificat *radios emittere, fulgere &c.* derivatum a Thoar קרן *cornu.* Ut enim cornua ex fronte animalis exſurgunt, ſic radii e lumine emergere & dilatari paulatim videntur, unde Moſen *cornutum* pingunt. Sed cornua proprie ſic dicta Moſis faciem potius reddidiſſent deformem. Intelligitur igitur fulgur ac ſplendor radios lucis emittens, unde etiam Moſes cum Iſraëlitis collocuturus faciei ſuæ velum imponere fuit coactus, quia non poterant in eius fulgorem ἀτενίσαι. Quod ſi igitur Moſis facies ſplendorem & vim emittendi lucem ex conſervatione quadraginta dierum & noctium cum Deo æterna & eſſentiali luce contraxit, quid futurum cenſemus, quando beati *a facie ad faciem* in omnem æternitatem Deum videbunt? 2 Cor. III. 11. 7) Ex *animarum conſtitutione.* Animæ beatorum fulgebunt luce divinæ ſapientiæ, expulſa omnis peccati caligine; ex hac luce animarum reſplendeſcentia quædam in ipſa quoque corpora transfundetur, ut beati ſint toti fulgentes ac lucidi. Si in gemmis vis ac proprietas earum interna lucida reddit gemmarum corpora, quanto magis in beatis lux animarum fulgebit per ipſa corpora. Si radii ſolis per vitrum, cryſtallum & alia diaphana penetrant, quidni ſplendor animarum corpora glorificata ſubtilia penetraret?

Dicta patrum de claritate corporum glorificatorum.

§. XCII. De hac corporum glorificatorum claritate ſic loquuntur veteres: Irenæus lib. IV. cap. 37. p. 267. *Quemadmodum videntes lumen intra lumen ſunt, & claritatem eius recipiunt; ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt, percipientes eius claritatem.* Ephremus in orat. de iudicio: *Iuſtorum corpora ſeptuplo ſolis radios ſuperabunt.* Auguſtinus lib. II. de civ. Dei cap. 29. *Incomparabiliter ſuperna civitas eſt clarior, ubi victoria, veritas; ubi dignitas, ſanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, aeternitas.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Omnes harmoniae corporalis numeri non latebunt intrinſecus & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti & cum caeteris rebus, quae ibi magnae atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione ſuccendent.* Serm. CXLIII. de temp. adducens verba apoſtoli: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunae, alia claritas ſtellarum &c.* ſubiungit: *Videtis, quia promiſſa eſt ſanctorum corporibus claritas & claritatis diverſa ſpecies.* Theodoretus in 1 Cor. XV. *Ex iuſtis alii reſplendent ſicut ſol, alii vero ſicut luna, alii clariſſimarum ſtellarum ſplendorem imitabuntur. Dominus quidem inquit: fulgebunt iuſti ſicut ſol. Apoſtolus autem de ſtellis loquitur, ut oſtendat varium fore in beatis fulgorem.* Gregorius in comm. Iob. XXVIII. ad illa verba: *Non adaequabitur ei aurum aut vitrum. Patebit*, inquit, *corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmonia, ſicque unusquisque erit tunc conſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi &c.* Et poſtea: *Quia ſancti omnes ſumma in hac civitate beatitudinis claritate fulgebunt, ideo inſtructa auro dicitur. Et quoniam ipſa eorum claritas viciſſim ſibi in aeternis cordibus patet, & tum uniuscuiusque vultus attenditur, ſimul & conſcientia penetratur*

hoc aurum vitro mundo simile memoratur. Ibi quippe uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus. Euthymius in Matth. XIII. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol. Verum cum tunc futurum sit, ut Dei splendor illos circumdet, utique ipsi conformes erunt, ac divini reddentur, & consequens est, ut sole splendidiores efficiantur. Quomodo ergo dicit, sicut sol? quia noto apud illos exemplo utendum erat, nec quidquam illis notum erat, quod esset sole splendidius.* Rabanus de modo pœnit. cap. 13. *Incorruptorum gloria corporum non hoc tantum splendoris emittet, quantum ex ista corruptibile luce procedit, nec talem lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt, sed tantus erit futurae lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit adspectus.* Anshelmus in elucidario: *Erunt corpora sanctorum septies quam sol splendidiora.* Bernhardus in medit. cap. 16. *Qualis erit splendor animarum, cum solis splendorem habebit lux corporum?* Thomas in additam. quæst. 85. art. 1. ad 2. disputat, *beatorum corpora non tantum foris extrinsecus splendida, sed etiam intrinsecus diaphana ac transparentia, ut oculi in uentium adpareant venae, humores, viscera, nervi ac tota omnium partium harmonia. Densitas*, inquit, *corporis glorioſi pervietatem non tollit ab eo, sicut nec densitas vitri a vitro.* Ægidius Roman. lib. II. hexaëm. cap. 23. *In ipso cælo empyraeo quasi in quadam flamma non ab ardore, sed a splendore corpora beatorum erunt longe lucidiora isto cælo, & erunt quasi quidam soles & quasi quaedam stellae illius cæli se mutuo videntia in ipso cælo, quia propter diaphaneitatem & propter splendorem propriorum corporum unum non celabitur alteri, sed simul gaudebunt & laetabuntur in mutua visione.*

§. XCIII. 5) *Firma, sana & robusta.* Corpora glorificata erunt in summo gradu ευκρατα, nullis morbis, imo nec morborum periculis, nulli senio, nulli virium decremento obnoxia, sed in stabili sanitate ac robore confirmata. Probatur hoc 1) ex *disertis verbis apostoli.* 1 Cor. XV. 43. *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* 2) Ex *conformitate cum angelis.* Angeli sunt *spiritus potentes virtute*, Psalm CIII. 20. possunt una nocte copiosissimam exercitum prosternere & interimere, 2 Reg. XIX. 35. iam vero beati erunt ισαγγελοι. 3) Ex *qualitate corporis Christi. Christus crucifixus est ex infirmitate, sed vivet ex virtute Dei, & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei*, 2 Cor. XIII. 4. 4) Ex *impassibilitate.* Corpora glorificata erunt impassibilia. Ergo etiam sana, firma, robusta. 5) Ex *amplissima Dei promissione.* Esai. LX. 22. *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Apoc. II. 26. & 27. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi a Patre meo.* III. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* v. 21. *Dabo ei sedere mecum in throno meo.* Hæc dignitas, hoc robur, hæc potestas non tantum ratione animarum, sed etiam ratione corporum beatis obtinget. 6) Ex *primaeva hominis ante lapsum conditione.* Primi homines erant corporibus sanis ac firmis ante lapsum præditi, per fructum arboris vitæ ab omni infirmitate & senio poterant præservari, obtinebant dominium in omnes visibiles creaturas &c. Quanto magis in tempore *restitutionis omnium* illa felicitas electis obtinget, cum & ipsi

5) *Firmitas ac sanitas.*

pſi manducaturi ſint *de ligno vitae*, *quod eſt in paradiſo Dei*, Apoc. II. 7. *quod per menſes ſingulos reddit fructum ſuum, & cuius folia ſunt ad ſanitatem gentium*, XXII. 2. 7) *Ex cauſarum infirmitatis remotione.* Nihil quidquam vel interius vel exterius ſanitatem, robur & firmitatem corporum glorificatorum labefactare poterit, erunt adverſus omnes agentium cauſarum inſultus munita. De hac dote ſic loquuntur veteres: Hieronymus in comment. 1 Cor. XV. ſuper verba: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem &c. Illud veſtimentum non dicit corpus abolere, quod ornat in gloria, ſed quod ante inglorium fuit, efficere glorioſum, ut mortalitatis & infirmitatis viliore veſte depoſita immortalitatis auro, & ut ita dicam, firmitatis atque virtutis beatitudine induamur, volentes non ſpoliari carne, ſed ſuperveſtiri in gloria, & domiciliam noſtrum, quod de cælo eſt, ſuperindui deſiderantes, ut devoretur mortale a vita.* Anshelmus in libro de ſimilitud. cap. 52. *In futuro ſeculo ſic iuſtus fortis erit, ut etiam, ſi velit, terram commovere poſſit, & ſic e converſo iniuſtus imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis ſuis.* Idem in elucidario: *Sanctorum talis erit valentia, ut ſi montes & omnem molem terrae pede vertere vellent, valenter poſſent. Nemo enim dubitat, angelos hoc poſſe, quibus aequales dicuntur eſſe.* B. Lutherus in enarrat 1 Cor. XV. tom. VI. Ienenſ. German. fol. 280. *Quanto imbecillius iam fuerit corpus omnibus viribus & robore deſtitutum, ut morbo proſtratum, nec unius quidem pediculi aut pulicis iniuriam a ſe propulſare poſſit, tanto fortius & firmius poſtea erit futurum adveniente tempore, adeo ut unico digito hanc ſacram aedem nullo negotio portaverit, ac unico pede maximas quasque turres loco moverit, tum quod cum vaſtiſſimis montibus perinde ut pueri cum pila luſurum ſit, atque in momento & ictu oculi ad nubes uſque ſaltarit aut plusquam ſexcenta ſtadia curſu raptim conficiet. Tunc enim mera erit potentia, ubi nunc tantum eſt infirmitas, nec quidquam ipſi erit factu impoſſibile, quod animo faciendum conceperit, ut ſi cum univerſo mundo manus velit conſerere, facile vincet &c.* Confer ea, quæ de impaſſibilitate diximus ſuperius §. 89.

§. XCIV. 6) *Formoſiſſima ac pulcerrima omnis deformitatis expertia*, quod probatur 1) ex *dicto apoſtoli*: 1 Cor. XV. 43. *Seminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria.* Quando corpora inſtar ſeminum terræ mandantur, ſunt deformia, cadaverosa, obſcura, ignobilia, ſed reſurgent formoſiſſima, nobiliſſima, *ſplendoribus aemula ſolis.* 2) Ex *conformitate cum corpore Chriſti.* Chriſtus *corpus noſtrum humile conforme reddet corpori ſuo glorioſo*, Philip. III. 21. atqui Chriſtus eſt *pulcerrimus inter filios hominum*, Pſalm. XLV. 3. 3) Ex *conformitate cum angelis.* Beati erunt ισαγγελοι, atqui angeli ſunt *ſpiritus pulcerrimi*, unde vocantur *aſtra matutina*, Iob. XXXVIII. 7. & adparent in forma florentiſſimorum *iuvenum*, Marc. XVI. 5. 4) Ex *fulgore & claritate.* Corpora beatorum erunt clara, ſplendida ac fulgentia, ut demonſtravimus. Atqui ubi fulgor & claritas, ibi etiam pulchritudo ac formoſitas. 5) Ex *pulchritudinis definitione.* Ariſtoteles lib. III. topic. Το καλλος των μελων τις συμμετρια δοκει ειναι, ubi tamen παχυλως loquitur notante Scaligero libr. IV. poetices puta *cauſaliter*, quia *pulchritudo non eſt ipſa ſymmetria, ſed qualitas ex illa ſymmetria, orta in categoria relationis.* Cicero lib. III. Tuſcul. definit corporis pulchritudinem *aptam membrorum figuram ſive con-*

conformationem cum coloris quadam suavitate, quam definitionem repetit Augustinus libr. XXII. de civit. Dei cap. 19. *Pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam coloris suavitate.* Piccolominus grad. VIII. ex sententia philosophi in lib. I. metaph. definit pulchritudinem, quod *sit perfectio compositi ex congruente ordine, mensura & ratione partium consurgens, vel qualitas ex modo quantitatis, temperatura qualitatum & partium situ conveniente conflata, ac propterea delectans.* Scaliger. d. l. *Pulchritudo est sua cuiusque partis primum, deinde partium commissarum temperamento oriens qualitas, quae comprehenditur sub relativa bonitate, quae est naturae quaedam congruentia*, ut notat idem exerc. CCCVII. At hæ & similes descriptiones omnes in beatorum corporibus locum inveniunt. 6) Ex *omnis deformitatis remotione.* Summa coram Deo deformitas est peccatum, quæ est animæ labes ac macula; remota hac animæ deformitate corpus non potest non esse pulcherrimum. Corporis deformitas oritur vel ex *membri alicuius mutilatione*, ut in monoculis, mancis &c. vel ex *quantitatis improportione*, ex defectu debitæ quantitatis, vel *adpositione alicuius disconvenientis*, quando membrum aliquod est iusto maius vel minus, vel ex *colaris distemperatione* &c. At hæ & similes causæ deformitatis omnes a beatis aberunt. Morbi & senectus depopulantur pulchritudinem. At in vita æterna nec morbi nec senium habebunt locum. 7) Ex *primi hominis conditione.* Primus homo ante lapsum erat anima & corpore pulcherrimus, *vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, & ecce erant bona valde*, Gen. I. 31. Chaldæus Hebræum טוב reddidit per vocem יאין, quod significat *rectum, aptum, conveniens, pulchrum, elegans ac commodum.* Iam vero in vita æterna fiet αποκαταστασις παντων, Act. III. 21. Ergo etiam pulchritudo illa restituetur.

§. XCV. Hac de re sic loquuntur veteres: Augustinus in ench. cap. 91. *Resurgent corpora sanctorum sine ullo vitio, sine ulla deformitate.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 19. *Nulla erit* (in corporibus resuscitatis ad gloriam) *deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quae prava sunt, corrigentur, & quod minus est, quam decet, unde creator novit, inde supplebitur, & quod plus est, quam decet, materiae servata integritate detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui?* Prudentius in hymno exsequiali:

Dicta patrum de pulchritudine corporum glorificatorum.

Haec quae modo pallida tabe
Color albidus inficit ossa,
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinget amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neque ficca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer artus,
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta refudans,
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, iamque perennis
Cernet sine fine gementum,
Quos moverat ipse dolores.

Anshelmus in prosologio cap. 25. *Si te delectat pulchritudo, iusti fulgebunt sicut sol &c.* Libr. de similitudinib. cap. 50. *In illa vita pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui septempliciter, quam modo*

do

do fit, splendidior erit, adaequabitur, unde scriptum est: Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei. Si vero iniustus fuerit, cæno & omni cadavere fœtidior erit, omnique fuligine turpior. Laurentius Iustinianus de casto connub. verbi & animæ cap. 5. *Singuli in illa terra viventium duplicibus vestientur. Corporibus quippe inerit iucundus splendor & immortalitatis decor. Nulla deformitas, nulla membrorum erit inaequalitas. Singula singulis decorabuntur ornamentis.*

§. XCVI. 7) *Agilia*, id est, instructa facultate seu qualitate quadam supernaturali ad motum expedite exercendum, quia glorificata corpora per hanc dotem velocissime moveri poterunt motu non solum progressivo, sed etiam eo, qui volatui similis erit, quinimo necessitas tarde ac localiter sese movendi a beatorum corporibus prorsus aberit, quo respectu immobilia a quibusdam vocantur. Probatur hæc agilitas 1) ex *dictis scripturae.* 1 Thess. IV. 17. *Nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aera*, postquam scilicet ἐν ἀτόμῳ, in momento resuscitati atque e sepulcris in occursum Domini progressi felici quadam immutatione corruptionem ac mortalitatem deposuerimus, 1 Cor. XV. 51. Sap. III. 7. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Quidam veterum huc adcommodant dictum propheticum Esai. XL. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, adsument pennas sicut aquilae, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* 2) Ex *spiritualitate.* Corpora beatorum non erunt animalia, sed spiritualia, ut superius demonstravimus. Iam vero spiritualia dicuntur etiam propterea, quod instar spirituum erunt agilia. 3) Ex *claritate.* Corpora beatorum erunt fulgentia ac luminosa. Iam vero lumen in momento ab ortu in occasum transit. 4) Ex *robore & virtute.* 1 Cor. XV. 43. *Seminatur* ἐν ἀσθενείᾳ, *surget* ἐν δυνάμει, id est, *cum potentia* & robore magno ad motum. Quod corpora tarde moventur ac defatigantur, id pertinet ad δυσχερείας & infirmitates huius vitæ. Iam vero illæ omnes cessabunt in futura vita. 5) Ex *conformitate cum corpore Christi.* Christus ambulabat super aquas, Matth. XIV. 25. post resurrectionem modo erat circa sepulcrum, modo Hierosolymis in medio discipulorum, modo adsociabat se euntibus Emaunta, nec tarde pregrediebatur, sed subito adeoque in momento in aliis atque aliis erat locis. Si motu locali ac successivo Christus in cœlum usque empyræum adscendisset, aliquot annorum spatio altitudinem eius penetrare non potuisset. Iam vero corpora glorificata erunt corpori Christi conformia. 6) Ex *conformitate cum angelis.* Beati erunt ἰσάγγελοι. Iam vero angeli in momento possunt esse, ubi velint, ac propter velocitatem conferuntur ventis, Psalm CIV. 4. 7) Ex *consequente absurditate.* Si beati non possent esse in momento, ubicunque vellent, plurimum ipsorum desiderio, ac proinde etiam felicitati decederet. Si enim successive ac localiter moveri deberent, qui in una cæli parte constituti, vix per aliquot annos ad consortes suæ beatitudinis in altera cœli parte constitutos pervenirent. 8) Ex *causae remotione.* Aberit a glorificatis corporibus causa tardi & successivi motus, quæ est tum gravitas moti tum resistentia medii.

7) *Agilitas.*

§. XCVII.

Dicta patrum de agilitate corporum glorificatorum.

§. XCVII. De hac dote sic loquuntur veteres: Martialis in epist. ad Burdegal. cap. 8. *Non evacuabitur veritas corporis, sed non erit pondus & fragilitas corruptionis.* Cyprianus de resurr. Christi: *Corpus non adgravet animam, sed sit caro sine mole & pondere, agilis & mobilis & nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia, quocunque voluerit, sine impedimento discurrens.* Chrysostomus hom. XLI. in 1 Cor. *Corpus nostrum agilius tenuiusque, & quod aura vehi possit, futurum adserit.* Gregorius Nyssenus orat. de dormient. p. 136. *Nunc quidem quidquid crassum & durum est, natura deorsum fertur, tunc vero ad hoc ut in sublime feratur, transmutatio corporis fit, sic dicente scriptura: Postquam mutata fuerit natura in omnibus, qui revixerint per resurrectionem, rapiemur in nubibus obviam Domino in aerem &c. Si igitur in immutatis pondus corpori non durat, sed una cum incorporea natura in sublime feruntur, qui ad diviniorem conditionem & statum fuerint traducti, quoniam reliquae quoque corporis proprietates ad aliquid divinius una transmutantur.* Hieronymus in epist. ad Pammach. *Quae prius gravi pondere premebantur in terram, acceptis spiritus pennis & immutationis non abolitionis nova gloria volabunt in cælum.* Augustinus in enchir. cap. 9. *Resurgent corpora sanctorum sine ulla corruptione, onere, difficultate in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* Lib. XIII. de civ. Dei cap. 18. *Occultus aliquis operationis divinae motus potest molibus praestare terrenis, ut nullo in imo pondere deprimantur, ipsisque animis perfectissime beatis, ut quamvis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, ubi volunt, ponant, & quo volunt, agant situ motuque facilimo. An vero si hoc angeli faciant, ut quaelibet animalia terrestria rapiant, unde libet, constituantque, ubi libet, aut eos sine labore non posse aut onera sentire credendum est? Cur ergo sanctorum perfectos atque beatos divino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre, quo voluerint, & sistere, ubi voluerint sua corpora non credamus? &c. Num Deo summo concedere dubitabimus, ut de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figurae membrorumque delineat, detrahat ponderis tarditatem?* Libr. XXII. de civit. Dei cap. 11. *Forte qui per plumarum & pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus, ut portentur in aere, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem, qua etiam in summo cælo valeant habitare? &c. Cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum aliquo modo, & animae levare sensum terrena corpora non valebunt? &c. Si Deus minor vel angelus vel daemon potuit pondus humidi elementi* (in cribro virginis Vestalis) *sic suspendere, ut aquarum videatur mutata fuisse natura, itane Deus omnipotens, qui ipsa creavit elementa, terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificari spiritus?* Libr. eiusdem cap. 30. *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & status sicut ipsa species decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit, non erit. Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus.* Serm. CXLVII. de tempor. *Credere debemus, talia corpora nos habituros, ut, ubi volumus, quando voluerimus, simus.* Auctor libri de cognitione veræ vitæ cap. 45. (qui habetur

tur inter opera Augustini tom. IX.) *Erunt illa corpora ut animus agilia. Quam cito enim nunc animus ab oriente in occidentem cogitatione pervenit, tam cito tunc illud corpus illuc pervenire poterit.* Prosper libr. I. de vit. contempl. cap. 11. *Corporibus immortalitate donatis auferenda est tarditas, non integritas; necessitas, non voluntas; ut ibi sine temporis mora aut impedimento ponderis sint, ubi esse voluerint, atque eo sequatur sine ulla difficultate spirituale iam corpus, quocunque ire voluerit spiritus angelicae beatitudinis aequalitate perfectus.* Anshelmus in libr. de similitudinib. cap. 51. *Velocitas tanta nos comitabitur, ut ipsis angelis Dei aeque celeres simus, qui e cælo ad terras & e converso dicto citius dilabuntur.* Idem in elucidario: *Sancti ita veloces sunt, ut quam cito oriens sol in occidentem venire possit, & quam cito oculus se elevans visum ad cælum dirigit, tam cito ad terram de cælo, & de cælo ad terram relabi poterunt.* Bernhardus serm. IV. omnium sanctorum: *Tanta futura credenda est corporum levitas & agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem.* Laurentius Iustinianus libr. de discipl. spirit. cap. 23. *Tanta agilitate praedita erit caro, ut in momento in omnibus obtemperet imperio spiritus praevidentis. Absque retardatione & sine ulla gravedine eo se divertet, quo impetus spiritus se diriget.* Lutherus in enarrat. 1 Cor. XV. tom. VI. Germ. fol. 261. *Corpus nostrum ita leve & agile Deus efficiet, ut instar scintillae in sublimi feramur, vel uti sol sub cælo constabimus, ita ut uno momento vel hic in terris infra, vel in cœlis supra simus &c.* Idem Lutherus in post. domest. fest. adscens. *Nunc quidem corpora nostra sunt gravia, inhabilia, tarda, sed quando a mortuis resurrexerimus, & nova corpora impetraverimus, illa ipsa erunt quidem vera corpora, carne, ossibus & omnibus membris constantia, verum non amplius erunt tam gravia & inepta, sed prout tunc cogitationibus mox illic sumus, ita tunc idem corporibus nostris praestare poterimus.* Zuinglium vis veritatis impulit, ut scriberet part. I. resp. ad confess. Lutheri pag. 465. *Claritatorum corporum conditionem agilitatemque alte longe agiliorem & expeditiorem esse, & quanta illorum sit claritas & puritas, neminem mortalium novisse vel certa ratione adsequi posse.*

§. XCVIII. 8) *Subtilia ac penetrabilia.* Definitur enim subtilitas, quod sit *aptitudo penetrandi alia corpora.* Sic acus subtilis, visus subtilis, intellectus subtilis, iudicium subtile dicitur, quod obiecta penetrat. Pari ergo ratione corpus subtile est, quod penetrat, & a quo ablata est repugnantia existendi eodem loco cum alio corpore. Probatur haec corporis glorificati qualitas 1) a *spiritualitate.* Corpora beatorum erunt spiritualia, ergo etiam subtilia; ut spiritus potest penetrare corpora, sic etiam poterit idipsum corpus glorificatum utpote spirituale. Si corporibus gloriosis denegaretur vis penetrandi, in praecipua quadam virtute & qualitate a spiritu differrent. 2) Ab *angelorum conformitate.* Beati erunt ισαγγελοι. Iam vero angeli sunt essentiae subtilissimae penetrandi facultate praeditae. Act. XII. 12. angelus Petrum ex carcere educens nullis potuit valvis aut claustris cohiberi, quo minus Petro in carcere adstaret. Ergo etiam beatorum corpora erunt subtilia. 3) *A corporis Christi proprietate.* Christus *corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo glorioso.*

8) *Subtilitas.*

Iam vero Christus in resurrectione clausum sepulcrum penetravit, post resurrectionem clausis foribus ad discipulos ingressus est, in adscensione *penetravit cœlos*, ut in harmon. de resurr. multis fuit demonstratum. Ergo etiam corpora beatorum hac proprietate erunt prædita. Quidam addunt, quod Christus natus fuerit illæso virginitatis claustro, adeoque uterum Mariæ clausum penetrarit, qua de re suo loco. 4) *A claritate.* Corpora beatorum erunt fulgentia, splendida, radiis solaribus fulgidiora, ut superius demonstravimus. Iam vero radii solaribus fulgidiora, ut superius demonstravimus. Iam vero radii solares penetrant non solum aërem, aquas, sed etiam corpora solida, ut crystallum, vitrum &c. Ergo etiam beatorum corporibus vis penetrandi non erit denegan da. 5) *Ab agilitate.* Corpus glorioſum in suo motu non potest retardari propter summam agilitatem. Ergo nec impediri. Proinde nihil ei resistet, quare alia omnia penetrare valet. 6) *A consequente absurditate.* Si corpus glorificatum corpora materiata penetrare non valeret, cum possibile sit includi, possibile esset illud incarcerari, atque ita de statu beatitudinis in statum miseriæ detrudi. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 49. quæst. 1. art. 4.

Dicta veterum de subtilitate corporum glorificatorum.

§. XCIX. De hac dote sic loquuntur veteres: Epiphanius in ancor. p. 507. in Græco: εισηλθε θυρων κεκλεισ μενων, (ο κυριος) ινα δειξη το παχυμερες λεπτομερες &c. Auctor libri de cogn. veræ vitæ cap. 45. *Corpus sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate spiritibus erit aequale, & omne solidum ei penetrabile, sicut & corpus Domini lapide clauso surrexit, & ianuis clausis intravit.* Anshelmus lib. de similit. cap. 53. *Sicut angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrime: ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quae nobis ullatenus obstet. In illa enim vita, si bonus fuerit, nihil patietur, quod nolit, sed agere permi tetur, quaecunque voluerit.* Idem in elucidario: *Domini cum corpus clauso sepulcro a mortuis surrexit, ad discipulos obseratis ianuis introivit, nobisque in hoc futurae libertatis documentum praebuit.* Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 28. Σωμα πνευματικον, ατρεπτον απαθες λεπτον, *corpus spirituale, immutabile, impassibile, sub ile.* Thomas in additam. quæst. 83. art. 2. ad. 3. *Corpus gloriosum transibit sphaeras cælorum sine eorum devisione, non ex vi subtilitatis, sed ex divina virtute, quae eis ad nutum in omnibus subveniet.* Bonaventura d. l. *Quod duo corpora non sint simul, hoc est, propter corpulentiam ipsorum, quia unum non est alteri pervium. Si ergo ita sit, quod alterum habeat subtilem corporeitatem & penetrativam virtutem respectu alterius, tunc quidem poterunt esse simul; & quoniam in dote penetrabilitatis, id est, subtilitatis, datur corpori subtilitas, & virtus activa ad penetrandum non glorificatum, ideo penetrat illo non cedente.* Bruleferus lib. IV. sent. dist. 49. pulcre distinguit inter *subtilitatem spiritualem & corporalem*, quæ est vel *raritatis* vel *virtutis. Subtilitas raritatis est quaedam qualitas existens subiective in corpore raro ipsum disponens ad faciliter patiendum, vel ad hoc, ut faciliter penetretur, ut aër & caeterae corpora mollia, quae dicuntur rara, quia mollia & de facili sunt penetrabilia. Subtilitas vero virtutis seu activitatis est quaedam qualitas existens in corpore disponens ipsum ad faciliter agendum, seu faciliter pene-*

penetrandum. Hoc modo posteriore corpora gloriosa habebunt dotem penetrabilitatis, & possunt penetrare omne corpus non gloriosum. Laurentius Iustinianus de disc. spirit. cap. 23. *Caro ita efficietur spiritualis, ut omne solidum & sit pervium, non clausiris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, sed liberam ingrediendi & egrediendi ubique recipiet facultatem.* Baptista Mantuanus lib. III. de patientia cap. 27. *Beatis nihil erit invium, nihil clausum, nihil inaccessum, sed mira subtilitate ac agilitate corporis illuc etiam sine pedum ministerio ferentur, quo desiderabit ardor voluntatis; sic erit animae imperio corpus obediens & subditum, ut adstensui nulla moles, nulla continuo motui lassitudo, nullus denique labor obsistat.*

§. C. 9) *Illocalia*, id est, loco physico corporeo minime circumscripta. 9) *Illocalitas.*

Sane corpora glorificata non erunt infinita sed finita, nec erunt ubique, sed in certo quodam πῦ, interim non circumscribentur loco physico corporeo, sed definitive in illo πῦ erunt. Probatur hæc glorificatorum corporum qualitas 1) ex *spiritualitate.* Corpora beatorum erunt spiritualia, id est, proprietatibus spirituum prædita. Iam vero spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur; ita quoque non est necesse, ut tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur. 2) Ex *agilitate & subtilitate.* Si corpora glorificata loco circumscriberentur, non essent summe agilia & subtilia. 3) Ex *conformitate cum angelis.* Beati erunt *similes angelis.* Beati erunt *similes angelis*, iam vero angeli non sunt in loco per circumscriptionem, sed in πῦ per definitionem. 4) Ex *corporis Christi proprietate.* Corpora beatorum erunt conformia glorificato Christi corpori. Iam vero corpus Christi, quatenus est glorificatum, non circumscribitur loco physico corporeo, ut alibi plenius demonstratur. 5) Ex *loci conditione.* Locus est adfectio corporis animalis ac physici. Iam vero beatorum corpora non erunt ψυχικα, sed πνευματικα. Tempus & locus sunt accidentia, quæ ad hunc mundum pertinent, quia antequam mundus exstaret, nec tempus nec locus erat. Ergo etiam una cum mundo tempus & locus cessabunt. 6) Ex *loci definitione.* Locus Aristoteles est τὸ περιεχοντος περας ακινητου πρωτου. At corpora beatorum nulla superficie circumscribuntur. 7) Ex *cæli constitutione.* Cœlum beatorum non est locus aliquis physicus corporeus, ut superius vidimus. Ergo nec beatorum corpora loco aliquo physico corporeo circumscribentur. Philosophus disputat, cœlum supremum non esse in loco, cum non circumscribatur superficie corporis continentis, quanto igitur minus cœlum beatorum loco aliquo corporeo circumscribi iudicandum? 8) Ex *causarum locationis remotione.* Corpora egent loco, tum ob *sui conservationem*, tum ob *universi contiguitatem.* Neutra causa in beatorum corporibus locum invenit, sustentantur enim immediata Dei virtute, nec in novo cœlo erit talis contiguitas, qualis in hoc visibili universo.

§. CI. 10) *Invisibilia*, id est, oculis nondum glorificatis non necessario actu ipso subiecta. 10) *Invisibilitas.*

Possunt sane corpora glorificata ab oculis etiam nondum glorificatis videri, si accesserit peculiaris οικονομια ac dispensatio divina, ut exemplum Christi & aliorum cum ipso resuscitatorum ostendit; sed

non neceſſarium eſt, ea actu ſemper videri, præſertim ab oculis nondum glorificatis. Inviſibilia ergo ſunt non ratione δυναμεως, ſed ratione ενεργειας & actus; non abſolute & απλως, ſed κατα τι & limitate reſpectu noſtri in hac vita; quia ſcilicet oculi noſtri nondum ſunt clarificati. Probatur hæc proprietas glorificatorum corporum 1) ex *ſpiritualitate*. Corpora glorificata ſunt ſpiritualia. Iam vero ſpiritus ab oculis corporeis videri nequit. Ψυχικα και χοικα σωματος proprium eſt videri, non autem πνευματικα και επουρανια. 2) Ex *conformitate cum angelis*. Beati erunt ισαγγελοι etiam corporum ratione, ut ſuperius demonſtravimus. Iam vero angeli non niſi in adſumtis corporibus videntur, & quidem libera ſui manifeſtatione, non autem neceſſaria quadam adparitione. Excipiunt, *angelos, quoties in corporibus adſumtis adparent, ſemper videri*. Reſp. non videntur ab omnibus neceſſario, quibus in adſumtis corporibus præſto ſunt, ſed ab illis duntaxat, quorum oculos Deus aperit, ut aërea illa corpora (talia enim a pleriſque theologis cenſentur) videri poſſint, id quod evidenter adparet ex 2 Reg. VI. 17. *Ad preces Eliſaei aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equis & curribus igneis in circuitu Eliſaei*. Iam ante aderat angelicus ille exercitus, ſed a ſervo Eliſæi non videbatur, quia oculos nondum habebat apertos. Adde quod αορασια maneat proprietas αγγελοτητος, angelicæ naturæ, unde angeli referuntur inter τα αορατα, Col. I. 16. Ergo etiam erit proprietas ισαγγελοτητος. Iam vero beati futuri erunt ισαγγελοι. 3) Ex *qualitate corporis Chriſti*. Chriſtus in medio exinanitionis ſtatu *per medios Nazarethenos* tranſire poterat, ut eum nec viderent, nec comprehenderent, Luc. IV. 30. poterat a furore Iudæorum in templo *ſe abſcondere, ac per medium eorum e templo exire*, Ioh. VIII. 59. ac poſtquam per reſurrectionem ingreſſus erat in gloriam ſuam, factus eſt αφαντος coram diſcipulis in Emaus, Luc. XXIV. 31. iam vero Chriſtus corpus noſtrum humile conforme reddet corpori ſuo glorioſo, Phil. III. 21. Poſt reſurrectionem Chriſtus dicitur *diſcipulis adparuiſſe ſeſeque manifeſtaſſe*. Atqui ſi neceſſario & ex immutabili naturæ conditione ac proprietate phyſica corpus Chriſti obviis quibuscunque fuiſſet conſpicuum, quorſum opus fuiſſet, ut Chriſtus ſe manifeſtaret modo hac modo alia μορφη, Marc. XVI. 12. Ioh. XX. 15. XXI. 1. Act. X. 40. Chriſtus in via Damaſcena *adparuit Paulo*, Act. IX. 17. 1 Cor. XV. 8. interim comites Pauli neminem viderunt, Act. IX. 7. Stephanus *videt Ieſum ſtantem a dextris Dei*, Act. VII. 55. quem concilii patres non vident. Excipiunt a) *Chriſtum non fuiſſe factum inviſibilem, ſed tantum diſparuiſſe, corpore ſuo non amplius fuiſſe præſentem, ſed repentine ſubductum &c.* Reſp. imo vero emphaſis phraſeos αφαντος εγενετο manifeſte oſtendit, quod miraculoſo quodam modo per proprietatem ac vim glorificati corporis ſubito deſierit ab ipſis videri, vel ipſo adhuc præſente vel inviſibiliter diſcedente per dotem agilitatis. Si Chriſtus per diſceſſum localem & ſucceſſivum videri deſiiſſet, quid quæſo miraculoſi in eo fuiſſet, iam vero evangeliſta tanquam ſingulare ac miraculoſum hoc commemorat, quod Chriſtus coram his diſcipulis factus fuerit αφαντος? Confer. harm. de reſurrect. cap. 7. p. 227. b) *Chriſtum factum fuiſſe* αφαντον, ſed non αορατον. Reſp. ſi per αορασιαν abſoluta impoſſibilitas vi-

videndi intelligatur, quæ non solum actum & ἐνεργειαν, sed etiem δυναμιν omnem excludat, facile concedimus, eo modo ac sensu Christi corpus non esse ἀορατον factum, sed ἀφαντον, quia actus primus sive δυναμις videndi in corpore mansit, actus autem secundus cessavit; interim nobis hoc sufficit, quod Christi corpus in momento disparuisse, nec a discipulis visum fuisse dicitur, etiamsi revera præsens esset. 4) Ex *proprietate eorum, qui cum Christo resurrexerant.* De illis dicitur Matth. XXVII. 53. *Venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Non visi sunt ab omnibus, sed a multis, quorum scilicet oculos Deus aperuerat & illuminaverat, ut spiritualia resuscitatorum corpora intueri possent. Utique ergo glorificata corpora inter alias dotes & novas qualitates, quas post resurrectionem sortiuntur, etiam hanc habent, quod oculis carnalibus & mortalibus non sint conspicua, nisi divina virtute aperiantur. Excipiunt, *nuspiam exstare scriptum, quod resuscitati cum Christo in urbe Hierosolima deambulaverint, atque interim non ab omnibus, sed ab aliquibus tantum visi fuerint.* Resp. textus expresse adserit, quod in urbem Hierosolymam ingressi *multis apparuerint*, ἐνεφανισθησαν, quod manifeste conspecti fuerint multis. Quod si ergo multis duntaxat apparuerunt, ergo non cuivis in urbe obviam sibi facto. Si apparuerunt, ergo non ex naturali quadam corporis proprietate visi sunt, sed ex divina dispensatione, per quam oculi multorum sunt aperti. Quod ita comparatum est, ut appareat non quibusvis, sed certis duntaxat hominibus, & quidem ex singulari Dei beneficio, de eo dici nequit, quod necessario semper ab omnibus actu videatur. Iam vero corpora glorificata resuscitatorum ad vitam æternam ita comparata sunt, ut ex dictis adparet. Ergo. Confero huc exemplum Christi, de quo Petrus eadem fere phrasi pronunciat: Act. X. 40. & 41. ἐδωκεν ο θεος αυτον εμφανη γενεσθαι, *dedit eum conspicuum fieri non omni populo, sed apostolis praeordinatis testibus.* Si Deus dediteum fieri conspicuum, utique non ex essentiali & naturali quadam corporis glorificati proprietate visus est ab oculis mortalium, sed ex divino beneficio, ab oculis scilicet per divinam dispensationem apertis. Si Christus non est omni populo conspicuus factus, sed *praeordinatis duntaxat testibus*, utique ergo alia est proprietas corporis glorificatum, illud enim omnibus, quorum oculis obiicitur, est conspicuum, hoc vero minime. Quemadmodum ergo Christus non est continue cum discipulis post resurrectionem suam conversatus, sed in momento in medio ipsorum stetit, ita ut non viderent eum motu locali ac successivo visibiliter ingredientem, & in medium procedentem, Ioh. XX. 19. in momento etiam ab ipsis discessit, & ἀφαντος factus est, Luc. XXIV. 31. sic & resuscitati cum Christo non fuere adsidue cum illis, quibus adparuerunt, conversati, non manducarunt & biberunt cum ipsis, non fuere somno sub eodem tecto cum illis usi, sed in momento quandoque adparuerunt, ac rursus disparuerunt, donec exacto 40. dierum decursu cum Christo in cœlum adscenderent. Confer harm. de pass. cap. 18. p. 854. 5) Ex *claritate, agilitate & subtilitate.* Corpora glorificata sunt splendida, fulgentia, clara, item agilia ac subtilia. Ergo oculis carnalibus videri nequeunt, nisi illi divinitus aperiantur. Quod si enim claritas ipsorum

sole fulgentior, quomodo non perstringeret oculos carnales & corruptibiles? Solis lux a nobis videri nequit; sed visus aciem fulgore suo obtundit, quanto ergo minus glorificata corpora fulgidissima ac solis radiis clariora videri poterunt? Aër visui nostro propter subtilitatem non est obvius; ignis, quo carnea in verubus assantur, ob tenuitatem a nobis non videtur, quanto ergo minus corpora glorificata dote subtilitatis prædita videre poterimus? Si per dotem agilitatis ac subtilitatis in momento esse possunt, ubicunque velint, quomodo necessarium erit, ut in loco intermedio, per quem tam subito moventur, ab omnibus videantur? 6) *A negata proportione obiecti & instrumenti.* Inter sensibile & sensorium requiritur certa συμμετρια ac proportio, docente philosopho lib. II. de anim. cap. 9. Iam vero inter corpus glorificatum & oculos nondum glorificatos nulla proportio, illud enim πνευματικον, hi vero ψυχικοι, illud subtile & ισαγγελον, hi crassi & ανθρωπινοι, illud clarum ac lucidum, hi obscuri; illud agile, hi vero tardi; illud immortale & incorruptibile, hi vero θνητοι, illud cœleste, hi vero terreni. Ergo nulla hic locum habere poterit visio, nisi accesserit divina dispensatio. 7) Ex *statu cœlestis conditione.* Ea est cœlestis gloriæ conditio, ut *eam nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec ea in cor hominis adscenderit*, Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. ergo nec corporum glorificatorum δοξα terrenis & mortalibus oculis est obvia. Ne radiorum quidem solarium claritatem oculi nostri sustinere possunt, quomodo ergo glorificatorum corporum iubar admittere possent? Cum lux cœlestis in adparitione Christi Saulum circumfulgeret, protinus in terram cadebat, Actor. IX. 4. cum angelus e cœlo descendens, cuius adspectus erat sicut fulgur, lapidem a sepulcro revolveret, custodes timore exterriti facti sunt velut mortui, Matth XXVIII. 4. 8) *A penetratione.* Corpora glorificata penetrare possunt quævis obvia, ut superius ostendimus. Atqui illa penetratio non fit ορατως και αισθητως, sed αορατως και αναισθητως. Ergo etiam corpora glorificata sunt invisibilia. Si aër ob subtilitatem ac tenuitatem conspectum effugit, quanto minus corpus spirituale, quod clausum lapide sepulcrum penetravit, qua aëri nullus patet transitus, oculis nostris cœcutientibus necessario adparebit? Augustinus ad Orosium: *Clarificata carne Dominus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis adparere, eo quod non possent oculis suis talem clarificationem adspicere.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 19. *Claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.* Lyranus in Act. VII. *A corpore Christi in cœlo existentis fuit immutatus oculus Stephani ad visionem humanitatis Christi, in cuius potestate est, sicut fortasse & in cuiusvis alterius corporis glorificati, quoniam totaliter est animae subiectum, ut pro voluntate videatur prope & longe in propria atque aliena effigie.* Thomas part. III. quæst. 54. art. 1. resp. ad 2. *Haec est dispositio corporis glorioſi, ut sit spirituale, id est, subiectum spiritui. Ad hoc autem, quod sit omnino corpus subiectum spiritui, requiritur, quod omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, sit per actionem visibilis in visum, & ideo quicunque habet cor-*

corpus glorificatum, in poteſtate ſua habet videri, quando vult, & quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Chriſtus non ſolum ex conditione corporis glorioſi, ſed etiam ex virtute deitatis, per quam fieri poteſt, ut corpora etiam non glorioſa miraculoſe non videantur. Confer Geſnerum lib. de perſon. Chriſt. p. 292. Meiſnerum part. I. phil. ſobr. cap. 3. ſect. 3. quæſt 6.

§. CII. 11) *Impalpabilia*, id eſt, quod non neceſſario actu tanguntur ab illis, quorum tactus nondum eſt glorificatus, nam hic diſtinguendum inter δυναμιν & actum, itemque inter tangens glorificatum & non glorificatum. Probatur hæc glorificatorum corporum qualitas 1) ex *ſpiritualitate*. Beatorum corpora erunt ſpiritualia. Iam vero palpari eſt proprium corporis ψυχικα και χοικα, non πνευματικα και επουρανια. 2) Ex *conformitate cum angelis*. Beati non ſolum ratione animarum, ſed etiam ratione corporum erunt ισαγγελοι. Iam vero Angeli non ſemper actu tanguntur etiam in adſumtis corporibus. 3) Ex *proprietate corporis Chriſti*. Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis ſeſe palpandum & contrectandum præbuit non ex naturæ neceſſitate, ſed ex libera voluntate; non ex eſſentiali quadam corporis glorificati diſpoſitione, ſed ex divina diſpenſatione; ε νομω φυσεως, αλλ οικονομιας τροπω Damaſcenus lib. IV. orth. fid. cap. 1. ad comprobandam ſcilicet reſurrectionis veritatem, ſicut etiam eodem fine cum diſcipulis *manducavit ac bibit*, Act. X. 41. non ex naturæ neceſſitate, ſed ex libera οικονομια per quandam συγκαταβασιν, Theophylactus in Luc. XXIV. Beda in XX. Ioh. ac vulnerum cicatrices in glorificato ſuo corpore illis oſtendit; interim potuit vero ſuo corpore præſens adeſſe, licet nec videretur nec palparetur, ut adparet ex eo, quod diſcipulis in Emaus adſidens ſubito ſit αφαντος. 4) Ex *ſubtilitate*. Sicut aërem ob ſubtilitatem palpare non poſſumus; ita quoque corpora glorificata, utpote maxime ſubtilia, contrectare minime datur. 5) Ex *inviſibilitate*. Sicut non eſt neceſſarium, glorificatum corpus actu ſecundo ſemper videre, ita quoque neceſſarium non eſt, idem ſemper palpari, cum viſus atque tactus hac in re ſit par ratio. 6) Ex *penetrandi virtute & agilitate*. Corpora glorificata per dotem agilitatis in momento eſſe poſſunt, ubicunque velint, & obvia quævis corpora penetrant. Ergo neceſſarium non eſt, ut in ſpatio, quod tranſeunt, intermedio ſemper actu ſecundo tangantur & palpentur. 7) Ex *illocalitate*. Si corpus glorificatum poteſt eſſe in eodem loco cum corpore non glorificato, utique etiam poterit ſe facere impalpabile. Chryſoſtomus in homil. de Mar. Magdal. *Volebat haec mulier adhuc cum Chriſto converſari, ſicut & ante paſſionem, & prae gaudio nihil ingratum cogitabat, quamvis caro Chriſti multo meliar facta fuerat reſurgendo, ideo Dominus dixit*: Nondum adſcendi ad Patrem meum, *quo dicit: non aeſtimes me iam terrenam vitam agere &c. Dominus iſtud verbum*: noli me tangere, *inani ipſius conatui opponit, quo dicit: non poteris me attactu comprehendere, & addita ratione animo ſolicitudinem eximit*, nondum adſcendi ad patrem meum, *quo dicit: etſi tangi nequeo, tamen tangendum me vobis ante adſcenſionem exhibebo.* Gregorius homil. XX. in evang. *Quod Chriſti corpus eſt incorruptibile & ſimul palpabile, haec ſunt*

11) *Impalpabilitas.*

duo

duo contraria iuxta humanam rationem, ſed Salvator noſter in reſurrectione ſua utrumque ſervavit, ut monſtrando incorruptibile invitaret ad praemium, & praebendo palpabile formaret ad fidem. Ibidem: *Corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur, & palpari non poteſt, quod non corrumpitur.* Thomas in additam quæſt. 83. art. 6. *Tangi poteſt, ſi velit beatus, cum qualitates habeat, quae tactu percipiuntur.* Iavellus tract. III. de felic. Chriſt. cap. 3. *Corpus humanum ex ſui natura ante & poſt reſurrectionem eſt vere tangibile & palpabile, ex privilegio autem gloriae poteſt anima glorioſa facere ipſum intangibile & impalpabile &c. Non inerit corpori, in quantum humanum, ſed in quantum corpus humanum glorificatum.* Item: *Corpus glorioſum immortale & impaſſibile ex ſui natura tangibile eſt, quoniam conſtat ex vera carne & oſſe & nervo, in quibus exiſtunt, qualitates elementares, quod eſt vere palpabile. Quoniam caro & oſſa ſolida ſunt, & non de facili cedunt, imo reſiſtunt tangenti, ne ſubintret ad differentiam ſimplicis aut compoſiti rari. Dico inſuper, quod ex eo, quod omnino ſubiicitur animae glorioſae, poteſt agere anima, ne per qualitates tangibiles immutet ſenſum tactus, & hoc habet ex divina virtute, & non ex natura. Sicut enim divina virtus facit, quod ignis, licet ſit calidus, non calefaciat nec comburat, ut patet de pueris exiſtentibus in fornace, & ſic poteſt corpus glorioſum non tangi, poteſt etiam non palpari, quando anima glorioſa voluerit. Poteſt enim facere, quod corpus glorioſum ſit ſimul in eodem loco cum non glorioſo, ut patet de corpore Chriſti exeunte de ſepulcro non fracto lapide, ex conſequenti non reſiſtet corpori ſolido tranſeunti, & ut ſic non palpabitur, quando etiam voluerit, anima corpus palpabile facit. Et utrumque habemus de facto in Chriſto. Nam quando ingreſſus eſt ianuis clauſis ſe impalpabilem fecit, quod fuit in eodem loco cum ianua ſive oſtio; quando autem oſtendit manus & latus Thomae, ſe palpabilem reddidit. Eſt ergo in poteſtate animae glorioſae facere corpus ſuum inviſibile & viſibile, intangibile & tangibile, impalpabile & palpabile, & hoc ex divina virtute ſibi impreſſa.*

§. CIII. Expoſuimus hactenus *bona vitae aeternae interna*, quæ in ſemetipſis beati ſentient, reſtat, ut II) *externa* eorumdem bona expendamus. Ea vero revocari poſſunt ad duo principalia capita, ad *conſociationem* ſcilicet ſuaviſſimam *& habitationem pulcerrimam* 1) Societatem habebunt 1) *cum Deo & Chriſto*, 2) *cum ſanctis angelis*, 3) *cum omnibus beatis.* a) De ſocietate cum Deo & Chriſto haec loquuntur dicta: Luc. XXIII. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ioh. XII. 26. *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* XIV. 3. *Accipiam vos ad meipſum, ut, ubi ego ſum, & vos ſitis.* v. 16. *Alium conſolatorem dabo vobis, ut maneat vobiſcum in aeternum.* v. 21. *Qui diligit me, manifeſtabo ei meipſum.* v. 23. *Ego & Pater meus manſionem apud eum faciemus.* XVII. 24. *Volo ut, ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam.* 2 Cor. V. 8. *Deſideramus peregrinari a corpore, & praeſentes eſſe apud Dominum.* Phil. I. 23. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* 1 Theſſ. IV. 17. *Rapiemur in nubibus obviam Domino, & ſic ſemper cum Domino erimus.* 2 Tim. II. 11. *Si commortui ſumus, etiam una cum ipſo vivemus.* Heb. XII. 23. *Acceſſiſtis ad iudicem omnium Deum*, v. 24. *& ad novi teſt.*

II) *Bona vitae aeternae externa.*
1) *ſuaviſſima conſociatio.*
a) *cum Deo & Chriſto.*

teſt. Mediatorem Chriſtum. 1 Ioh. I. 6. *Societatem cum eo habemus.* Apoc. VII. 9. *Stant ante thronum & in conſpectu agni.* v. 15. *Sunt ante thronum Dei & ſerviunt illi.* v. 17. *Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos.* XIV. 4. *Sequuntur agnum, quocunque ierit.* XXI. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus erit eorum Deus.* Ex quibus intelligitur, ſocietatem illam non fore duntaxat *inchoatam*, ut in hac vita, ſed *conſummatam ac perfectam*, nec fore duntaxat *externam*, ſed etiam ac maxime *internam*, quia Deus erit *omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. habitabit non ſolum cum eis, ſed etiam in eis, ac beatifica ſui viſione omnes animæ vires & facultates pleniſſime ſaturabit & exhilarabit. b) De ſocietate cum *angelis* hæc loquuntur dicta: Matth. XXII. 30. Marc. XII. 25. Luc. XX. 36. *Erunt ſicut angeli*, καὶ ἰσάγγελοι, erunt angelorum choris intermiſti, atque uno concentu Deum in ſecula laudabunt. Heb. XII. v. 22. *Acceſſiſtis ad μυριασιν ἀγγέλων.* Apoc. IV. 9. *Cum darent animalia gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum*, v. 10. *procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſecula ſeculorum* XIV. 3. *Cantabant quaſi canticum novum ante ſedem & ante quatuor animalia & ſeniores & nemo poterat diſcere illud canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui exemti ſunt de terra.* Per hæc *quatuor animalia* quidam intelligunt ſymbolice præfigurari *angelos*, qui in quatuor mundi plagis Deo miniſtrant, ſic enim deſcribuntur v. 8. quod *habuerint alas ſenas in circuitu*, quibus celeritas eorum in exſequendis Dei mandatis denotatur, quodque *intus* fuerint *plena oculis*, quibus vigilantia eorum inſinuatur, ac *requiem non habuerint die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus!* Confer Eſai. VI. 2. & 3. ubi ſeraphin totidem alas habent, & idem canunt canticum. Ezech. I. 5. X. 5. Apoc. V. 8. VIII. 3. Quidam tamen ut Hieronymus in proœm. ſuper Matth. Auguſtinus lib. I. de conſenſ. evangeliſt. cap. 6. malunt ad evangeliſtas adplicare, cum in ſeq. cap. VII. 11. angeli ab illis animalibus diſtinguantur. c) De ſocietate *cum omnibus beatis & electis* teſtantur hæc dicta: Matth. VIII. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in regno cælorum.* Luc. XIII. 28. *Cum videritis Abraham & Iſaac & Iacob & omnes prophetas in regno Dei* v. 29. *Venient ab oriente & occidente & aquilone & auſtro & adcumbent in regno Dei.* Heb XII. 22. *Acceſſiſtis ad montem Sion & civitatem Dei viventis Ieruſalem cæleſtem;* ad conſortium eccleſiæ nov. teſt. per montem Sion ac terrenam Hieroſolymam præfiguratæ, quæ in hac vita militat, in futura triumphat, atque ambitu ſuo omnes electos complectitur. v. 23. *Ad Panegyrin & eccleſiam primogenitorum in cælis conſcriptorum.* Quidam hæc verba accipiunt de *angelis*, qui Iob. I. 6. XXXVIII. 7. nominantur *filii Dei*, qua ratione per adpoſitionem ſubiungerentur præcedentibus: *Acceſſiſtis ad myriaſin angelorum*, qui ſunt *primogeniti*, hoc eſt, filii Dei cariſſimi, & *conſcripti in cælis*, id eſt, electi a Deo ad vitam æternam. Sed commodius accipiuntur de catholica & univerſali ſanctorum eccleſia, ut ſic per *primogenitos* intelligatur dilectus Dei populus Exod. IV. 22. qui dicuntur *conſcripti in cælis*,

b) cum angelis.

c) cum omnibus beatis.

per æternam scilicet electionem, Luc. X. 20. Phil. IV. 3. quam hominibus vere & perseveranter in Christum credentibus, non autem angelis scriptura proprie tribuit. *Et ad spiritus iustorum perfectorum*, per quos intelliguntur animæ a corporibus separatæ & in cœlum receptæ, quæ plene sunt sanctificatæ ac glorificatæ. Refer huc visiones apocalypticas, in quibus ecclesia triumphans præfiguratur, Apoc. IV. 4. V. 8. VII. 9. XI. 16. XIV. 1. XV. 2. XIX. 1. &c.

Ex hac societate oritur 1) mutuus amor,

§. CIV. Ex hac suavissima & sanctissima beatorum societate orietur ac vigebit inter eos 1) *mutuus amor* ερως και αντερως. Cum enim caritas in vita æterna futura sit perfecta, 1 Cor. XIII. 8. ideo non tantum Deum super omnia diligent, sed etiam semetipsos invicem purissimo & perfectissimo amore complectentur. Quantum quisque seipsum, tantum diliget etiam alterum. Anshelmus in prosol. cap. 25. *Iusti diligent Deum plusquam seipsos, & invicem tanquam seipsos, & Deus illos plus quam illi seipsos, quia illi illum & se & invicem per illum, & ille se & illos per seipsum.* Vita, quæ in caritate ducitur, est optima, iucundissima & quietissima, sicut e converso vita, quæ in odiis, dissidiis ac litigiis ducitur, est miserrima ac turbulentissima. Quare cum beatorum vita in perfecta caritate perpetuo sit ducenda, ideo etiam non poterit non esse iucundissima. Sicut cortinæ in tabernaculo Mosaico per ansulas erant sibi arctissime connexæ, sic beati in vita æterna per caritatem unitissime erunt invicem devincti. 2) *Mutuus honor.* Maxima erit omnium beatorum dignitas, erunt *omnes reges & sacerdotes coram Deo*, Apoc. I. 6. ideo etiam honore sese mutuo adficient. Sicut Deus honoravit sanctos cœlestium bonorum communicatione, sic beati Deum in se & omnibus reliquis beatitudinis consortibus honorabunt gratiæ divinæ agnitione & glorificatione, honorabunt etiam sese invicem donorum in quemlibet beatum collatorum prædicatione. Ioh. XII. 26. *Si quis mihi ministrat, honorabit eum Pater meus*: At quem Pater cœlestis honorat, eum etiam tota cœlestis curia honorat, quia voluntas beatorum divinæ voluntati est perfectissime conformis. 3) *Maximum gaudium.* Ubi sincera & vera viget caritas, ibi quisque alterius bonum intuetur ut suum, ac de eo lætatur ut suo. Quantum igitur erit beatorum gaudium ortum ex eo, quod perfectissimam omnium bonorum plenitudinem tum in se tum in aliis cœlestis Hierosolymæ concivibus summe a se dilectis intuebuntur? Quanta erit delectatio intueri distinctos sanctorum angelorum ordines, puta *angelos*, *archangelos*, *principatus*, *virtutes*, *potestates*, *dominationes*, *thronos*, *cherubim*, *seraphin &c.* Quanta lætitiæ materia erit videre Θεοπλαστας primos generis humani parentes, Θεοσοφους patriarchas, Θεολημπτας Enochum & Eliam, Θεοπτην Mosen, Θεοπνευστας prophetas, Θεοδιδακτας apostolos? Quanta erit voluptas adsociari cognatis, parentibus, liberis, coniugibus? Cumprimis vero quantum bonum ac gaudium erit, videre *Christum* regem omnibus angelis & beatis præsidentem *in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius & in die lætitiae cordis eius*, Cant. III. 11. Confer quæ de exultatione

2) mutuus honor,

3) Maximum gaudium.

ne sanctorum diximus superius. 4) *suavissimum colloquium.* Neque enim beati erunt κωφα προσωπα, muti spectatores, sed suavissimos invicem sermones conferent de admirandis divinæ sapientiæ decretis, de stupendis divinæ potentiæ operibus, de infinitis divinæ gratiæ ac bonitatis argumentis. Quemadmodum enim Moses & Elias in transfiguratione, cum Christo *colloquuntur* de instante passione, Matth. XVII. 3. Luc. IX. 31. sic in vita æterna vigebunt inter sanctos perpetua & iucundissima colloquia de passionis dominicæ fructu, æterna scilicet beatorum glorificatione ac de aliis fidei nostræ mysteriis, ad quorum perfectam agnitionem in hac vita adspirare nondum potuerunt. Quam angusta erit ista synodus, in qua convenient omnes sancti vet. ac nov. testamenti, cuius εξαρχος erit Christus, in qua non erit necessarium, solicite veritatem inquirere, sed omnia omnibus erunt nota ac manifesta.

4) *suavissimum colloquium.*

§. CV. De hac beatorum societate sic loquuntur veteres: Cyprianus lib. IV. epist. 6. *Quae erit gloria & quanto laetitia, admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias? Abraham & Isaac & Iacob & patriarchas omnes & prophetas & apostolos & martyres omnes salutare? cum iustis & Deo amicis in regno cœlorum datae immortalitatis voluptate gaudere?* &c. Basilius in exhort. ad baptism. tom. I. p. 450. *Ibi angelorum millia, primorum parentum conventus, apostolorum sedes, tribunalia prophetarum, patriarcharum sceptra, martyrum coronae, iustorum laudes, cumulatissime spectabuntur.* Homil. in Psalm. 45. *Definiunt quidam civitatem congregationem constabilitam & legibus administratam. Haec enim tradita civitatis definitio illi, quae sursum est Hierusalem, cœlesti civitati maxime convenit. Nam & ibi primogenitorum ac descriptorum in cœlis congregatio & ob immutabilem sanctorum vitam & secundum legem cœlestem gubernatam stabilis quidem ac perpetua est. Ordinem vero illius & omnem ornatum perditi esse, naturae non est humanae. Ibi namque sunt, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quae Deus praeparavit diligentibus se, praeterquam quia & myriades sunt ibi angelorum & sanctorum & conventus festivi & primogenitorum ecclesia descriptorum in cœlis.* Theophylus Alexandrinus lib. III. paschali. *Ibi angelorum reperiemus choros, & cum eis festa celebrantes habebimus eos socios mysteriorum Dei, & exsultatione ineffabili gestiemus, sapientiae cum illis sacramenta discentes, ubi nulla fraudis deceptio est.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum: *Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, ubi magna multitudo hominum sederet, amicta stolis aureis, & in medio omnium ostenderet alium quemdam adornatum eximie gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite; deinde polliceatur te adsumturum in eorum numerum, num omnia faceres, quae ipse iusserit? Evola nunc in cœlos animo, in illud intende theatrum, quod non coiit ex huiusmodi viris. Conventus est illic eorum, qui exsuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorum solis & omnis visibilis formae, non hominum solum, sed eorum, qui hominibus antecellunt, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum. De rege ipso nihil satis idoneum*

Dicta veterum de beatorum societate.

dici poteſt, adeo ſermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplendor, gloria, mateſtas, magnificentia. Auguſtinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 29. *Ad angelos iam cœpimus pertinere, cum quibus ſancta nobis erit atque dulciſſima in ipſa civitate Dei communio.* Gregorius in homilia ſuper dictum Ioh. X. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur &c. *Ibi hymnidici angelorum chori, ibi ſocietas ſupernorum civium, ibi dulcis ſolennitas a peregrinationis huius triſti labore redeuntium, ibi providus prophetarum cœtus, ibi iudex apoſtolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus tanto illic laetior, quanto hic durius adflictus; ibi confeſſorum conſtantia praemii ſui perceptione ſolidata; ibi fideles viri, quos a virilitatis ſuae robore voluptas ſeculi emollire non potuit; ibi ſanctae mulieres, quae cum ſeculo & ſexum vicerunt; ibi pueri, qui hic annos ſuos moribus tranſcenderunt; ibi ſenes, quos hic & aetas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit.* Bernhardus ſerm. II. de nativ. col. 38. *Plane non dedignabuntur angeli, ut ſimus eorum ſocii, quorum facti iam miniſtri.* Baptiſta Mantuanus lib. VIII. ſylvarum:

Quotquot erunt animas & quot nos ante fuerunt
Accipient laeto magna theatra ſinu.
Fas erit hic noſtrae vultus agnoſcere gentis,
Atque dare alternis mutua verba ſonis.
Hic cum fratre ſoror nati cum patribus ibunt,
Veſpera nec feſſos finiet ulla dies.
Quos modo miramur, regione videbimus illa,
Et veteres inter ſuſcipiemur avos.

§. CVI. 2) *Habitaculi*, in quo beati olim recipientur, *pulchritudo* colligitur 1) ex *ipſa adpellatione.* Vocatur enim *novum cœlum, nova terra, paradiſus, domus Patris cœleſtis, aeternum tabernaculum, mons Domini, templum Dei, ſanctuarium, Hieroſolyma cœleſtis, civitas Dei viventis &c.* ut vidimus ſuperius §. XI. At hæ ac ſimiles adpellationes de pulchritudine illius domicilii nos admonent. 2) *Ex cauſarum enumeratione. Cauſa efficiens*, adeo architectus cœleſtis habitaculi eſt ipſe Deus, 2 Cor. V. 1. Heb. XI. 10. Apoc. XXI. 2. iam vero Deus eſt το καλλιστον, ſumma pulchritudo, ab eo non poteſt quidquam niſi pulchrum proficiſci. Quidquid pulchritudinis in operibus hominum manufactis occurrit, ne umbræ quidem loco haberi poteſt, ſi ad pulchritudinem cœleſtis Hieroſolymæ conferatur. *Materia* cœleſtis habitaculi typice deſcribitur Apoc. 21. quod exſtructum ſit ex *auro, margaritis, gemmis*, quibus in his terris nihil pulchrius occurrit. *Forma* ibidem ſymbolice ac myſtice exprimitur, quod ſit quadrata, ampliſſima, muris altis ac latis munita, plateis ſpatioſis & portis ſpecioſis ornata &c. Ioh. XIV. 2. dicuntur in ea eſſe *manſiones multae.* At talis civitas non poteſt non eſſe pulcherrima. Scholaſtici diſputant, *cœlum beatorum tam amplum ac ſpatioſum eſſe, ut ſi cuilibet ſanctorum unus locus & certa portio deputaretur, illud ſpatium plus contineret, quam occupat univerſa terra. Finis*, propter quem cœleſte habitaculum divinitus exſtructum, id eſt, ut contineat omnium bonorum & gaudiorum plenitudinem, qua electi in omnem æternitatem perfruantur. Utique ergo ipſum quoque erit pulcherrimum. 3) Ex *ty-*

2) *Pulcherrima habitatio.*

porum

porum praefiguratione. Paradisus terrestris debuit esse typus paradisi cœlestis. Atque terrestris paradisus fuit *omnis voluptatis promtuarium*, quanto magis cœlestis. *Hierosolyma terrena*, cumprimis *templum sanctuarium* debuit esse typus Hierosolymæ cœlestis. Atqui de terrena illa Hierosolyma adserit Plinius lib. V. natur. histor. cap. 14. quod *fuerit urbium orientis longe clarissima.* Templi structuram ac pulchritudinem mirantur ipsimet discipuli Christi, Matth. XXIV. 1. Marc. XIII. 1. Luc. XXI. 5. 4) Ex *inhabitantium conditione.* Erit habitaculum *Dei, angelorum & hominum.* Deus est ipsa lux, angeli & beati fulgebunt divina luce & claritate; utique ergo etiam habitaculum erit lucidissimum, fulgentissimum, splendidissimum.

Dicta patrum de habitaculi cœlestis pulchritudine.

§. CVII. De hac novi cœli ac novæ terræ pulchritudine sic differunt ecclesiastici scriptores: Cyprianus serm. de laude martyrii p. 490. *Nunquam excidit locus, ubi iacet gratia, ubi virentibus campis terra luxurians, alumno se induit gramine, & redolente pascitur flore, ubi altum nemora tolluntur in verticem, & ubi arbor densiore coma vestit, quidquid curvantibus ramis scena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris, nec ut in autumno arva requiescant, aut ut iterum vere novo tellus secunda parturiat; unius cuncta sunt temporis, unius poma feruntur aestatis, quippe cum nec mensibus suis tunc luna deserviat, nec per horarum sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies laeta, sedes tenet placida, ubi fons scaturiens medio sinu alvei prorumpentis emergit, & pauco per intervalla circuitu sinuosis flexibus labitur, ut in ora nascentium sibi fluminum dividatur.* Chrysostomus epist. V. ad Theodorum lapsum: *Contemplare cœlum, animadverte, permutatum fore habitum totius creaturae. Nihil enim huiusmodi, ut nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit ac praeclarius, & quantum plumbo aurum vibrans aera, tantum hac rerum praesentium specie futurus ille decor illustrior erit &c.* Augustinus, vel quicunque alius auctor in lib. de tripl. habitacul. cap. 4. *Quidquid de urbe illa regia dixerit homo, quasi stilla de mari est vel quasi scintilla de foco.* Idem in lib. meditat. cap. 26.

Ibi vivis margaritis
Surgunt aedificia.
Auro celsa micant tecta,
Radiant tritlinia.
Solis gemmis pretiosis
Haec structura nectitur.
Auro mundo, tanquam vitro,
Urbis via sternitur.
Hiems horrens, aestas torrens
Illic nunquam saeviunt;
Flos perpetuus rosarum
Ver agit perpetuum;
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant fata,
Rivi mellis influunt:
Pigmentorum spirat odor
Liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices,
Sol vel cursus siderum.
Agnus est felicis urbis
Lumen inocciduum.
Tempus & nox desunt ei,
Diem fert continuum.

Bernhardus de medit. cap. 4. *Civitatis illius cives sunt angeli, Deus Pater templum*

plum, Filius eius splendor, Spiritus sanctus caritas. O civitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis & ampla, totum continens, quod delectat, populus sine murmure, incolae quieti, homines nullam indigentiam habentes. Laurentius Iustinianus de Castro connubio verbi & animæ cap. 5. *Civitas haec magna, adspectu grata, ab hostibus secura, a doloribus aliena, a perturbatione extranea, a morte liberrima. Nil immundum in ea est, nil sordidum, nil corruptioni obnoxium. Totum in illa placet, totam lucet, totum arridet. Plateae eius auro mundo sternuntur, portae ex sapphiro & smaragdo aedificantur, ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius, super turres, super muros custodes constituti sunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non cessant, sed & per plateas vicosque mirabili exsultatione ab universis Alleluia cantatur. Non indiget solis aut lunae lumine, ut illustretur, quoniam claritas Dei illuminabit eam & lucerna eius est agnus. Fulget enim claritate, amœnitate floret, aeternitate viget, & mirabili dilatatur immensitate. Sine consummatione magna est, sine comparatione pulchra, sine defectu conspicua, sine oppositione praeclara. Universi de uno potantur voluptatis fonte, de uno irradiantur veritatis lumine, & in uno copulantur vinculo caritatis.*

Bona vitae aeternae erunt universalia.

§. CVIII. Cæterum bona illa ac gaudia vitæ æternæ erunt non tantum *varia ac numero multiplicia*, sed etiam *universalia*, id est, in omnibus animæ potentiis & in omnibus corporis membris locum habebunt. Erit enim Deus plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio æternitatis memoriæ; erit speculum visui, mel gustui, cithara auditui, balsamum olfactui, flos tactui. Anshelmus lib. de similitud. cap. 56. *Delectatio quaedam ineffabilis bonos inebriabit, & inaestimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullae, exta etiam ipsa & cuncta singulatim, singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab ubertate domus eius inebrietur.* Laurentius Iustinianus de disc. spirit. cap. 23. *Caro per omnes sensus multimodis exuberabit delitiis. Delectabitur oculus in amabili Redemtoris adspectu, & cum cœlum solis, lunae & stellarum splendore rutilans intuebitur, auditum harmonia cœlorum melodica, cantica civium supernorum non mediocriter demulcebunt. Fragrans suavitas cœlestium odoramentorum mira liquefactione respergetodoratum. Indicibilis dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam & iucunda satietate oris saginabit palatum, nam exsultationes Dei in gutture eorum erunt. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit delitiis &c.* In hac vita anima angore pressa corpus quandoque sanum est, & vice versa corpore sano existente anima dolet & angitur sensus corporis unus voluptate adficitur, altero interim vel egente vel etiam patiente; sed in vita æterna & omnes animæ potentiæ & omnia corporis membra torrente divinæ voluptatis inundabuntur. Tunc *sanabit* Christus totum *hominem*, Ioh. VII. 23. ut anima & corpore perfecte sanus divinam dulcedinem in omnibus animæ facultatibus & corporis sensibus percipiat. Baptista Mantuanus lib. III. de patient. cap. 27. *Videbunt beati cœlos, ac omnem cœlorum harmoniam percipient. Videbunt & ipsum Chri-*

Christum & matrem & omnia omnium beatorum corpora gloriosa, quae iam incorruptibia & mirabili decore conspicua fient intuentium oculis tam dulce spectaculum ut quod desiderari melius possit, nesciturі sint. Id quoque visu erit iucundissimum, quod sicut nunc ex motu corporis animam inesse percipimus, & vegetare ac regere membra corporea, sic tunc cælo & elementis & rebus omnibus Deum esse intimum, & in qualibet universi parte totum conservare, alere ac gubernare mundi hanc machinam, non dubio cernemus intuitu &c. Tanta erit vis in oculis, tam acuta videndi acrimonia, ut & corporum nostrorum ac elementorum & cæli quantitates, numeros, proportiones, harmonias, symmetriam ac naturam omnem beati visu penetrantes inebriandi sint ab ubertate domus Dei; quod posterius desumtum ex Augustino, qui lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. statuit, *omnes harmonias corporalis numeri per corporis cuncta dispositi oculis beatorum fore manifestas.* Thomas lib. IV. sentent. dist. 44. quæst. 1. art. 2. disputat, *suavissimum odorem exhalaturum ex corporibus glorificatis, qui summam delectationem olfactui adferat.* Idem in additam quæst. 82. art. 4. de gustu sic scribit: *Secundum alios dicendum, quod gustus non erit ibi, ita quod immutetur ab aliquo cibo vel potu sumto, nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu per immutationem linguae adiuncta humiditate.* Sed hæc & similia rectius futuræ experientiæ reservantur, quam scrupulose disputantur, ac temere definiuntur.

De continua bonorum vitae aeternae quantitate.

§. CIX. Exposuimus hactenus *quantitatem discretam*, hoc est, numerum ac multiplicem bonorum vitæ æternæ varietatem, quantum quidem in hius vitæ caligine ex verbi lumine de illis cognoscere, ac velut e longinquo intueri licuit, restat ut *continuam quantitatem*, sive tempus eorumdem explicemus. *Tempus* docendi gratia duplex statui potest, *praeparationis & communicationis*. De tempore *praeparationis* egimus superius in cap. de causa efficienti §. XXXIX. Tempus *communicationis* subdividi potest in tempus *inchoationis* ac *durationis*. Tempus inchoationis diversum est ratione *subiecti* in *angelis* bonis & *hominibus* electis. *Angeli boni*, postquam in sancta erga Deum obedientia persistentes in bono fuere confirmati, vitæ æternæ bonorum ac gaudiorum plene, immutabiliter ac invariabiliter participes fuere facti, quorum tamen iam inde a prima sui creatione certo modo ac variabiliter fuere consortes. Quod si ergo quæras, an angeli a principio suæ creationis fuerint beati, distincte respondendum erit. Vt enim notat Bonaventura lib. II. sentent. dist. 4. *beatitudo* sumitur dupliciter 1) *positive*, pro plenitudine omnis boni, quæ includit claram Dei visionem, perfectam fruitionem & firmam tentionem; 2) *privative*, pro privatione omnis mali culpæ & pœnæ. Priori modo angeli non fuere a principio creationis beati, quia securitas & certitudo est de ratione beatitudinis eo modo accepta; sed tantum posteriore, quia omnes fuere innocentes & sancti creati sine malo culpæ, ac proinde etiam sine malo pœnæ, qua de re in doctrina de angelis plenius agitur. *Homines electi* in hac vita προγευσιν quamdam cœlestium bonorum ac gaudiorum percipiunt, ac animæ eorum statim post mortem in eorum possessionem immittuntur; interim plena & perfecta æternorum istorum bonorum communicatio in novissimo demum die ipsis ob-

obtinget, quando corporibus e terra resuscitatis animæ iterum unientur, atque a Christo dulcissimam illam vocem beati audient: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi*, Matth. XXV. 34. Tunc enim, in die scilicet novissimo, triplici ratione beatorum gloria erit perfectior: 1) ex *reunitione animae cum corpore*, quod ipsum ad fruitionem cœlestium bonorum adsciscetur; 2) ex *electorum complimento*, quia tunc omnes electi ad cœlestes nuptias congregabuntur; 3) ex *intuitu victoriae divinae* a diabolo & omnibus ecclesiæ hostibus sumendæ. Chrysostomus homil. LXXXII. in epist. ad Hebræos: *Gloriam quidem habent iam sancti defuncti, coronam gloriae non habent*, quod deducit ex 2 Tim. IV. 8. Sed hac de re in tractat. de morte §. CCCVIII. latius fuit dictum.

§. CX. *Communicatio bonorum* vitæ æternæ complectitur eorum tum *continuitatem* tum *perpetuitatem* sive *aeternitatem*. 1) Continuitatis nomine intelligimus, quod bona ac gaudia vitæ æternæ nullum habitura sint intervallum, nullam interruptionem, nullam variationem. In hac vita pii prægustum quemdam cœlestium bonorum percipiunt, sed de eo recte dicitur: *rara hora, brevis mora*; suavitati enim, quam ex guttula illa divinæ dulcedinis percipimus, statim succedit acerbitas doloris, tristitiæ, tentationis &c. sed in vita æterna cessabit illa lætitiæ ac tristitiæ vicissitudo, cui succedent gaudia continua, nulloque momento interrupta. Probatur hæc cœlestium bonorum & gaudiorum continuitas 1) ex *disserta Spiritus sancti testificatione*. 1 Thess. IV. 17. Παντοτε *semper cum Domino erimus*, Apoc. IV. 8. *Non habent requiem die ac nocte*, a divinis scilicet laudibus, ergo non cessabunt a beatifica Dei visione, ex qua illa glorificatio oritur. 2) Ex *oppositione*. Pœnæ infernales erunt continuæ, ut in tractat. de inferno §. LV. ostendimus. Ergo etiam gaudia cœlestia erunt continua. Neque enim Deus severior est in damnatis puniendis, quam benignior in beatis præmio adficiendis. 3) Ex *perpetua causae actione*. Visio Dei beatifica est fons omnium bonorum ac gaudiorum cœlestium. Iam vero Deus amicam & paternam suam faciem nunquam subtrahet beatis. 4) *Symbolica vitae aeternae descriptione*. Psal. XXXVI. 10. *Apud te est fons vitae*. Sicut fons perennis fundit aquas, sic ex fonte divinæ bonitatis perpetua & nunquam interrupta scaturient bona. 1 Pet. I. 4. *Est hereditas* αμιαντος, quia non contaminatur tristitia vel dolore, και αμαραντος quia non marcescit vel flaccescit instar florum fugacium, sed est in perpetuo vigore. Apoc. XXI. 25. *Portae eius non claudentur per diem, nox enim non erit illis*. Sicut urbs, cuius portæ semper patent, ab hostium incursione est secura; sic cœlestis Hierosolyma perpetua pace ullo belli metu vel periculo fruetur. XXII. 2. *Lignum vitae adfert fructus duodecim per singulos menses reddens fructum suum*. Mensibus duodecim integer annus absolvitur; significatur igitur, quod lignum vitæ perpetuo futurum sit frugiferum.

Continuitas gaudiorum cœlestium probatur.

§. CXI. II) *Æternitas* bonorum & gaudiorum vitæ æternæ describitur in sacris literis 1) καταφατικως, *affirmative*. Vocatur enim *vita aeterna*,

Eorumdem aeternitas probatur ex scriptura.

na, Dan. XII. 2. Matth XXV. 46. Ioh. III. 16. &c. *domus aeterna in cælis*, 2 Cor. V. 1. *civitas manens*, Heb. XIII. 14. *habens μονας, manſiones multas*, Ioh. XIV. 2. *aeternum tabernaculum*, Luc. XVI. 9. *regnum aeternum*, 2 Pet. I. 11. *hereditas aeterna*, Heb. IX. 15. *ſalus aeterna*, Heb. V. 9. *aeterna gloria*, 1 Pet. V. 10. *aeternum pondus gloriae*, 2 Cor. IV. 17. &c. quibus adpellationibus a præſenti vita momentanea & tranſitoria diſtinguitur, ac in omnem æternitatem duratura prædicitur. Pſal. LXXXIV. 5. *In ſeculum in ſempiternum laudabunt te.* Eſai. XXXV. 10. *Laetitia ſempiterna erit ſuper caput eorum.* LXI. 7. *Laetitia ſempiterna erit eis.* Hæc præſens vita noſtra non manet, ſed perpetuo labitur, ac fluit, eſt enim velut *ventus tranſiens, umbra fugiens, fumus deficiens, aqua dilabens, flos egrediens & ſtatim exareſcens, vapor & nubes cito evaneſcens*, eſt velut horologium arenæ continue decurrentis, & candela ardens, quæ ſua luce paulatim conſumitur; ſed cœleſtis vita vere dicitur æterna manſio, quia ſine fine ac termino ſemper durat, ac eſt velut unum το νυν ſemper ſtans ac manens. In hac vita nec honores, nec divitiæ, nec voluptates manent, ſed omnia tranſeunt; ſed æternæ vitæ bona ſunt bona permanentia ac ſempiterna. 2) Αποφατικως, *negative.* Ioh. VIII. 51. *Qui ſermonem meum ſervaverit, non morietur in aeternum.* XI. 26. *Qui vivit & credit in me, non morietur in aeternum.* XVI. 22. *Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*, 1 Cor. XV. 26. *Noviſſimus hoſtis deſtruetur, mors.* Apoc. II. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte ſecunda.* XXI. 4. *Mors ultra non erit.* Si electi non poterunt amplius mori, utique bonis & gaudiis cœleſtibus perfruentur in æternum. Rom. VIII. 38. *Nec mors, nec vita, nec angelus, nec principatus, nec virtutes, neque inſtantia, neque futura*, v. 39. *neque altitudo, neque profunditas, nec ulla alia creatura poterit nos ſeparare a caritate Dei, quae eſt in Chriſto.* Sie lectos nihil quidquam ſeparare poteſt a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto, ergo nec a bonis cœleſtibus, quæ ex Dei caritate ad ipſos promanant. 3) Συμβολικως, *parabolice.* Pſal. I. 3. *Folium eius non defluet.* XXXVI. 10. *Apud te eſt fons vitae ſemper ſcaturiens.* 1 Pet. I. 4. *Ad haereditatem αφθαρτον, αμιαντον και αμαραντον.* Rationem adpellationis expoſuimus ſuperius §. XII. Apoc. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod eſt in paradiſo Dei mei.* III. 12. *Faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* XX. 14. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis*, ut non poſſint electis ulterius terrorem incutere. XXII. 2. *Lignum vitae per ſingulos menſes reddit fructum ſuum.*

§. CXII. Eadem gaudiorum cœleſtium æterni- *ex rationibus.*
tas probari poteſt *rationibus ex ſcriptura deductis.* 1) Ex *electorum in bono confirmatione.* Electi, utpote in bono confirmati, non poterunt ulterius peccare, & a Deo ſeſe avertere. Ergo nec poterunt bonis cœleſtibus privari. 2) Ex *immortalitatis participatione.* Electi ad imaginem divinam, cuius pars eſt immortalitas, erunt perfecte renovati, ac corpora ipſorum erunt immortalia, incorruptibilia, impaſſibilia. Ergo non erunt ulterius morti obnoxii, vel periculo cœleſtia bona amittendi ſubiecti. 3) Ex *miſericordiae divinae duratione.* Pſal. CXVII. 2. *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in aeternum.* Ier. XXXI. 3. *In caritate perpetua dilexi te.*

Ioh. XIII. 1. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, dilexit eos in finem.* Si miſericordia Dei ſuper electos in æternum confirmata eſt, utique etiam bona & gaudia cœleſtia erunt ipſis perpetua, quippe quæ ex fonte divinæ gratiæ profluunt. 4) Ex *oppoſitione.* Si pœnæ infernales ſunt æternæ, utique etiam præmia cœleſtia erunt æterna 5) Ex *ianuae occluſione.* Matth. XXV. 10. *clauſa erit ianua*, ut nec electi e beatitudinis ſtatu exire, nec damnati ad gaudia cœleſtia introire poſſint. 6) Ex *chaſmatis confirmatione.* Luc. XVI. 26. *Inter beatos ac damnatos magnum chaſma firmatum*, ut qui ex beatis ſedibus ad infernales tranſire velint, non poſſint. Ergo electi non poterunt excidere beatitudinis ſtatu. 7) Ex *beatitudinis perfectione.* Niſi electi ſcirent, bonis cœleſtibus ſeſe in æternum perfruituros, beatitudo ipſorum non eſſet perfecta. Hanc rationem urget Thomas l. 2. quæſt. 5. art. 4. ex Auguſtino lib. XXII. de civit. Dei cap. 20. *Vera beatitudo debet quietum reddere appetitum, & excludere omne malum. Sed beatus maxime appetit perpetuitatem ſuae beatitudinis, & niſi de hac eſſet certus, adfligeretur timore amittendi, & ſic non eſſet perfecte beatus.* 8) Ex *futuri ſeculi conditione.* In futuro ſeculo nulla erit temporum ſucceſſio, nulla dierum ac noctium viciſſitudo, ſed perpetuum vvr fixum & mera æternitas.

Dicta patrum de aeternitate bonorum cœleſtium.

§. CXIII. De hoc bonorum & gaudiorum cœleſtium tum *continuitate* tum *aeternitate* ſic diſſerunt veteres: Cyprianus ſerm. de adſcenſ. Chriſti: *Exſultabunt ſancti in gloria, videbunt Deum & gaudebunt, laetabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & infelicitate iucundabuntur aeterna. Non ſenescent, non tabeſcent, non putreſcent amplius. Perpetua ſanitas, felix aeternitas beatitudinis illius ſufficientiam confirmabunt &c. Impleta ordinataque omnino civitate Dei, nec innovabitur nec mutabitur ultra fixae & conſummatae beatitudinis ſtatus.* Hilarius in Pſalm. 60. *In tabernaculo Dei habituri ſumus in ſecula ſine ullo ſcilicet aetatis modo in aeternum fluentibus ſeculis temporibusque manſuri &c. Haec hereditas ſancti eſt vita & incorruptio & regnum & coaeterna cum Deo habitatio. Caeterum ipſe in conſpectu Dei, ipſe manebit aeternus, iam omnibus, quos redemit, in reges cœlorum & coheredes aeternitatis adſumtis tradens eos regnum Deo Patri.* Idem in Pſalm. 148. *In illo beatae civitatis illius ſeculo, ubi cornu populi ſui Dominus excitabit, & incorruptionem, quae ſignificatur in cornu, per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim cœlum novum & terra nova erit, cum his praeſentibus diſſolutis, nova illa & aeterna ſuccedent.* Chryſoſtomus in epiſt. V. ad Theodorum lapſum: *Omnia occupobit ubique incorruptibili gloria, & quod omnium longe eſt maximum, continua fruentur converſatione cum Chriſto una cum angelis cum archangelis, cum ſuperioribus poteſtatibus.* Et poſtea: *Anima non ſolum laeta erit bonis praeſentibus, ſed ſecura ac tuta, quod tanta gaudiorum ſemina nunquam deſitura ſint.* Sophronius Hieroſolym. in epiſtola ad Sergium, patriarcham Conſtant. *Vitam illam, quae poſt praeſentem vitam futura eſt, credimus permanſuram, & quidem indefinenter exhilarantem laudabilium operum patratores.* Auguſtinus lib. XIII. de Trinit. cap. 8. *Vt homo beate vivat, oportet ut vivat. Quem porro morientem vita ipſa deſerit, beata vita cum illo manere quomodo poteſt? cum autem deſerit, aut nolentem deſerit, aut volen-*

lentem - aut neutrum. Si nolentem, quo-modo beata vita est, quae ita est in voluntate, ut non sit in potestate &c. Non potest vita beata esse, & volentem deserere, quia beatus nolens nemo fit, ac per hoc quanto magis nolentem deserendo miserum facit, quae si nolenti praesto esset, miserum faceret? Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata erat, quam perire voluit, qui habebat? Restat, ut dicant, neutrum esse in animo beati, id est, eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle, ad utrumque enim parato & aequo animo consistere. Sed nec ista beata est vita, quia talis est, ut quem beatum facit, amore eius sit indigna. Quomodo enim est beata vitae quam non amat beatus? aut quomodo amatur, quod utrum vigeat an pereat, indifferenter accipitur? &c. Idem tractat. XXXI. in Iohan. *Dies est ibi unus, sed sempiternus, qui nec praeceditur hesterno, nec excluditur crastino.* Cassiodorus lib. de anim. cap. 19. *Bonorum dona quis dubitet esse perpetua? cum se congnoscunt laetitiam percipere, & ulterius tristitiam non timere; mereri gaudium, quod norunt esse continuum. Illic animus sua prosperitate non pavescit, sed exsultationem propriam semper retinet in aeternum cogitata prosperitas.* Beda in Lucæ XVII. *In illa beatitudinis gloria, de qua propheta suspirans aiebat:* quia melior est dies una in atriis tuis super millia, *tenebrarum interruptio nulla est, nulla saltem memoria miseriae vel doloris, quia prima abierunt.* Damascenus lib. II. de orthod. fid. cap. 1. Μετα την αναστασιν εκ νεκρων και νυξιν ο χρονος αριθμηθησεται εστι δε μαλλον μια ημερα ανεσπερης τε αιωνος της δικαιοσυνης τοις δικαιοις φωδρως επιλαμπουσα. Hilbertus Cenomanensis epistol. XXXI. *In hoc fructu est regnum sine termino, satietas sine taedio, sublimitas sine discessu, glorificatio sine defectu.* Guilielmus Alvernus de retribut. sanctorum cap. 1. *Dicitur vita aeterna, quia multum contraria est temporali. Sicut enim temporalis tota fluit & evanescit & nihil habet stans; sic illa recta tota stat in soliditate perpetuitatis suae, & nihil habet fluens. Et sicut illa totum habet cum morte commune, & vitam quasi in puncto solo contingit; ita illa tota seorsim est a morte - ex se tota vitam primam contingens, in nullo morti adproximat.*

§. CXIV. Quærunt scholastici: *Quomodo beatitudo sit aeterna? an intrinsece & ex natura sua, quia scilicet corrumpi non potest; an tantum extrinsece, quia licet ex se corrumpi possit, Deus tamen eam conservat, ne corrumpat?* Prius adserit Thomas I. 2. q. 5. art. 4. usus hac ratiocinatione: *Perpetuitas sequitur immutabilitatem, immutabilitatis autem causa formalis est perfectio consummata; effectiva virtus divina; materialis homo elevatus in participationem aeternitatis.* Adde, quod beatitudo in clara & intuitiva *Dei* visione consistat. Iam vero clara Dei visio intrinsece & ex natura sua est incorruptibilis. Ergo etiam beatitudo. *Adsumtum* probatur: *Vt aliqua actio ex natura sua incorruptibilis fit, duo sunt necessaria. Vnum, ut principium activum, a quo elicitur, sit incorruptibile. Alterum, ut illud principium ab agendo cessare non possit. At haec duo reperiuntur in visione beatifica. Nam principium illius activum est intellectus humanus lumine gloriae illustratus. Intellectus autem incorruptibilis est, quia est naturalis potentia animae rationalis, quae est intrinsece immortalis. Similiter lumen gloriae est incorruptibile, quia est qualitas spiritualis, quae nullum habet contrarium,*

Quaeritur: An beatitudo intrinsece vel extrinsece sit aeterna?

a quo corrumpatur. Iam vero intellectus lumine gloriae illustratus non potest cessare a visione Dei, quia Deus, qui est obiectum illius visionis, necessario semper praesens est. Sicut ergo oculus corporeus sufficienti lumine adiutus & corroboratus non potest non videre res sensibiles: quae oculo obiiciuntur: sic etiam de intellectu servata proportione dicendum. Caietanus in comm. Thom. d. l. Contra vero Scotus lib. IV. sent. dist. 49. quaest. 6. disputat, *causam perpetuitatis huius non esse formam beatitudinis, quasi per ipsam beatitudo formaliter sit necessaria, nec naturam illarum potentiarum quasi circa obiectum necessario perpetuo operetur; nec habitum in potentiis quasi necessario determinantem potentias ad perpetuo operandum, sed esse ex sola voluntate divina, quae sicut perficit naturam intensive, ita conservat eam perpetuo in tali perfectione.* Priori sententiae adsurgimus, si beatitudo ex hypothesi & cum reduplicatione, quatenus est electorum aeterna in coelis beatitudo, consideretur; posteriori, si absolute & simpliciter spectetur.

De qualitate bonorum vitae aeternae.

§. CXV. Exposuimus hactenus *quantitatem* bonorum & gaudiorum coelestium tum *discretam*, tum *continuam*, restat ut earum etiam *qualitatem* utcunque declaremus. Quemadmodum discreta quantitas bonorum coelestium *varietatem*, continua eorumdem *continuitatem* ac *aeternitatem*; sic qualitas istorum bonorum *intensivam suavitatem & satietatem* complectitur, quod beati non tantum gustaturi sint dulcedinem divinae bonitatis, sed coelestibus bonis plene satiandi; quod non primitias duntaxat quasdam coelestium bonorum percepturi sint, sed iisdem penitus implendi; quod non aliquo duntaxat, sed summo prorsus gradu aeternis ac coelestibus gaudiis sint perfundendi. Aeternae enim vitae bona ac gaudia non tantum erunt *varia ac diversa*, nec tantum *universalia* in omnibus animae potentiis & corporis membris, nec solum *continua*, non interrupta & aeterna, sed etiam suavissima, sinceriissima & ad summum voluptatis gradum elevata, erunt non solum *extensive*, ratione aeternitatis, sed etiam *intensive*, ratione graduum summa. Probatur haec bonorum & gaudiorum coelestium suavitas: 1) ex *eorum in sacris literis descriptione.* Psal. XVII. 15. *Satiabor cum excitatus fuero secundum imaginem tuam.* XXXVI. 9. *Inebriabuntur a pinguedine domus tuae & torrente voluptatis tuae potabis eos.* Ergo super electos non guttatim destillabit fons divinae dulcedinis, sed torrens voluptatis eos inebriabit. Esai. LXV. 13. *Servi mei comedent, bibent, laetabuntur, iubilabunt prae exsultatione cordis.* LXVI. 12. *Declinabo super Ierusalem quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium.* Apoc. VII. 17. *Agnus deducet eos ad vivos fontes aquarum.* XXII. 1. *Fluvius splendidus aquae vivae prodedit ex throno Dei & agni, in medio plateae coelestis Hierosolymae.* Ex his fontibus, ex hoc fluvio adfatim bibere poterunt, unde etiam vitae aeternae gaudia conferuntur *convivio ac nuptiis*, in quibus est omnium rerum abundantia. 2) Ex *animarum & corporum glorificatorum conditione.* Corpora beatorum erunt ipsius Dei manu formata, ac una cum animabus ad Dei imaginem perfecte renovata, ideo etiam suavitatis, exsultationis ac voluptatis in summo gradu capacia. 3) Ex *bonorum & gaudiorum continuatione.* Erunt vitae aeternae gaudia non tantum continua & nunquam in-

ter-

terrupta, sed etiam perpetua ac sempiterna. Ergo non possunt non esse summa & suavissima. 4) Ex *bonorum adcumulatione.* Quo plura bona alicui communicantur, eo uberior lætitiae ipsi offertur materia. Iam vero bona vitæ æternæ electis communicanda sunt varia ac diversa, multiplicia, universalia, in omnibus animæ potentiis & corporis membris vigentia, quinimo infinita, quia æterna. Ergo non possunt non esse summa. 5) Ex προγευσίᾳ *suavitate.* Quando pii in hac vita quamdam προγευσιν cœlestium bonorum ac gaudiorum percipiunt, corda ipsorum vix possunt capere divinam illam dulcedinem; quid ergo futurum censemus, quando non primitias tantum, sed plenitudinem bonorum ac gaudiorum cœlestium percipient? Si promulsis tam suavis est ac mellea, quid ex pleno dolio sperandum fuerit?

§. CXVI. Quæritur hoc hoc loco 1) in *genere* de sanctorum in vita æterna beatitudine: I) *An beatitudo sit habitus vel actus?* Resp. ostendimus superius §. XXXIV. beatitudinem dividi in *obiectivam* & *formalem.* De obiectiva beatitudine hoc loco non quæritur, sed de formali, quæ consistit in fruitione ac possessione summi boni. Eam esse actum patet 1) ex *dictis scripturae*, quæ beatitudinem in operatione, videlicet in Dei visione & intuitiva cognitione, statuunt, 1 Cor. XIII. 12. 1 Ioh. III. 2. &c. 2) Ex *natura beatitudinis.* Beatitudo est summi boni fruitio, quo obtento adpetitus quiescit ac satiatur. Notat ergo perfectionem, ea vero in actu est posita. 3) Ex *continua beatitudinis duratione.* Beatorum felicitas & gaudium erit continuum non interruptum, in actu ergo, non in habitu consistit. Neque tamen est merus ac purus actus, id enim soli Deo convenit, neque otiosus quidam habitus, sed habitus in actu continuo. Intellectus lumine gloriæ collustratus non tantum facultate perfecte Deum cognoscendi instructus erit, sed ipso etiam actu continuo ac perpetuo Deum cognoscet, ac hoc proprio suo obiecto nunquam divulsus aut separatus. Voluntas non solum habitualiter divinæ voluntati erit conformata, sed etiam actualiter Deo, utpote summo bono, perpetuo adhærebit. Idem de reliquis animæ potentiis esto iudicium. *At*, inquis, *hac ratione beatitudo formalis in diversis collocabitur categoriis, in qualitate scilicet & actione.* Respond. hoc absurdum non debere censeri, beatitudo enim est *status omnium bonorum adgregatione perfectus*, ut Boëtius eam definit lib. III. de consol. prof. 2. Ergo & habitualia & actualia bona complectitur. Perfectus actus prærequirit perfectionem habitus, nisi causa, a qua procedit actus, sit merus & purus actus, quod soli Deo competit.

Quæstiones generales de beatitudine electorum in vita æterna:

I) An illa sit habitus vel actus?

§. CXVII. II) *Qua ratione Deus sit ipsa hominis beatitudo?* Resp. non *formalis* sed *obiectiva*, quo sensu ipse solus est & esse potest hominis beatitudo, quod probatur tum ex *natura Dei*, tum ex *proprietate beatitudinis.* 1) Beatitudo est summum illud bonum, quo obtento adpetitus satiatur & quiescit. Iam vero solus Deus est summum illud bonum, quod non ordinatur ad illud, sed omnia ad ipsum. 2) Beatitudo perfecte beatos efficit, ac omnem miseriam & de-

II) Qua ratione Deus sit hominis beatitudo.

fectum boni excludit. Iam vero ſolus Deus, utpote ſummum & infinitum bonum, perfecte beatos efficit, ac omnem miſeriam & defectum boni excludit. Omne enim bonum, quod eſt infra ſummum bonum, non poteſt perfecte beatum efficere, & omnem miſeriam ac defectum excludere, quia quod eſt infra ſummum bonum, habet in ſe alicuius boni defectum. 3) Beatitudo & ultimus finis ſecundum rem unum ſunt. Iam vero ſolus *Deus* eſt ultimus finis, ad quem & propter quem creati ſumus. 4) Sola Dei viſio beatifica perfecte ſatiat deſiderium. Pſal XVII. 15. *Satiabor, cum evigilavero ſecundum imaginem tuam.* Auguſtinus lib. I. confeſſ. cap. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, niſi quieſcat in te.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *Ille eſt finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine defatigatione laudabitur.* 5) Beatitudo perfecta excludit omne tædium ac faſtidium. Nullum creatum bonum excludit omne tædium ac faſtidium, ſed unicum illud ſummum, infinitum & increatum bonum, quod eſt Deus. 6) Illud, cuius participatione ac fruitione in omnem æternitatem beati erimus, oportet eſſe bonum æternum & infinitum. Iam vero ſolus Deus eſt bonum æternum & infinitum. 7) Beatitudo, utpote plena & ultima hominis perfectio, omnes animæ potentias perficit, omnia corporis membra ſuaviſſima delectatione perfundit; iam vero ſolus Deus, ut bonum univerſale, totum hominem in omnibus animæ potentiis & corporis membris perficere poteſt. *At*, inquis, *adpetitus hominis eſt finitus, ergo etiam bonum eius erit finitum.* Reſp. de beatitudine *formali* hoc concedimus, de *obiectiva* vero minime. Quamvis enim intellectualis hominis adpetitus ſit finitus *ratione* ſui, infinitus tamen eſt ratione *obiecti*. Scholaſtici dicunt: *finitus eſt intrinſece, quoad ſuam entitatem, infinitus extrinſece, quoad ſuum obiectum.* Ut enim intellectus percipit bonum infinitum, ita quoque voluntas illud ab intellectu monſtratum adpetit. Intrinſece igitur ac formaliter adpetitus ſatiatur, ac beatus redditur bono finito, extrinſece vero non ſatiatur, nec beatus redditur niſi bono infinito. Scaliger exerc. CCCVII. ſect. 26. *Beatitudo eſt fruitio ſummi boni. Sed quid eſt fruitio? participatio. Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abſcedit ab illo ulla pars, ut huic communicetur, ſed hoc cum illo unum, quo poteſt modo, fit. Quo poteſt modo? poteſne finitum unum fieri cum infinito? non hoc, quo illud infinitum eſt, ſed quo bonum, hoc finitum fit cum illo unum per ſimilitudinem. Hoc de ea beatitudine, quae in ſubiecto eſt, & qua ſubiectum fit beatum. Fit ergo, quia una fit beatitudo cum illa beatitudine, quae neque ſubiecto illo eſt, neque ipſa ſubiectum ullum.*

§. 118. III) *An beatitudo ſit hominis accidens?* Solus Deus *eſſentialiter* beatus & ſua ipſius beatitudo, quia beatus eſt a ſeipſo, in ſeipſo, per ſeipſum. Electorum igitur beatitudo *formalis* non erit ipſorum eſſentia, ſed accidens. Erit non ipſum *εἶναι*, ſed *ἐν εἶναι*. Patet hoc inſuper ex eo, quod potiſſimum in actione conſiſtat, in viſione ſcilicet & fruitione ſummi boni, illa vero accidens eſt, non ipſa rei eſſentia. Neque vero quidquam perfectioni beatitudinis hac adſertione detrahitur quia non eſſentialis, ſed accidentalis ea eſt hominis

III) An beatitudo ſit hominis accidens?

nis perfectio neque beatitudo propterea mutabilis ac variabilis ſtatuitur, quia non eſt variabile & mutabilis accidens, ſed reſpectu ad actualem vitæ æternæ poſſeſſionem habito inſeparabile, invariabile & immutabile; beati enim ſunt in bono confirmati, ac proinde ab omni ex illo beatitudinis ſtatu excidendi periculo liberati. Deus, qui ipſorum eſt beatitudo *obiectiva*, non mutabiliter ac ſeparabiliter ſed invariabiliter ac inſeparabiliter ſeſe illis communicat. *At*, inquis, *omne accidens eſt ignobilius illo, cuius eſt accidens, ac per ſe & ſua natura mutabile.* Reſp. accidentia ſunt duorum generum quædam ex internis ſubiecti principiis emanant, illa ſunt ignobiliora ipſo ſubiecto; quædam vero a principio externo proficiſcuntur, & ſubiecto communicantur, ea poſſunt eſſe digniora ipſo ſubiecto. Beatitudo non ad priorem, ſed ad poſteriorem accidentium claſſem pertinet. Ex quo etiam intelligitur, quid de mutabilitate beatitudinis ſtatuendum. Non quidem per ſe & ſua natura immutabilis ea eſt, ſed ex Dei ordinatione, per quam in bono erunt confirmati, ac proinde etiam in ſtatum immutabilitatis translati.

§. CXIX. IV) *An beatitudo potius ad intellectum quam ad voluntatem pertinebit?* Certum eſt, ad utramque animæ potentiam eam pertinere; quia eſt omnium potentiarum perfectio, ac *Deus erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. proinde etiam *plenitudo lucis intellectui*, *multitudo pacis voluntati*; ſed quæritur, cuius facultatis potiores futuræ ſint partes? Thomas de Aquino l. 2. quæſt. 3. art. 4. in *operatione intellectus*, Scotus & Thomas de Argent. lib. IV. ſentent. diſt. 49. in *operatione voluntatis* eam potiſſimum ſitam fore exiſtimant. Prior ſententia nititur hiſce rationibus: 1) Scriptura beatitudinem definit per *viſionem & cognitionem Dei*, quæ pertinet ad intellectum, Ioh. XVII. 3. 1 Cor. XIII. 12. 1 Ioh. III. 2. 2) Philippus apoſtolus *Patrem ſibi oſtendi* petit, ſibique ad beatitudinem illud *ſufficere* adſerit, Ioh. XIV. 8. 3) Patres per *viſionem Dei* totum formale beatitudinis deſcribunt, ut oſtendimus ſuperius. 4) Operatio voluntatis non propter ſe, ſed propter operationem intellectus quæritur, ſicut adpetitus naturalis ac ſenſitivus non eſt propter ſe, ſed propter aliquam perfectionem adpetentis. Ergo etiam operatio intellectus eſt præſtantior. 5) Beatitudo eſt adeptio finis ultimi ac poſſeſſio ſummi boni, at finis ultimus non obtinetur per actum voluntatis, ſed intellectus, quod ſic probatur: voluntatis actus circa finem ultimum poteſt eſſe duplex, vel *deſiderium abſentis* vel *adquieſcentia & delectatio in eo iam præſente*. Jam vero neutro actu finem ultimum adipiſcimur, non per *deſiderium*, quia deſideramus quandoque ea, quæ non adipiſcimur; nec per *adquieſcentiam & delectationem*, quia illa prærequirit rei præſentiam, non autem eam efficit præſentem. 6) Actus voluntatis & cordis adfectus non trahit obiectum ad ſe, ut illud obtineat & poſſideat, ſed potius tendit ad obiectum. 7) Actus intellectus eſt nobiliſſimus, & vera beatitudo conſiſtit in eo, ut aliquis norit ſua bona. Ergo ultimus apex ſummi boni erit contemplatio Dei, ut ſemper Patris in Chriſto ac cognitio illorum bonorum, quæ habebimus. Poſterior ſententia hiſce nititur argumentis: 1) Scriptura beati-

IV) An beatitudo potius ad intellectum quam ad voluntatem pertinebit?

tu-

tudinem describit per actum voluntatis & adfectum cordis, videlicet per amorem & gaudium, Psal. XXXVI. 9. Matth. XXV. 23. Ioh. XVI. 22. &c. 2) Patres itidem per actum voluntatis eam definiunt. Augustinus lib. I. de doctr. Christ. cap. 32. *Summa merces haec est, ut Deo perfruamur.* Lib. X. confess. cap. 21. *Beata vita est gaudium de veritate.* Lib. VIII. de civ. Dei cap. 9. *Nemo beatus, qui eo, quod amat, non fruitur &c.* 3) Nuda Dei notitia amore & adfectu destituta non efficit beatum, sed ea duntaxat, quae cum amore coniuncta. Per actum voluntatis intimius & perfectius coniungimur Deo, quia est beatitudo increata. 4) Visio Dei ordinatur ad *Dei* amorem tanquam ad suum finem. Ergo in amore potius quam in visione summum beatorum bonum consistit. *Intellectio*, inquit Scaliger exerc. CCCVII. sect. 26. *est inchoatio beatitudinis vel inchoata beatitudo, velle autem eam est illius perfectio. Cum Deum intelligo, iam datur accessus ad unionem ex cognitione, quia species cogniti est talis forma cognoscentis. Quare unum fit aliquo modo. Ubi vero ex hac intellectione video quiddam alterius bonum, volo me similiorem Deo, quoad liceat, efficere. Itaque ab ea promoveo me ad aliquid faciendum, quo unionem adipiscar. Atque illico nascitur amor, qua in actione sistitur voluntas.* 5) Actus voluntatis nobilior est actu intellectus, quia ille libertate praeditus huic vero ab obiecto necessitas imponitur. 6) Beatitudo consistit in participatione & fruitione summi boni. Iam vero bonum, qua tale, est obiectum voluntatis, non intellectus. Totus homo dicitur simpliciter bonus bonitate solius voluntatis, etiamsi hebeti & obtuso intellectu sit praeditus. 7) Malum, quod opponitur dilectioni Dei, videlicet odium Dei, peius est, quam illud malum, quod opponitur Dei cognitioni, videlicet ignoratio. Ergo etiam dilectio *Dei* est praestantius bonum quam *Dei* cognitio, id quod etiam expressis verbis videtur apostolus adserere, Ephes. III. 19. *Caritas Christi supereminet scientiae.* Atque haec pro utraque quaestionis parte stabilienda adferuntur. Nobis Bonaventurae lib. IV. sent. dist. 49. quaest. 5. art. 1. & Richardi ibid. quaest. 6. art. 1. sententia videtur amplectenda, quod utriusque potentiae, intellectus scilicet ac voluntatis respectu beatitudo *aeque principaliter & immediate* electis competat, quia utriusque ratione Deum possidebunt, per *cloram* scilicet *visionem*, quae est intellectus, & per *firmam adhaesionem ac fruitionem*, quae est voluntatis. Videbunt Deum a facie ad faciem, ex qua visione nascetur perfecta dilectio, qua non minus quam ipsa visione Deum possidebunt, inde scriptura in beatitudinis definitione utrumque coniungit: Psal. XXXVI. 10. *Apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.* XXXIV. 9. *Gustate, & videte, quam suavis sit Dominus.* Esai. LXVI. 14. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum &c.* Esse beatitudinis consistit in perfecta unione animae cum Deo. Haec autem unio includit animae unionem cum Deo secundum omnem sui potentiam, secundum quam unibilis est cum eo immediate. Potentia autem animae rationalis non tantum est intellectus, sed etiam voluntas, & per quamlibet illarum unibilis est cum *Deo* immediate. Chytraeus lib. de vita & morte p. 127. *Optimae & supremae facultatis in homine rationalis optima & suprema actio versans circa supremum & nobilissimum obiectum, videlicet Deus finis eius & vita hominis aeterna est, videlicet agnitio Dei & Redemtoris nostri Iesu Chri-*

Christi nobis placati & propitii, & sua luce, sapientia, iustitia, vita & laetitia aeterna nos implentis, quam dilectio Dei ardens & laetitia in Deo adquiescens, eumque grata mente & voce celebrans perpetuo comitatur. Quoties vero vel scriptura sacra vel ecclesiastici scriptores in Dei visione ac cognitione beatitudinem statuunt, non notatur nudus actus intellectus, sed connotatur quoque actus voluntatis, adeoque plena illius summi boni possessio & adeptio, quæ per cognitionem & amorem in vita æterna obtingit. Sicut usitatissime *verba notitiae apud Hebraeos adfectus & effectus sequentes connotant.* Qua de re sic disserit Bonaventura d. l. *Tres actus glorioſi seu beatifici, perfecta Dei visio, perfecta dilectio & perfecta fruitio, sunt inter se coniuncti & connexi, ideo per & propter hanc connexionem tribuitur uni, quod est omnium, magis autem visioni tribuitur propterea, quod in visione distinguitur status patriae a statu viae, non sic in dilectione, quia utrobique est dilectio.*

V) An futuri sint gradus gloriae in vita aeterna?

§. CXX. V) *An futuri sint gradus praemiorum ac gloriae in beatitudine aeterna?* Ecclesia Christi communi & constanti suffragio hactenus adfirmavit. Sed Petrus Martyr in loc. commun. class. III. cap. 17. §. 8. primus superiori seculo ab hoc consensu discessit, timide tamen ac titubanter. Postquam enim demonstrare conatus erat ex 1 Cor. XV. 41. non posse præmiorum diversitatem in vita æterna colligi, subiungit pag. 734. *Haec a me non dicuntur, quod probare velim, ibi esse prorsus aequalitatem, sed adsero neutrum ex sacris literis confirmari posse. Probabilis est utraque sententia, neque ad salutem necessarium esse duco, scire, utrum istorum verum sit. Probabile forsan est, ut in sanctis aliquid discriminis, sed hoc ex scripturis non existimo posse demonstrari.* Pag. 735. *respondere* conatur ad omnia scripturæ dicta & argumenta, quæ pro diversitate præmiorum adducuntur, & tandem concludit pag. 736. *Haec a me non dicuntur, quo prorsus negem huiusmodi praemiorum differentias, sed id tantum docere volui, quod ex scripturis sanctis concludi non possint.* Martyris vestigiis insistit Tilenus part. II. disput. theol. disput. LXVIII. th. 33. sic scribens: *Quaestionem de gradibus beatitudinis & inaequali ejus participatione in medio relinquimus. Et inaequalitatem hanc ut non negamus, sic fundamentum, quod pontificii ei substernunt, puta inaequalitatem meritorum, alibi evertimus.* Thes. 34. *In scriptura tamen nullum satis idoneum huius diversitatis testimonium reperimus.* Eadem est sententia Vorstii in tesseradecade antipistoriana. Audacior est Schönfeldius, qui in disputat. de vita æterna Casellis anno 1604. instituta, illam sanctorum inæqualitatem prorsus negat. Thes. 78. *Disparitas beatitudinis in nulla eius parte e scripturis ostendi potest, nec in unione cum Deo, nec in visione Dei, nec in dilectione, iustitia & laetitia, nec in clarificatione corporum, nec in domicilio, nec sanctorum consortio, neque gloria; nulla igitur erit inaequalitas.* Antequam vero nostram sententiam novatorum opinioni oppositam probemus, notamus sequentia membra: 1) Distinguendum est inter *beatitudinem objectivam & formalem.* Hoc loco non quæritur de beatitudine *objectiva*, quæ Deus est, summum illud bonum omnibus beatis commune, sed de beatitudine *formali.* 2) Formalis illa beatitudo complectitur tum *essentiale praemium*, quod est Dei visio ac fruitio, tum *accessoria praemia*, quæ beatitudinis essentiam consequuntur. Ratione prioris

tribuitur electis *beatitudo essentialis*, ratione posterioris *beatitudo accidentalis*, quæ in variis animæ & corporis ornamentis ultra essentialem beatitudinem electis in vita æterna conferendis consistit; non in illa, sed in hac duntaxat inæqualitas statuitur. 3) Quod si vel maxime non possemus exacte & præcise determinare, in quibus bonis ac præmiis diversitas beatorum sit futura, tamen ipsam diversitatem non debemus negare ob evidentia scripturæ dicta, quæ eam adserunt. 4) Distinguendum enim *inter rem* ac *rei modum*, res ipsa, videlicet gloriæ diversitas & præmiorum inæqualitas, ex scripturis certa est, quamvis modum rei exacte definire non possimus, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus sedulgentibus*, Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. 5) Certum est, beatorum omnium felicitatem & gloriam unam fore *obiective*, quia beatitudinis obiectum omnibus beatis commune est Deus; unam *subiective*, quia omnes animæ potentiæ & omnia corporis membra in omnibus omnino beatis cœlesti gloria ornabuntur; unam ratione *continuae & aeternae durationis*, quia omnium beatorum felicitas erit continua, nunquam interrumpenda, & sempiterna nunquam finienda; unam ratione *securitatis*, quia omnes beati æqualiter erunt certi, nullum amittendi hanc felicitatem & gloriam sibi imminere periculum; unam ratione *satietatis*, quia omnes beati plenissime & perfectissime satiabuntur illa gloria, quæ unicuique ex fonte divinæ benignitatis obtinget; unam ratione *immunitatis ab omnibus adversis*, quia omnes beati ab omnibus omnino malis erunt liberati; unam ratione *dilectionis & communicationis* inter omnes vigentis, quia ob finceriſſimam caritatem cuiuslibet beati gaudium erit omnibus beatis commune. Certum & hoc est, fore quamdam beatorum inæqualitatem & gloriæ diversitatem, ut ex manifestis scripturæ dictis paulo post demonstrabimus, de eo autem dubitari potest, an *in accidentali duntaxat gloria animae vel corporis* diversitas illa statuenda, an vero etiam *in essentiali*, ita ut in quibusdam beatis maius lumen gloriæ futurum sit, in aliis minus, propter quod unus beatus alio perfectius & clarius divinam essentiam videat, ardentius Deum amet ac suavius eo fruatur, id, quod a scholasticis quidem magno consensu docetur, (*) unico Durando excepto, qui in lib. IV. sentent. distinct. 49. disputat, *omnes beatos aequaliter videre divinam essentiam & omnes in praemio essentiali esse aequales*; sed nostri rectius statuunt, quod in *accidentalibus* duntaxat *praemiis* statuenda sit differentia:

Omnibus una salus sanctis, sed gloria dispar.

6) Causa illius inæqualitatis non est statuenda in *meritis humanis*, nostra enim opera nec præmii essentialis ipsius vitæ & beatitudinis æternæ, nec præmiorum accidentalium in vita æterna esse meritoria, suo loco demonstratum, sed in *dispensatione divinae benignitatis*, quæ piorum labores & passiones hac gloriæ diversitate remunerari decrevit. 7) Diversitas illa & inæqualitas gloriæ nullam in beatis invidiam, nullam indignationem vel murmurationem excitat, *sic sanctorum alius habet donum alio minus, ut hoc quoque habeat, ne velit amplius.* Causa huius

(*) Salmeronius tom. IX. tract. 48. p. 392. *Erit gloriae disparitas in ipsa etiam divinae essentiae visione, quae essentiam beatitudinis constituit, quam alius magis alio possidebit pro ratione caritatis seu meritorum suorum.*

huius rei a quibusdam scholasticis refertur ad *divinam providentiam*, quæ sicut ab æterno prædestinavit beatos ad diversos gradus gloriæ, ita etiam ab æterno constituit illis dare & præscribere adpetitum, qui iisdem gradibus perfecte expleretur. Quidam dicunt, ideo inferiores beatos non adpetere maiorem beatitudinem, *quia Deus non vult cum illis concurrere ad eam adpetendam, sed vult contentos esse ea beatitudine, ad quam quisque praedestinatus est. Plerique hanc adferunt causam, quod unusquisque beatus vi suae beatitudinis habeat adpetitum intellectus & voluntatis, tum naturalem, tum elicitum perfecte satiatum & expletum, ut nihil quidquam praeter id, quod habet, amplius desideret.* In Deo enim clare viso continetur eminenter tota latitudo veri & boni, ad quam intellectus & voluntas naturaliter fertur. Ergo etiam clara & beatifica Dei visione expletur uterque adpetitus naturalis tum intellectus tum voluntatis. Præterea beati per purissimam caritatem plus diligunt Deum, quam seipsos & sua commoda. Ergo magis desiderant impleri voluntatem Dei, quam suam. Iam vero norunt, hanc esse Dei voluntatem, ut præmia in vita æterna sint inæqualia. Ergo non desiderant plus habere, quam acceperunt. Qui minimam in cœlesti regno habebit gloriam & coronam, plusquam sufficientissime eadem erit contentus, quia nulla ibi erit invidia. *Non erit invidia aliqua disparis claritatis, quando in omnibus regnabit unitas caritatis.* Denique beati ex eadem dilectionis sinceritate & perfectione proximum diligunt sicut seipsum, ergo proximi gloriam adspiciunt ut suam, lætantur & exsultant de ea, ut de sua gloria, ac consequenter nulla vel tristitia vel invidia ob eam corripiuntur.

§. XXI. Hisce de vero quæstionis statu præmissis sententiam nostram confirmamus: I) Ex *scripturae dictis.* 1) Dan. XII. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* De *intelligentibus*, sive doctis in genere dicitur, quod *fulsuri sint sicut splendor firmamenti*, de *erudientibus alios ad iustitiam*, sive ecclesiæ doctoribus dicitur, quod *fulsuri sint instar stellarum*, unde sic concludimus: ubicunque statuitur tale discrimen splendoris ac fulgoris, quale est inter firmamentum & inter stellas, ibi inæqualitas gloriæ ac diversitas præmiorum stabilitur. Iam vero in hoc dicto prophetico inter auditores & doctores tale discrimen splendoris statuitur, quale est inter firmamentum & inter stellas. Ergo. Excipiunt 1) *esse hic exegesin & unius eiusdemque sententiae repetitionem, cum subiecta sint eadem, qui enim alios docent, & qui alios ad iustitiam erudiunt, prorsus iidem sunt, & eodem gradu continentur, proinde etiam diversa praemia ipsis non reddentur.* Resp. a) Si vel maxime concederemus, participium המשכלים *activam* ac *transitivam* hoc loco habere significationem, ut exponatur per το *intelligere facientes*, quo modo etiam b. noster Lutherus reddidit, *die Lehrer*, cum sit positum in *hiphil*, nihil tamen decederet nostro argumento. Dicendum enim foret, prophetam primum quidem in genere de omnibus piis adfirmare, quod *evigilaturi* sive resuscitandi sint לחיי עולם *ad vitam* & gloriam *sempiternam*; quod enim vitæ coniungenda sit gloria, patet ex antithesi, qua impii *ad opprobrium & contemtum* dicuntur evi-

Affirmativa probatur 1) ex dictis scripturae. 1) Dan. XII. 3. Qui autem docti fuerint.

gilaturi, ac postea in specie exponere ecclesiæ doctorum peculiarem gloriam, quod fulsuri sint sicut splendor firmamenti & sicut stellæ in omnem æternitatem, quæ interpretatio confirmari posset ex eo, quod Piscator in scholiis splendorem firmamenti per splendorem stellarum in cœlo explicat, adeoque unum & eumdem firmamenti & stellarum splendorem statuit. Quod si vel maxime *splendor firmamenti* distinguendus esset a *splendore stellarum*, id quod fieri omnino debere contra Piscatorem statuimus, tamen ad discrimen officii, laborum, passionum &c. quod ipsis ecclesiæ ministris intercedit, recurri posset, ut hac ratione inter ipsos quoque ecclesiæ ministros gloriæ diversitas statueretur. Certe Paulus 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. XI. 23. *plus reliquis apostolis sese laborasse* adserit, utique ergo etiam maiori præ reliquis gloria ornabitur. b) Sed non concedimus adversarios, participium המשכילים hoc loco habere *tranſitivam* significationem, verum dicimus poni *neutraliter & intranſitive*, ut significet doctos, intelligentes, informatos in vera religione & pietate, qui viam Dei recte didicerunt, ac proinde negamus, *subiectum* in utroque dicti prophetici membro esse idem. Probamus autem hanc nostram interpretationem primo ex *usu loquendi prophetico*. Aliquoties hoc participio utitur Daniel, utpote I. 4. XI. 33. & 35. XII. 10. nusquam vero in *activa* ac *tranſitiva*, sed perpetuo in *neutrali* & *intranſitiva* significatione, eccur igitur hoc in loco ab illa velimus discedere? Secundo ex *versione LXX. interpretum*, qui verterunt οι συνιεντες, & Latina, quæ reddidit: *qui autem docti fuerint.* Tertio ex *diversitate praedicati*. Ubi est mutatio prædicati, non tantum quoad verba, sed etiam quoad rem ipsam, ibi quoque intelligitur facta mutatio subiecti. Iam vero in altero membro fit mutatio prædicati, quia pro *splendore firmamenti* ponitur *splendor stellarum*, qui inter se gradibus distinguuntur. Ergo etiam non potest esse utrobique identitas subiecti. Quarto ex *linguae sacrae proprietate*. Præsto sunt exempla, licet rariora, in quibus verba & participia in *hiphil* ponuntur *intranſitive*. Quinto ex *absurdo*. Si per המשכילים intelligamus *doctores* sive docentes, erit in verbis propheticis ταυτολογια. Nam in primo membro de illis pronunciat Daniel, quod *fulsuri sint splendore firmamenti*, quod Piscator exponit, *de splendore stellarum in firmamento*. Atqui idem plane in altero membro repetitur, qualis otiosa repetitio & επεξηγησις in hoc propheta perquam nervoso alibi vix occurret. Sexto ab *inconvenienti*. Si enim de doctoribus in utroque membro propheta agit, concedendum erit, ipsum de statu piorum post resurrectionem agentem doctoribus duntaxat, sive docentibus splendorem & gloriam in futura vita adsignare, discentibus sive auditoribus in via Domini recte institutis nihil splendoris relinquere. Regerit Martyr, *Danielem propterea potius voluisse docentium mentionem facere, quod isti magis confirmandi essent, quoniam plus quam caeteri persecutionibus essent expositi, ideoque etiam peculiari consolatione opus habuerint.* Nos haud inviti concedimus, ob causam expositam docentium specialem fuisse mentionem factam, sed pie eruditos & informatos penitus esse prætermissos non admittimus, cum utrique persecutionibus antichristi, quibus propheta hanc consolationem opponit, sint expositi, præsertim cum *praedicati diversitas* etiam *subiecti diversitatem* statuendam requirat. Quod enim Piscator eumdem non solum *specie*, sed

sed etiam *gradibus* splendorem cœlo ac stellis tribuit, in eo principiis sincerioris astronomiæ & ipsi oculorum sensui contradicit. Quanto rectius Hieronymus exponens hunc locum Danielis ad quæstionem: *Num sanctus idiota & sanctus eruditus eamdem in vita aeterna gloriam habituri sint?* Responderi posse adserit, iuxta Theodotionis versionem, *unum fore ut firmamentum, alterum ut stellas.* Invertimus etiam ενφασιν Martyris: si doctores ecclesiæ magis confirmandi fuere, quam cæteri, ergo non communi, sed peculiari argumento & præmio fuere confirmandi. Si quis obvertat, *in secundo dicti prophetici membro apud LXX. interpretes sic legi:* απο των δικαιων των πολλων, *ex quo subiecti identitas colligi possit;* resp. fontes Hebraicæ veritatis esse authenticos, illi vero sic habent: מצדיקי הרבים *iustificantes multos;* adde, quod quædam exemplaria Græca legant των δικαιευτων, quod congruit cum Hebræo, quædam οι πολλοι των δικαιων, quod nostram manifeste confirmat sententiam.

§. CXXII. 2) Exceptio: *una eademque gloria iisdem promissa explicatur duplici similitudine splendoris firmamenti & stellarum, nec enim inaequalitas gloriae aequalibus competit ex eorum, qui adfirmantem quaestionis partem amplectuntur hypothesi:* Resp. a) Nec subiectum nec prædicatum sunt eadem in utroque dicti prophetici membro. Alii enim sunt *intelligentia praediti*, id est, pii auditores, alii vero *intelligere facientes & ad iustitiam eruditi*, id est, pii doctores. Alius est *splendor firmamenti*, alius *splendor stellarum.* Ergo non promittitur iisdem una eademque gloria. b) Conveniant prius inter se, an per splendorem firmamenti & stellarum una eademque, an vero inæqualis gloria intelligatur. Quidam enim ex Calvinianis prius, quidam vero posterius statuunt. c) Invertimus argumentum: Quia duplici similitudine a distincto firmamenti ac stellarum splendore petita beatorum gloria explicatur, ideo non potest una eademque gloria iisdem promissa intelligi.

§. CXXIII. 3) Exceptio: *haec gloria communiter omnibus beatis tribuitur a Christo:* Matth. XIII. 43. *Iusti fulgebunt ut sol in regno Patris sui.* Resp. a) Quædam dicta de beatorum gloria loquuntur απλως, *absolute*, quædam vero συγκριτικως, *comparate.* Absolute ac simpliciter loquendo omnium beatorum gloria solis radiis erit splendidior, comparate autem loquendo quidam beati fulgebunt *instar firmamenti*, quidam *instar stellarum.* b) Sic Esaias pronunciat XXX. 26. *lucem lunae in die novissimo futuram, sicut est lux solis, ac lucem solis septuplo fulgentiorem futuram;* nihilo tamen minus Paulus 1 Cor. XV. 41. adserit, sicut *alia est claritas solis, alia lunae, & sicut stella differt a stella in claritate, ita quoque futurum in resurrectione mortuorum.* Illud accipiendum *absolute*, hoc vero *comparate.* Philip. II. 15. pii etiam in hac vita dicuntur *lucere ut luminaria in mundo*, quod tamen non fit æqualiter ab omnibus. c) Quidam addunt, *in ipsius solis splendore animadverti aliquod discrimen, cum in meridie sit clarior respectu nostri quam mane vel vesperi, aestivo tempore efficacior quam hyberno.* d) Quidam respondent, *Christum loqui non de praemio accidentali, sed essentiali.* Non illius, sed huius duntaxat respectu iustos instar solis dici fulsuros. e) Quidam monent, *propositionem Christi esse indefinitam, sine signo universali positam.* f) Quidam addunt, *particulam* sicut mul-

tis in locis non ισοτητα, sed ομοιοτητα, id est, convenientiam non in quantitate, sed in qualitate denotare. g) Quidam *id, quod adsumitur, non esse lucem maiorem ea, quam habet sol*, intelligendum monent de *luce corporum in hac corruptibili vita, cum de luce & claritate futurae vitae dictum sit: oculus non vidit &c.* Sed prima responsio est simplicior reliquis. 4) Exceptio: *gloria haec corporum est, non animae, ergo hic locus nihil facit ad scopum.* Resp. repetantur ea, quae in observatione 3. 4. & 5. diximus. Claritas corporum erit veluti quaedam resplendescentia ex claritate animae orta. Ergo etiam maior claritas corporum praesupponere videtur maiorem claritatem animae. Coronidis loco adnectimus, quod in eodem capite Dan. XII. 13. dicit angelus ad prophetam Danielem: *stabis in sorte tua in fine dierum.* Unusquisque ergo stabit in sua sorte in fine dierum: patriarchae & prophetae in sua sorte; apostoli in sua sorte; evangelistae in sua forte; martyres in sua sorte; pastores & doctores in sua sorte; denique fidelium quisque in sua sorte. Eadem omnibus electis continget beatitudo, eadem summi boni fruitio, eadem vita aeterna; distincta tamen erit sors gloriae.

§. CXXIV.

2) *1 Cor. XV. 41. Stella differt a stella claritate.*

2) 1 Cor. XV. 41. *Alia est claritas solis, & alia claritas lunae, & aliae claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate.* v. 42. *Sic etiam erit resurrectio mortuorum.* Quo sic inferimus: Quale est discrimen inter claritatem solis, lunae, & stellarum, tale quoque discrimen erit in claritate corporum resuscitatorum. Sed inter illa est tale discrimen, ut unius claritas major sit claritate alterius. Ergo etiam inter corpora ad vitam & gloriam resuscitata tale discrimen erit, ut claritas unius maior sit claritate alterius. Excipiunt a) *diversitatem illam ab apostolo statui tantummodo inter corpus, quod in morte deponimus, & quod in resurrectione instaurabitur, non autem concludi aliquid de discrimine corporum beatorum inter sese, statim enim additur: seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Resp. utrumque docet apostolus, videlicet quod quemadmodum corpora coelestia non solum a terrestribus decore differunt, sed etiam ipsa inter sese decoris ac claritatis gradibus; ita quoque corpora sanctorum ad vitam aeternam resuscitatorum non solum a seipsis plurimum differant, qualia fuerunt ante resurrectionem, sed etiam ipsa inter sese secundum diversos gradus claritatis, id quod patet tum ex προτασει, tum ex αποδοσει apostolicae similitudinis. Subordinata igitur non sunt opponenda. In v. 42. 43. 44. 45. & 50. proprie & principaliter agit apostolus de discrimine inter corpora piorum *in sepultura & in resurrectione*, sed in v. 41. de resuscitatorum corporum claritate *inter sese* unice tractat, quod hoc argumento evincere possumus: De illorum corporum discrimine apostolus in v. 41. agit, quibus competit quaedam claritas, vel solis, vel lunae, vel stellarum claritati respondens. Jam vero corporibus, quae in morte deponuntur, nulla eiusmodi claritas competit, sed usi v. 43. diserte addit apostolus: *Seminatur in ignobilitate, resurget tamen in claritate.* Ergo in v. 41. non agit de corporibus, quae in morte deponimus. 6) *Paulus* Phil. III. 21. *omnia & singula corpora piorum ex mortuis resuscitata corpori Christi glorificato conformia fore docet. Ergo non potest ex hoc loco colligi, quod alia aliis futura sint clariora.* Resp. συμμορφα,

μορφα, *conformia* erunt ratione claritatis & aliorum dotium, non autem in gradibus claritatis vel corpori Christi, vel etiam interse se æqualia, unde Theodoretus ad hunc locum adnotat, fore ea conformia Christi corpora κατα ποσον, αλλα κατα ποιον. Sicut Christi corpus post resurrectionem non erat amplius animale, sed spirituale, glorificatum, impassibile, immortale &c. sic & beatorum corpora post resurrectionem talia erunt, ex eo vero inferri nequit, quod non sint futuri gradus claritatis & gloriæ. c) *Inæqualitas beatitudinis ponitur non in corporum glorificatione, sed in Dei visione, de qua Paulus hoc loco nihil.* Resp. repetantur ea, quæ in observatione 3. 4. & 5. sunt dicta. Qui statuunt, non omnes beatos æque perfecte Deum visuros, sed unum alio perfectius, illi causam huius inæqualitatis non in *ipso obiecto*, quod omnibus commune est, divina scilicet essentia, sed in organo sive *medio*, videlicet in *lumine gloriae* quærunt. Thomas part. I. quæst. 12. artic. 6. Dominicus a Soto lib. IV. sentent. distinct. 49. quæst. 3. artic. 2. Quidam partim in *lumine gloriae*, partim in *dispositione intellectus*, hoc est, eiusdem maiori vel minori perfectione statuunt, ut Scotus, Richardus, Caietanus part. II. quæst. 12. artic. 6. quam controversiam nostram non facimus, sed in generali illa thesi, quod futura sit quædam diversitas gloriæ in beatis, adquiescimus.

§. CXXV. Atque hæc sunt dicta *principalia*, quibus coniungimus alia, ex quibus *secundario ac minus principaliter* nostram probamus sententiam: 3) Iohan. XIV. 2. ait Christus: *In domo Patris mei mansiones multae.* Ubi distinctæ mansiones, ibi quoque dantur gloriæ gradus. Excipiunt, *multas dici mansiones, non tamen diversas, possunt enim esse multae, & tamen aequales.* Resp. a) omnes veteres ex hoc loco inæqualitatem gloriæ in beatis colligunt. b) Quia mansiones *multae*, ideo etiam distinctæ, non quidem ratione vel *loci* vel *claritatis*, in se se, sed respectu *graduum* in claritate. *Dominus humano more de cœlestibus loquens, per multitudinem mansionum significavit & amplam cæli capacitatem & gloriae differentiam*, scribit Cyrillus Alexandrinus in commentar. huius loci. c) Interpretationem nostram probant dicta hactenus exposita & ab insultibus adversariorum vindicata, illis prius solide respondeant. d) Est hæc domus, in qua multæ statuuntur mansiones, non solum domus *hominum beatorum*, sed etiam *angelorum*, imo *ipsius Patris cœlestis*, in qua ipse etiam habitat. At num æqualem omnino omnium beatorum & angelorum & ipsius Dei gloriam statuemus?

3) *Ioh. XIV. 2. In domo Patris mei mansiones multae.*

§. CXXVI. 4) Matth. XIX. 28. Luc. XXII. 30. dicit Christus ad apostolus: *Amen dico vobis: vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Hæc sessio non est accipienda in sensu *literali* de sede quadam corporea, sed *mystico* de eximia quadam gloria, quam præ reliquis sanctis in iudicio apostoli habebunt, ut latius ostendimus in tractatu de extremo iudicio §. 41. Atqui si apostolis eximia & peculiaris quædam gloria competit, utique non erit omnimoda æqualitas. Excipiunt a) *comparationem esse non inter ipsos*

4) *Matth. XIX 28. Sedebitis super sedes duodecim.*

ipsos beatos, sed inter Israelitas infideles, ad quos etiam Iudas pertinebat, & apostolos, qui illos fidei & doctrinae suae exemplo damnabunt. Resp. imo vero, quia peculiari quadam ratione relictis omnibus rebus Christum erant secuti, ac maioribus periculis & adversis propter ipsum erant expositi, ideo etiam peculiarem quemdam honorem & gloriam Christus ipsis promittit, ut patet ex antegressa quaestione. b) *Illud ipsum tribui omnibus fidelibus*, 1 Cor. VI. 3. Apoc. III. 21. Resp. non tamen exclusa honoris praerogativa, quae competit apostolis. Apostoli iudicabunt non tantum *exemplo & adprobatione sententiae*, ut reliqui sancti, sed etiam *sua doctrina*, quam viva voce & scriptis propagarunt, eamque ad sanguinem usque propugnarunt. c) *Paulum non posse ab hac fassione & dignitate excludi, cum plus caeteris laboraverit*, 1 Cor. XV. 10. Resp. Paulus ut apostolici muneris ac laboris, ita quoque peculiaris praemii apostolis promissi erit particeps; ac proinde ut per numerum duodenarium non excluditur a collegio apostolorum, ita nec a communione apostolicorum praemiorum. Confer tractatum de extremo iudicio §. 15. d) *Hoc ipsum quidquid erit, non futurum de essentia visionis, seu cognitione Dei, de qua sola hic quaeritur.* Resp. Imo vero non tantum inaequalitatem respectu visionis beatificae, sed etiam respectu accidentalium praemiorum adversarii negant, ut ex argumentis ipsorum postea adparebit. Nostra quae sit sententia, ex observationibus circa quaestionis statum liquido conspicuum.

§. CXXVII.

5) *Matth. XXV. 21. Super multa te constituam.*

5) Matth. XXV. 21. & 23. *Diversitas lucri* ex talento concredito *diversis* compensatur *praemiis.* Excipiunt, *hoc intelligi posse de statu praesentis seculi, in quo, qui fidelis est in paucis, & donis Dei recte utitur, ei gratiae augebuntur, & plura dona spiritualia conferentur*, v. 29. Resp. a) Ex subordinatis non sunt facienda opposita. Qui donis Dei bene utitur, dignus efficitur, ut super plura constituatur, & donorum spiritualium magis capax quotidie reddatur etiam in hoc seculo, sed ex eo inferri nequit, quod non sint illi exspectanda praemia in seculo futuro. b) Quin potius *pietas habet praemia non tantum praesentis, sed etiam futurae vitae*, id est, praemiorum non solum in hac, sed etiam in futura vita, 1 Tim. IV. 8. c) Ac Paulus diserte scribit, *qui parce seminat, eum quoque parce messurum*, 2 Cor. IX. 6. iam vero seculum praesens est *tempus sementis*, seculum futurum est *tempus messis*, Matth. XIII. 39. Gal. VI. 9. Ergo etiam in futuro seculo quidam parcam, quidam vero largam habebunt messem. Certe qui in erogandis eleemosynis liberales sunt, non tantum in hac vita, sed etiam in futura bonis spiritualibus & coelestibus abundabunt, teste tota scriptura. d) Idipsum colligitur ex ipsa Christi parabola. Dicuntur enim servi, qui talentis sibi concreditis lucrati fuerant, praemia sua recepturi, quando post longi temporis decursum redibit ipsorum dominus, & *rationem cum ipsis conferet*, v. 19. iam vero constat in novissimo die reditum Christi ad iudicium exspectandum. Iubentur fideles servi *intrare in gaudium domini sui*, v. 21. & 23. iam vero per actualem & plenam vitae aeternae possessionem in gaudium Domini demum introducimur. Quinimo *scopus* ut & *antecedentia* & *consequentia* evidenter testantur, Christum de retribu-

butione in die novissimo demum exspectanda primario ac præcipue hic agere.

§. CXXVIII. II) Ex *II) Ex rationibus.* *rationibus:* 1) ex *promissa operum retributione.* Christus dicitur in extremo iudicio unicuique *redditurus secundum opera*, Matth. XVI. 27. Rom. II. 6. 2 Cor. V. 10. Apoc. XXII. 12. Iam vero operum & laborum, ut & passionum gradus sunt diversi, diversa igitur etiam præmia. Excipiunt, *dicta haec generaliter accipi posse de gloria iustorum & damnatione iniustorum. Qui enim bona fecerunt, hereditabunt vitam; qui vero mala, damnationem aeternam*, Matth. XXV. 35. & 42. Rom. II. 9. Resp. vera est hæc explicatio, sed non plena. Christus enim non solum ex operum testimonio de cuiusque fide vel infidelitate iudicium ferret, sed etiam cuiusque pii opera & labores ex gratuita misericordia iuxta suam promissionem abundantissime compensabit, ea quidem ratione, ut, qui *parce seminavit, parce etiam metat*, & qui *largiter seminavit, largiter etiam metat*, id quod evidenter colligitur ex loco apostolico 1 Cor. III. 8. *Unusquisque propriam suam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Certe si quilibet in futuro seculo mercedem accipiet *secundum suum laborem*; consequens est, tum labor sit diversus, etiam diversam fore mercedem sive gloriam. Nec potest obverti, *de praemio essentiali, de ipsa scilicet vita aeterna piis bene operantibus promissa sermonem esse, non autem de praemiorum accidentalium diversitate.* Nam Paulus hic non confert pios & impios, ut illis quidem vitam, his vero mortem æternam pro diversitate operum tribuat, sed ipsos pios doctores inter se confert. *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit*, v. 6. *unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, v. 8. *Dei enim sumus adiutores*, v. 9. De tali igitur præmio loquitur, quod iuxta cuiusque peculiarem laborem peculiariter & singulariter cuique pio tribuetur, prout scilicet cuiusque maior vel minor fuerit in ecclesia labor, maiores vel minores passiones. 2) *Ex oppositione.* Erunt gradus pœnarum infernalium. Ergo etiam præmiorum cœlestium. Antecedens confirmavimus in tractat. de inferno. §. LXXV. Excipiunt, *argumenta a contrariis probabilem duntaxat, non necessariam habere consequentiam. Non enim sequitur: Homo potest seipsum occidere; ergo etiam vivificare.* Addunt, *esse disparem rationem, quia malis operibus meremur pœnam, sed bonis operibus non possumus promereri vitam aeternam.* Resp. hæc recte opponuntur pontificiis, qui ex operum meritis diversitatem gloriæ probant, nequaquam vero nostræ adversantur sententiæ, qui ex gratuita Dei promissione operum retributionem deducimus. Disparitas ergo in eo est, quod pii non possint vitam æternam bonis suis operibus promereri, sicut impii damnationem malis suis operibus fuere promeriti; interim convenientia manet in eo, quod quemadmodum in una & eadem damnatione sint diversi gradus pœnarum, ita in una eademque beatitudine sint diversi gradus præmiorum. 3) Ex *Dei promissione.* Deus misericors, verax & iustus promisit, quod maiora redditurus sit præmia illis, qui in hac vita plus laborarunt, ac plura propter ipsum sustinuerunt. Ergo hoc infallibiliter sequetur. Excipiunt, *negare hoc Christum in parabola.* Matth. XX. 10. *ubi singuli operarii eumdem accipiunt denarium; negare hoc apostolum.* Rom. VIII. 18. *ubi passiones huius vitae ad-*

ferit non esse dignas futura gloria, & 2 Tim. IV. 8. *ubi non peculiarem aliquam iustitiae coronam sibi tribuit, quamvis plus caeteris laboraverit*, 1 Cor. XV. 10. *sed omnibus Christi adventum diligentibus secum communem.* Resp. hæc omnia recte probant, præmium *essentiale* sive ipsam vitam æternam beatis omnibus fore communem; probant etiam diversitatis illius in præmio *accidentali* fundamentum non esse quærendum in meritoria operum nostrorum dignitate; relinquitur interim, quod Deus ex gratia diversa piorum opera diversis præmiis sit remuneraturus. 4) Ex *nostra cum angelis confirmatione.* Beati in vita æterna erunt ισαγγελοι. Iam vero inter angelos sunt certi ordines & gradus. Excipiunt, *similitudinem illam non esse extendendam ultra scopum, qui duntaxat in eo consistit, quod usus coniugii in vita aeterna non sit amplius habiturus locum.* Resp. Christus in *genere* pronunciat beatos fore ισαγγελους, quod non tantum respectu coniugii ac generationis desiturae, sed in genere de proprietatibus corporum spiritualium accipiendum, ut adparet ex 1 Cor. XV. 44. Quare cum ipsa scriptura diversitatem gloriæ in beatis statuat, ut ostendimus, ideo non progredimur extra Christi scopum, si hac quoque in parte beatis ισαγγελοτητα tribuamus. Petrus martyr. excipit, *hoc quidem tempore esse inter angelos gradus & ordines, quoniam Deus eorum ministerio ad orbem & ecclesiam regendam utitur, sed in fine mundi principatus & potestates esse abolendas* 1 Cor. XV. 24. Resp. per illos *principatus, potestates & virtutes* non boni sed mali angeli, adeoque omnes regni Christi hostes inelliguntur, ut adparet ex contextu, αιτιολογικως enim subiungitur: *oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.* Sensus igitur est, *tum aboleverit omnem potestatem*, id est, cum subiecerit sibi omnes hostes abolita eorum potentia, videlicet satanæ, mundi, peccati & mortis. Potest etiam accipi de *imperiis humanis*, quæ in die novissimo abolenda esse constat ex Dan. II. 44. Ministeria angelorum cessabunt quidem in futura vita, non autem diversitas donorum habitualium ac distinctio graduum, alias quidam angeli redderentur deterioris conditionis, quam fuere durante huius seculi statu. Est & hæc Martyris exceptio: *Qui ponunt diversos ordines in angelis, eos volunt inter se specie ac fortassis proximo genere differre, quod non potest de hominibus beatis, vel de spiritibus nostris asserari. Quare similitudo inter nos & angelos quoad omnia minime quadrat, nam tunc sumendi essent angeli omnes eiusdem speciei vel eiusdem ordinis, & statuendum, num omnes parem & aequabilem felicitatem habeant, verum haec ex testimonio sacrarum literarum nullus definire potest.* Resp. quamvis in hac vita exacte definiri non possit, qui & quales sint angelorum ordines, illud tamen ex scripturis certum est, quod sint certi angelorum ordines & gradus, atque hoc ad confirmationem nostræ sententiæ nobis sufficit. Angelos inter se *specie* differre, cum omnes sint λειτουργικα πνευματα, Hebr. I. 14. est μεγαλιαν αιτημα. 5) Ex *seria ad studium pietatis & patientiam exhortatione*, quæ ex hypothesi de præmiorum amplitudine ac diversitate peti potest. Excipiunt, *verum talcar ad pietatis studium esse Dei mandatum & promissionem ineffabilis beatitudinis, quibus qui non movetur, nae ille parum incitabitur illa praemiorum differentia.* Respond. subordinata non pugnant. Sicut *pietas promissionem habet* non modo *praesentis* sed etiam *futurae vitae*, ita quoque promis-

sionem

sionem habet non tantum *beatitudinis essentialis*, sed etiam *accidentalium praemiorum* in vita æterna.

III) Ex dictis patrum.

§. CXXIX. III) Ex *patrum dictis.* Illorum consensum nobis largitur Petrus Martyr, sic enim scribit dicto loco: *De patribus fatemur ingenue, quod praemiorum discrimina statuerint.* Ostendit hoc res ipsa. Chrysostomus homil. XLI. in 1 Cor. Τι τοινυν εντευθεν κατα μανθανομεν; οτι και εν βασιλεια παντες, ὁ παντες των αυτων απολαυσονται. *Quid ergo hinc discimus?* (quando apostolus dicit, *alia claritas solis, alia lunae &c.*) *quod etsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequuntur & iisdem fruuntur.* Ambrosius in commentar. Luc. VI. *Sicut incrementa virtutum, ita etiam incrementa sunt praemiorum.* Augustinus in enchirid. cap. 111. *In beatitudine electi alius alio praestabilius, in miseria vero damnati alius alio tolerabilius permanebit.* Lib. eiusdem cap. 113. *Manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgeant.* Libr. de s. virginitat. cap. 26. *Ipsa vita aeterna erit pariter omnibus sanctis, aequalis denarius omnibus attributus est. Quia vero in ipsa vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multae sunt mansiones apud Patrem, ac per hoc in denario quidem non impari non vivet alius alio prelixius.* Libr. XXII. de civitate Dei cap. 30. *Qui futuri sint pro meritis praemiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus invidebit, sicut nunc non invident archangelis angeli caeteri, sic enim habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* In enarratione Psalmi CL. *Habebunt etiam tunc sancti differentias suas consonantes, non dissonantes, id est, consentientes, non dissentientes, sicut concentus suavissimus fit ex diversis quidem, sed non inter se adversis sonis. Stella enim differt a stella claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Serm. CXLIII. de temp. *Sanctorum corporibus promissa est claritas & diversa species claritatis. Nempe unusquisque stabit in sorte sua: patriarchae & prophetae in sorte sua; apostoli in sua sorte; evangelistae in sua sorte; pastores & doctores in sua sorte; alii denique fideles in sua sorte.* Serm. CXCI. de tempor. *Unam credimus esse sanctorum vitam omnium, sed praemia pro labore diversa, & e contrario pro modo delictorum peccatorum quoque esse supplicia.* Eucherius Lugdunensis homil. in natali unius confess. *Qui plus laboraverit, plus mercedis accipiet. Stella enim, ut apostolus ait, differt a stella in claritate. Quamvis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes aequales erunt, quod quidem in eo significatur, quod alii supra decem, alii supra quinque civitates constituti dicuntur.* Prosper libr. I. de vita contemplat. cap. 4. *Quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab invicem distabunt, omnes tamen una perfectione beati erunt, quia singulis praemia sua sufficientia erunt, & capere amplius praemiis suis iam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos aequaliter habet, quamvis singuli cibum non aequaliter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri sunt. Caeterum in illa tantae beatitudinis regione nec maioris meriti aliquid sibi quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec superiori inferior*

rior invidebit, quia ibi invidus nullus esse poterit, & ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis aequalitas, quibus erit regni caelestis una felicitas. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 28. pag. 479. *Diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita aeterna.* Gregorius libr. IV. moralium cap. 31. (in quibusdam exemplaribus est cap. 42.) *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in evangelio veritas dicit:* In domo Patris mei mansiones multae sunt. *Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionem diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. Unde & non aeque laborantes in vinea aeque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multae sunt, & tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae.* Homil. XVI. in Ezech. *In retributione ultima, quamvis eadem dignitas omnibus non sit una, erit tamen omnibus vita beatitudinis, unde per semetipsum Dominus dicit:* In domo Patris mei mansiones multae sunt. *Sed tamen qui in eam ducti sunt, quamvis diversis horis venerint, unum denarium perceperint. Qua itaque ratione conveniant mansiones multae cum uno denario, nisi quia diversae quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies aeternae retributionis? Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum, quia etsi alter minus atque alius amplius exsultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione laetificat.* Rabanus lib. III. in Exodum 11. *Corona aurea mensae Domini pura & non interrasilis esset, si claritas futurae retributionis iustorum aequalis omnibus panderetur, instar videlicet huius mundi solis, cuius splendorem Deus indifferenter super bonos & malos facit oriri. At quia sicut stella differt a stella in claritate, ita erit & resurrectio mortuorum, corona mensae Domini variis distincta scripturis, sed competenter ordinatis adposita est. Una etenim vita futura omnibus est promissa iustis, sed multiformis in illa pro diversitate meritorum gloria est singulorum.* Quo sensu in his & aliis eiusmodi dictis meriti voce ecclesiastici scriptores utantur, late exposuimus in tractat. de bonis operib. §. 124. *Patrum dictis* coniungi potest veterum *rabbinorum traditio*, quam commemorat Galatinus lib. XII. de arcanis cap. 6. p. 603. ex midras thillim super illud Psalm. XI. *recti videbunt faciem eius*, ubi sic dicitur: *Sermo alius: Videbunt faciem eius. Hi sunt iusti, de quibus dictum est* Dan. XII. Et intelligentes splendebunt sicut splendor coeli. *Futurum siquidem est, ut facies iustorum fulgeant tanquam luna, tanquam coelum, tanquam stellae, tanquam fulgura, tanquam lilia, tanquam lampades. Tanquam sol, sicut dictum est* Iudic. V. *sicut egressus solis in fortitudine sua. Tanquam luna, sicut dictum est* Psalm. LXXXV. *sicut luna praeparata in aeternum. Tanquam coeli, sicut dictum est* Dan. XII. *velut splendor coeli. Tanquam stellae, sicut dictum est* Dan. XII. *& iusti splendescent ut stellae. Tanquam fulgura, sicut dictum est* Nahum II. *ut fulgura discurrent. Tanquam lilia, sicut dictum est in* Psalm XLV. *victori super liliis. Tanquam lampades, sicut dictum est* Nahum II. *visio eorum tanquam lampadum. Prima diversitas est eorum, qui ante faciem regis habitant, & intuentur regem & faciem eius, sicut dictum est:* habitabunt recti

cti coram facie tua. *Et dictum quoque est*: recti videbunt faciem eius. *Secunda diversitas est eorum, de quibus dicunt*: Beati, qui habitant in domo tua. *Tertia eorum, de quibus aiunt*: Quis adscendet in montem Dei? *Quarta, de quibus dicitur*: Beatus quem elegisti & adpropinquasti. *Quinta, de quibus dicitur*: Deus, quis hospitabitur in tabernaculo tuo? *Sexta, de quibus dicitur*: Quis habitabit in monte sancto tuo? *Septima, de quibus dicitur*: Et quis surget in loco sancto eius? *Quaelibet autem harum diversitatum habet mansionem per se in paradiso delitiarum, & e contra septem quoque habentur mansiones in gehenna pro impiis &c.* Confer b. Lutherum tom. III. Ien. germ. p. 318. tom. VI. p. 253. tom. VIII. p. 193.

IV) Ex adversariorum suffragiis.

§. CXXX. IV) Ex *adversariorum suffragiis*. Calvinus lib. III. institut. cap. 25. §. 10. *Quod scripturae docent, ab omni controversia exemplum apud nos esse debet, nempe sicut varie Deus sua dona sanctis in hoc mundo distribuens eos inaequaliter irradiat, ita non fore aequalem gloriae modum in cœlis, ubi dona sua coronabit Deus.* §. 11. Adductis ad hoc probandum scripturae testimoniis subiungit: *quemadmodum autem hoc uno consensu recipient omnes pii, quia verbo Dei satis testatum est; sic rursus spinosis quaestionibus, quas sibi obstaculo esse cognoscent, valere iussis, metas sibi propositas non transilient.* Ipse Petrus Martyr, qui primus nostro tempore a communi consensu recessit, non solum dubius est, sed etiam ex parte nostram confirmat sententiam, quando d. l. pag. 736. sic scribit: *Non inficiamur, posse facile fieri, ut, eum cogitaverint sancti, Deum per se plura edidisse facinora, eademque praeclara, plus oblectationis & gaudii fortassis inde concipiant, quam alii, qui tot ac tanta per se gesta esse non possunt secum repetere.* Bucanus in instit. loc. XXXIX. pag. 448. *Gloria vitae aeternae non erit aequali mensura omnibus electis communis, sed sicut Deus sua dona electis in hac vita inaequaliter communicat; sic inaequali gloriae modo in cœlis illa dona sua in electis coronabit.* Polanus in syntagm. lib. VI. cap. 75. p. 519. *Gloriae, honoris, splendoris & claritatis in vita aeterna erunt gradus.* Thomas Mortonus apol. cathol. part. I. cap. 36. pag. 134. *Ex inaequalitate sanctificationis necessario inaequalis sanctorum dignitas cœlestis efficitur, non quidem ex merito operantis, sed ex benignitate miserentis, qui coronat munera sua, & gratiam pro gratia, hoc est, gratiam beatitudinis iuxta analogiam gratiae sanctificationis misericorditer remunerabit.* Piscator in notis ad 1 Cor. XV. 42. ac doctrina X. istius cap. *Claritas sanctorum habebit distinctos gradus.* Idem vol. I. loco thes. 48. *Gloriae cœlestis, qua beati ornabuntur, gradus quosdam fore statuimus, sicut etiam fuerunt gradus donorum in hac vita, & erunt gradus cruciatuum in damnatis.* Alstedius in theol. didact. sect. IV. cap. 41. p. 851. *Quaeritur de gradibus gloriae & gaudii, annon illi futuri sint in ista beatitudine? affirmandum hoc est*, ex Dan. XII. 3. Ioh. XIV. 2. & 1 Cor. XV. 41. & 42. *eadem tamen erit omnium beatitudo, eaedem amœnitates Dei*, Psalm XVI. 11. Scharpius, professor Dienstis, in cursu theologico loco XXII. col. 1180. *Quaeritur: an omnium glorificandorum par & aequalis sit futura gloria?* Resp. *non, idque* 1) *quia Deus coronabit sua dona in suis, prout in singulis sunt. At sunt in singulis inaequaliter*, Matth. V. 19. XIII. 8. XXV. 4. 2) *Scriptura docet eos, qui alios instruunt gloria*

aliis praeituros. Dan. XII. 3. 3) *Apostoli dicuntur habituri singularem gloriae gradum*, Matth. XIX. 28. 4) *In inferno erunt diversi gradus poenarum*, Matth. XI. 22. 5) *In gloria futura erimus instar angelorum*, Matth. XXII. 30. *at angelorum sunt gradus.* 6) *Paulus peculiarem coronam sibi repositam esse testatur*, 1 Thess. II. 19. 7) *Haec & eiusmodi loca idem docent*, Matth. XX. 27. 1 Cor. XV. 41. 2 Cor. IX. 6. postea respondet argumentis in contrarium adductis. Similia apud Bezam part. I. quaest. p. 675. Danaeum isagog. part. IV. lib. 6. cap. 8. Sohnium tom. I. oper. p. 268. & alios occurrunt.

Argumenta Martyris pro parte quaestionis negantes.
I) Matth. XX. 13. laborantibus in vinea idem datur denarius

§. CXXXI. Argumenta Martyris pro negante quaestionis parte adducta haec sunt: I) Matth. XX. 13. *His, qui laborarunt in vinea vario ac dispari labore, datur aequabiliter denarius, & murmurantibus paterfamilias obstat, & iuste se facere ostendit, neque se excusat distinctione praemii substantialis & accidentalis.* Resp. verum huius parabolae scopum & sensum late exposuimus in tract. de bonis operibus §. 114. ex quo unicum illud hoc loco repetimus, per *denarium* specialiter ac directe non posse intelligi vel essentiale vel accidentale praemium vitae aeternae, alias enim consequens foret, etiam murmurantibus contra Deum vitam aeternam obtingere; pios per integrum diem laborantes maius aliquod praemium suorum postulare, quam est vita aeterna; vitam aeternam dari iis, qui non sunt electi, iidem enim in hac parabola sunt *primi*, qui *non electi*, ut ex epiphonemate subiecto colligitur. In genere igitur praemia laborantibus in vinea Domini promissa hic intelliguntur, sive ea sint temporalia sive aeterna, eademque omnia ex gratia dari, non autem meritis operum reddi docetur, in quo parabolae scopo unice subsistendum. Augustinus in lib. de virg. cap. 26. sic respondet: *Ipsa vita aeterna pariter erit omnibus sanctis. Aequalis enim denarius omnibus est attributus, ac per hoc in denario quidem non impare non vivet alius alio prolixius. Quia vero in ipsa vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum, mansiones multae sunt apud Patrem, in quibus honoratur alius alio clarius.* II) 1 Cor. XV. 28. *Deus erit omnia in omnibus. Ergo ut obiectiva, ita quoque formalis, ut essentialis, ita accidentalis beatitudo sanctorum erit eadem.* Resp. *obiectivam & essentialem* beatitudinem eamdem fore concedimus, de *accidentali* ex dicto apostolico idem probari nequit. Sicut enim in hac vita Deus *operatur omnia in omnibus*, 1 Cor. XII. 6. Eph. I. 11. non tamen aequali gradu, cum in quibusdam & per quosdam pauciora & minora operetur; sic in vita aeterna Deus *erit omnia in omnibus*, ut tamen quibusdam maiorem, quibusdam vero minorem claritatem impertiatur. Sicut Deus in vita aeterna ita erit omnia in omnibus, ut tamen sua capiti Christo eminentia maneat salva; sic etiam inter membra corporis Christi mystici sive ecclesiae triumphantis gloriae diversitas nihilominus permanebit, id quod in illo ipso capite distertis verbis docet apostolus. III) Matth. XIII. 43. *Omnes iusti dicuntur fulsuri, sicut sol in conspectu Dei. At nulla est maior lux ea, qua sol praeditus est, & nemo, nisi iustus fuerit, regnum caelorum ingre-*

II) 1 Cor. XV. 28. Deus erit omnia in omnibus.

III) Matth. XIII. 43. Iusti fulgebunt sicut sol.

ingredietur; habebunt itaque omnes splendorem solis, id est, aeque summam gloriam. Responsio petatur ex §. 123. proximo. IV) Matth. XXII. 30. *Omnes beati erunt ut angeli. Ergo aequali gloria praediti, alias Christus ulterius progressus fuisset, & varia discrimina beatorum constituisset.* Resp. invertimus argumentum, ut videre est ex §. 128. antecedente. Christo hic non erat propositum de gradibus gloriæ in *specie*, sed de qualitatibus corporum ad vitam æternam resuscitatorum in genere agere. V) Ex *causae remotione. Quod in hac vita inter sanctos variae sint differentiae, propter carnem accidit, quam circumferunt, cui prout aliqui magis minusve sunt addicti, magis aut minus in regeneratione proficiunt. Sed in patria cum omnis labes carnis ex lusa fuerit, perfecti erimus, neque causa erit, cur unus magis quam alius a praesentis boni participatione impediatur.* Resp. repetantur ea, quæ dicta sunt in observ. V. Bona ἀφαιρετικα omnibus beatis æqualiter erunt communia, omnes enim ex æquo erunt a labe carnis & omnibus peccati consequentibus perfecte liberi, sed bona θετικα, accessoria dispares in beatis obtinebunt gradus, ea enim non ex abolitione malorum, sed ex gratuita Dei remuneratione immediate & proxime oriuntur. VI) *Ex communis praemii promissione. Christus promisit apostolis* Matth. XIX. 28. *quod sessuri super sedes duodecim, & iudicaturi tribus Israel. Ab hoc praemio non est excludendus Paulus, qui plus caeteris laboravit,* 1 Cor. XV. 10. *quinimo omnes sancti dicuntur mundum iudicaturi.* 1 Cor. VI. 3. Responsio patet ex §. 126. VII) Ex *operum & passionum nostrarum conditione. Passiones huius temporis non sunt dignae ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis,* Rom. VIII. 18. *Quod si Deus in attribuenda vita aeterna dignitatem nostrorum operum non respicit, undenam eliciemus istos praemiorum gradus? Ex mera Dei liberalitate felicitatem adipiscemur, ideo ab eius misericordia petendum esset praemiorum discrimen, non a nostris operibus.* Resp. nec essentialis nec accidentalis beatitudo ex *merito operum* obtingit, ut ex loco apostolico manifeste constat, interim ex eo inferri nequit, eamdem per omnia essentialis & accidentalis beatitudinis esse rationem; illa enim est gratuitum Dei donum in Christo, & fide credentibus obtingit, hæc pro ratione laborum ac passionum gradibus variat, non ex merito, sed ex liberali Dei promisso, in mercede enim hic spectatur non *dignitas operis*, quod compensatur, sed *sequela.*

IV) Matth. XXII. 30. erunt ut angeli.

V) ex causae remotione.

VI) Ex communis praemii promissione.

VII) Ex operum & promissionum conditione.

§. CXXXII. Hisce argumentis Petri Martyris addit Schönfeldius duo alia, quorum prius ductum ex *sufficiente enumeratione. Disparitas beatitudinis in nulla eius parte e scriptura ostendi potest;* 1) *nec in unione cum Deo,* 2) *nec in visione Dei,* 3) *nec in dilectione, iustitia & laetitia,* 4) *nec in clarificatione corporum,* 5) *nec in domicilio,* 6) *nec in sanctorum consortio,* 7) *neque in gloria. Ergo nulla erit inaequalitas, sed omnes pariter erimus beati.* Resp. si vel maxime exacte non possemus definire, qua in re diversitas illa sit statuenda, tamen res ipsa propterea non esset neganda, cum perspicuis scripturæ dictis fuerit demonstrata. Repetantur ea, quæ de vero quæstionis sta-

Argumenta Schönfeldii: I) ex sufficientia enumeratione.

tu

tu adduximus superius §. 120. Posterius ex *causae conditione. Beatitudo aeterna secundum omnes suas partes dependet ex Christi passione & merito nobis imputato, & nulla eius particula ex operum mortuorum merito dependet. Atqui passio Christi aequaliter pro omnibus electis facta. Nec enim plus pro Petro quam pro latrone passus est, & sanguis eius aeque pro latrone ac Petro est effusus, meritumque eius aequaliter omnibus credentibus imputatur, & aequaliter iustificantur, quotquot iustificantur. Ergo aequalis erit omnium electorum beatitudo.* Resp. 1) Concedimus, imo contra pontificios magno conatu adstruimus, beatitudinem dependere ex Christi passione & merito nobis imputato, & nullam eius particulam ex operum nostrorum merito dependere; sed ex eo nondum inferri potest, æqualem fore omnium beatorum gloriam. 2) Distinguendum enim inter ipsam vitam æternam, quam vocant *beatitudinem essentialem*, & inter præmia in vita æterna beatis distribuenda, quæ *beatitudinis accidentalis* nomine veniunt. Illa omnibus sanctis erit communis, hæc vero pro ratione laborum ac passionum erunt gradibus distincta. 3) In articulo *iustificationis* ac *regenerationis* proprie sic dictæ omnes pii sunt æquales, sed in articulo *renovationis* magnum inter ipsos est discrimen, in quibusdam enim renovatio maior, in quibusdam minor. Scholastici distinguunt inter *gratiam gratum facientem & gratias gratis datas*, quæ distinctio quomodo commode explicari & adplicari possit, in articulo de iustific. fuit monstratum. 4) Quamvis in distributione præmiorum accidentalium Deus respectum habeat ad antegressos labores & passiones, ac pro eorum diversitate etiam diversa (non *specie* sed *gradibus*) distribuat præmia, tamen illa ipsa non propter operum nostrorum merita, sed ex liberali benignitate vi gratuitæ suæ promissionis distribuit. Aliud enim est reddere unicuique *secundum* opera, aliud vero *propter* opera tanquam merita. 5) Quod *pro omnibus electis* Christus dicitur mortuus, id iuxta scripturæ doctrinam ac stylum sic corrigendum, quod *pro omnibus hominibus* sit mortuus, quamvis fructus mortis ad solos electos redeat, reliquis propria culpa exclusis.

II) Ex causae conditione.

§. CXXXIII. 2) *In specie* de bonis vitæ æternæ *internis* & quidem *totius compositi*, inter quæ primo loco occurrit *beatifica Dei visio*, de qua quæritur: 1) *An beati clare & intuitive ipsam Dei essentiam sint visuri?* Negant hoc 1) *Armeni* & quidam recentiores *Graeci* apud Armachanum lib. XIV. quæstionum contra Armenos, qui adserunt, *beatos in cœlo non videre divinam essentiam, immediate, sed fulgorem quemdam ab ea emanantem.* 2) *Quidam ex patribus:* Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius ac Theophylactus, itemque Alcuinus lib. II. de Trinit. cap. 16. videntur negare *divinam essentiam ab angelis aut beatis hominibus videri posse*, quorum tamen dicta recentiores conantur variis modis excusare, quod scilicet loquantur vel de *visione comprehensiva*, vel de *visione corporali*, vel de *visione in hac vita mortali*, vel de *visione naturali per solas naturae vires facta.* 3) *Quidam ex Calvinianis:* Herm. Hamelmannus anno 1585. libellum edidit, in quo demonstrat, *quomodo sacramentarii gaudia vitae aeternae extenuent, obscurent, vel plane*

Quaestiones speciales. A) de Dei visione. Quaeritur 1) An beati clare & intuitive Dei essentiam sint visuri?

in

in nihilum redigant, in quo p. 1. sic scribit: *Est congestus & Bremae, sicut ex multis argumentis colligo, conscriptus trinus tractatus Latine sub ficto nomine Petri Warenburgii de Altenkirchen, & editus Neapoli ab impuro & diffamatore typographo Matthia Harnisch, in cuius secundo tractatu audet dicere & scribere iste Warenburgius, quod sancti in vita aeterna Deum non in se, & sicuti est, sint visuri revera & reipsa.* Budowizius baro Bohemus horologio pag. 1. *Etiam in futura in cœlis vita neque homines neque angelos capaces fore puto ad perfecte cognoscendum, qualis Deus sit in sua essentia.* Budowizii patrocinium suscepit Iulianus Poniatovius, nobilis Polonus in dissertatione theol. de hac quæstione edita, sed utrumque erudite & sufficienter repulit nobilissimus theologus, Hoë, fautor & amicus noster singularis, in epist. ad Budowit. & in dissert. anti Poniatoviana. 4) *Photiniani.* Smalcius in exam. 157. errorum, err. 129. p. 35. *In cœlo essentiam Dei videri posse nondum constat inter theologos.*

§. CXXXIV. Antequam vero adfirmantem probemus, notandum est, I) varias esse divinæ visionis *species* sive *modos*, quos aliqui ad quatuor potissimum capita revocari posse censent. Prima visio est *naturalis*, eaque vel ἐμφυτος, *implantata* ex notitiis naturalibus, vel ἐπικτητος, *adquisita* ex creaturarum inspectione hausta. Altera est *specularis*, quæ fit per externas adparitiones, quales olim contigerunt prophetis. Tertia est *fidelis*, quæ oritur ex revelatione verbi; & quarta *cælestis*, quæ continget in vita altera. Bonaventura lib. II. sent. dist. 23. art. 2. quæst. 3. & post eum clarius Bielis lib. & distinct. iisdem quæst. un. art. 3. dub. 2. *Modus cognoscendi Deum est quadruplex, scilicet per fidem, per contemplationem, per adparitionem & per apertam visionem. Primus est gratiae communis. Secundus gratiae excellentis. Tertius gratiae specialis. Quartus gloriae consummantis. Distinguuntur autem illi modi secundum diversum modum divinae praesentiae, secundum quod praesens est in ratione obiecti, videlicet praesens intellectui ad videndum. Nam in primo praesens est Deus aliis, quibus se revelavit, quorum auctoritati credimus. Quod enim credo, Deum esse trinum & unum, hoc credo Dei Filio, qui hoc enarravit & praedicavit, & Spiritui sancto, qui hoc patribus inspiravit, quod enim credimus, hoc auctoritati debemus. In secundo modo est praesens in effectu proprio, qui modus tanto est eminentior, quanto effectum divinae gratiae magis sentit in se homo, vel etiam quanto melius scit considerare Deum in exterioribus creaturis. In tertio est praesens in signo proprio, sicut adparuit Abrahae in subiecta creatura, quae ipsum Deum figurabat, & sicut Spiritus sanctus adparuit in columba & in linguis igneis dispertitis. In quarto est praesens in seipso, quo videtur in lumine proprio, quia facie ad faciem in vultu suo, quae visio est merces omnium beatorum.* Potest etiam visio Dei sic distingui, quod quædam fiat in *lumine naturae*, quædam in *lumine gratiae*, quædam in *lumine gloriae*. Apostolus 1 Cor. XIII. 12. per duas species ἀντιδιημένως sibi invicem oppositas visionem Dei sic distinguit, quod una sit *huius vitae propria*, quam vocat *specularem*, qua nunc per speculum in ænigmate videmus; alteram *intuitivam*, qua tunc a facie ad faciem videbimus. Speculum illud statui potest triplex: 1) *ipsa natura* seu *res creatae*, in quibus quædam quasi fulgor divinitatis relucet, Rom. I. 20. quo sensu veteres accipiunt dictum

ctum Iob. XXXVI. 25. *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul Deum; procul intueri*, inquiunt, *est eum intueri in suo opere, quod procul abest a Dei perfectione.* 2) *Symbola, figurae & imagines externae*, in quibus divina maiestas sanctis se quandoque patefecit, Gen. XXXII. 30. Exod. XXXIII. 23. 1 Reg. XXII. 19. Esai. VI. 3. &c. 3) *Verbum revelatum*, per quod Spiritus sanctus mentes hominum salutari Dei cognitione illustrat, ad quod etiam pertinent *sacramenta*, quae sunt verbum ὁρατον sive visibile. Per hanc specularem Dei cognitionem tantum ἐκ μέρους, *ex parte cognoscimus*, sed in vita aeterna succedet perfecta & intuitiva Dei cognitio, qua Deum, *sicut in se est*, hoc est, ipsam divinam essentiam immediate & sine involucro quodam externo cognoscemus. Si quaeras, quo pertineat *visio humanitatis Christi*, an ad *specularem* huius vitae, an vero ad *intuitivam* vitae alterius, respondemus ad utramque, sed diverso respectu. Quatenus enim Christum in diebus carnis suae in terris obversantem oculis nondum glorificatis homines viderunt, & quatenus eumdem visibiliter ad iudicium venientem in nubibus coeli etiam impii videbunt, eatenus Christi visio non pertinet ad visionem beatificam; quatenus vero beati in vita aeterna oculis glorificatis summa cum delectatione ipsum intuebuntur, eatenus ad posteriorem visionis divinae speciem pertinet. Quando ergo hoc loco quaeritur: *an beati in vita aeterna divinam essentiam sint visuri?* sensus quaestionis est, an praeter visionem specularem, qua Deus in suis operibus creatis, in formis externis ad tempus adsumtis, & in revelato verbo videtur, ac praeter visionem humanitatis Christi, qua Deum in carne revelatum oculis corporeis videre contingit, detur alius visionis modus, quo ipsam divinam essentiam *clare*, *intuitive* & *immediate* in vita aeterna simus visuri? II) Non quaeritur de visione *comprehensiva*, an infinita illa & absoluta perfectione Deum simus visuri, qua Deus seipsum novit, ea enim nec angelis nec hominibus, sed soli Deo competit; sed de visione *intuitiva* & *quidditativa*, qua Deus cognoscitur, qualis est. *Anomaei*, quorum antesignani fuerunt *Aetius & Eunomius*, insigni desipientia fascinati dicebant, *posse Deum a creatura comprehendi, imo se etiam ita perfecte Deum cognovisse, ut Deus seipsum*, contra quos disputat Chrysostomus dialog. V. contra Anom. urgens dicta scripturae: Ierem. XXXII. 19. Roman. XI. 33. 1 Tim. VI. 16. &c. Notandum tamen, quod *comprehensio* duobus modis accipiatur: Primo pro *consecutione alicuius rei, quam quis desiderat*, quo sensu accipitur 1 Cor. IX. 24. Philip. III. 12. Secundo pro *adaequata rei alicuius cognitione.* Priori significatione beati in vita aeterna Deum comprehendent, unde etiam *comprehensores* a scholasticis vocantur, & a *viatoribus* huius vitae distinguuntur. Posteriori significatione acceptam comprehensionem Thomas part. I. quaest. 12. art. 7. sic definit, quod *per eam cognoscatur res, quantum est cognoscibilis.* Augustinus lib. XII. de civ. Dei cap. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur, quia scilicet cognoscitur secundum totam sui cognoscibilitatem, & sic respectu eius se habet, ac si esset finitum*, ut exponit Bielis lib. III. sent. dist. 14. quaest. un. art. 3. dub. 2. hoc sensu beati Deum in vita aeterna non comprehendunt, quia Deus, cum sit infinitus, est etiam infinite cognoscibilis. Reliqui scholastici de comprehensione sic disputant: Bonaventura lib.

lib. III. sent. dist. 14. quæst. 2. *Comprehendere dicitur tripliciter: Uno modo idem est, quod charitate adhaerere. Alio modo idem est, quod clare videre & perfecte amare. Tertio modo idem est, quod terminos rei claudere. Primo modo pii Deum comprehendunt in hac vita, secundo modo in patria, tertio modo solus Deus seipsum comprehendit.* Occamus quæst. 12. art. 4. *quintupliciter* το comprehendere accipi docet: *Primo modo est videre aliquid visibile, ut nihil eius lateat, & sic comprehendere est distincte videre. Secundo modo est videre aliquid totum, & discernere inter eius partes. Tertio modo est videre aliquid visibile perfectissima visione, qua videri potest. Quarto modo est cognoscere aliquid sub omnibus praedicatis sibi convenientibus. Quinto modo est cognoscere intellectione habente talem proportionem ad alias intellectiones, qualem habet obiectum ad alia obiecta. Primo modo quidquid videt essentiam, comprehendit eam, quia videt eam distincte, quia non habet partes, quarum aliqua potest latere, aliqua adparere. Secundo modo essentia a nullo comprehenditur, quia non habet partes, inter quas discerni potest. Tertio modo non potest comprehendi nisi ab intellectu suo, quia omni cognitione creata perfectior est visio increata, neque aliqua creatura isto modo comprehendi potest nisi a solo Deo. Quarto modo similiter non potest comprehendi nisi a seipso, quia ipse solus novit omnia praedicata sibi convenientia. Sic & quinto modo solus comprehendi seipsum, quia sicut cognitio increata infinite excedit omnem cognitionem creatam; ita obiectum increatum infinite excedit omne obiectum creatum, & tanta est intellectivitas in intellectu divino, quanta intelligibilitas in divina essentia.* Idem vero Augustinus epist. CXII. cap. 8. comprehensionem paulo aliter definit: *Id comprehenditur*, inquit, *quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem.* Iuxta hanc comprehensionis definitionem distincte respondendum. Cum enim in Deo tria considerari possint, videlicet primo *essentia*, *attributa & personae*, secundo *libera decreta & consilia*, tertio *creaturae, quae eminenter sunt in ipso;* de primo consentiunt scholastici a beatis illa videri, de secundo itidem, a beatis illa non videri, de tertio vero plurimum variant, ut suo loco ostendimus. Si quæras, *quomodo beati videntes divinam essentiam & attributa essentialia non videant libera Dei decreta & consilia, cum tamen ea secundum rem non distinguantur a Dei essentia*; respondent scholastici, libera Dei decreta & consilia quoad *entitatem* realem esse plane idem cum divina essentia & attributis, interim tamen præter illam realem entitatem includere aliquid aliud, videlicet tum *liberam terminationem ad hanc vel illam creaturam in particulari* producendam vel gubernandam, tum *respectum rationis ad eamdem creaturam*, qui resultat ex eo, quod essentia divina libere ad hanc vel illam creaturam per modum volitionis terminatur, beatos igitur, qui Deum vident, simul videre decreta Dei, quoad realem entitatem, quia sic nihil aliud sunt quam essentia Dei, non tamen videre liberam terminationem & respectum ad creaturas in particulari. Sed arbitramur hoc homini viatori esse incomprehensibile, quomodo beati videant Dei essentiam, & tamen non videant consilia & decreta Dei, quæ sunt realiter unum cum divina essentia, cum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus. III) Non quæritur *de visione corporali*, an beati oculis corporeis glorificatis Deum sint visuri, de ea enim quæstione distincte paulo post agemus. IV) Non quæritur de *visione in hac vita*

mortali. Certum enim est, in hac vita *immediate, intuitive & beatifice* divinam essentiam a nobis non cognosci. Exod. XXXIII. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* v. 23. *Posteriora sive tergum meum videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, quod Deus praeparavit se diligentibus.* Iob. I. 18. *Deum nemo vidit unquam.* 1 Tim. VI. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Quidam sane ex veteribus, ut Augustinus lib. XII. de Genes. ad liter. cap. 27. Hugo Victorinus in 2 Cor. quæst. 34. Abulensis in Matth. V. quæst. 46. Lyranus in Exod. XXXIII. Thomas part. I. quæst. 10. art. 10. &c. in eam videntur concedere sententiam, quod Moses ac Paulus divinam essentiam etiam in hac vita viderint, quia Mosi promiserat Dominus Exod. XXXIII. 10. *Ego ostendam tibi omne bonum*, id est, me ipsum, in quo continetur omne bonum; ac Paulus de seipso commemorat 2 Cor. XII. 2. quod *raptus fuerit in paradisum, & audiverit arcana verba, quae non liceat homini loqui*, ubi & paradisi & ἀρρήτων verborum nomine visio divinæ essentiæ videtur intelligi. Posset etiam addi exemplum Iacobi patriarchæ, qui itidem *a facie ad faciem sese Dominum vidisse* adserit, Gen. XXXII. 30. & Gideonis, qui angelum Domini, id est, Filium Dei in forma humana sibi adparentem *a facie ad faciem* vidisse dicitur Iud. VI. 22. Sed dicta in contrarium adducta, quæ visionem divinæ essentiæ hominibus in hac vita denegant, nec possunt aliter quam de *intuitiva divinae essentiae cognitione* intelligi, cum *specularis* per creaturas, per figuras, & per verbum multis in hac vita contigerit, illa inquam dicta cogunt nos, ut hominibus in hac vita claram & intuitivam Dei visionem denegemus, ac proinde peculiare aliquod privilegium in Iacobo, Mose & Paulo non agnoscamus. Ut silentio interim involvamus argumenta plurima, quæ contra illam hypothesin produci possunt, utpote quod *inter divinam essentiam & oculos nondum glorificatos nulla sit proportio*, quod *divinae essentiae denegentur, quae ad visionem corpoream requiruntur*, quod *nec angelicos spiritus nec corpora glorificata in hac vita intueri possimus*, quod *Israelitae non potuerint in radiantem Mosis faciem intendere*, 2 Cor. III. 7. Exod. XXXIV. 34. quod *apostoli non potuerint fulgorem ex Christi transfigurati facie emicantem perferre*, Matth. XVII. 6. quod *Paulus caelestis gloriae fulgore perculsus per triduum videre non potuerit*, Act. IX. 3. XXII. 6. &c. Quod ergo Mosi promittitur, *ostensum ipsi a Deo iri omne bonum*, id diversimode ab interpretibus explicatur. Quidam respondent, *hanc promissionem non in hac, sed in futura demum vita fuisse implendam.* Quidam de *manifestatione promissi Messiae in forma humana constituto tempore personaliter adsumenda exponunt*, quia in Messia dedit nobis Deus omne suum bonum. Quidam de *revelatione divinae voluntatis* accipiunt. *Ostendam tibi omne bonum*, hoc est, revelabo tibi bonam & clementem meam voluntatem, & quæ tibi de me cognitu sunt necessaria, atque ita me tibi conspiciendum præbebo, ut amplissimum meæ erga te clementiæ exstet argumentum. In Hebræo est: *transire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam*, cuius complementum sequitur v. 21. & 22. *Ecce est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, & protegam te dextra mea, donec transeam;* ex quo in-

intelligitur, verba hæc manifestatione Messiæ, qui est Dei gloria & omne bonum, commodissime intelligi. Pauli raptus & verborum ἀῤῥητων auditus contigit non per *beatificam divinae essentiae visionem*, sed per *peculiarem revelationem*, ut ipsimet testatur 2 Cor. XII. 7. De phrasi *videre Deum a facie ad faciem*, postea dicetur. V) Non quæritur de *visione Dei naturali*, seu per solas vires naturæ facta. Certum enim est, in hac vita post tristissimum protoplastorum lapsum absque verbi revelatione Deum non posse a nobis salutariter recognosci, qualis sit, & quomodo erga nos adfectus sit, 1 Cor. II. 14. ac proinde salutarem ac salvificam Dei cognitionem non pendere ex naturalibus hominis viribus, sed unice ex verbo esse petendam, & esse Spiritus sancti donum. Certum & hoc est, visionem beatificam in futura vita non esse vel virium humanarum effectum, vel operum nostrorum meritum, sed gratuitum Dei in Christo Salvatore nostro donum. VI) Denique non quæritur, an absoluta & simplici necessitate Deus ab angelis & hominibus in vita æterna beatifice videatur? Quemadmodum enim Deus ex mera gratia & libera voluntate angelos & homines creavit, ac insuper homines in peccatum prolapsos redemit, per verbum ad ecclesiæ consortium vocavit, verbum recipientes ipsique credentes libera bonitate iustificavit & sanctificavit; ita quoque libera misericordia & benignitate eosdem beatifica sui visione glorificabit. Sane in sensu *composito* necessarium est, beatos Deum videre, quia si Deum non viderent, beati non essent; sed in sensu *absoluto* necessarium non est, beatos Deum videre, nullam enim involveret contradictionem, beatos nec esse, nec Deum videre.

§. CXXXV. Hisce de vero quæstionis statu præmissis adfirmantem quæstionis partem probamus, 1) ex *dictis scripturae*, quæ Dei visionem beatis in vita æterna tribuunt: Iob. XIX. 26. *In carne mea videbo Deum.* Psalm. XVI. 11. *Saturitas laetitiarum cum vultu tuo.* XVII. 15. *Ego in iustitia videbo faciem tuam.* XXXVI. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* XLII. 3. *Quando erit, ut videam faciem Dei.* Esai. LXVI. 18. *Venient & videbunt gloriam meam.* Matth. V. 8. *Beati mundo corde, quia Deum videbunt.* Ioh. XIV. 21. *Manifestabo ei meipsum.* XVII. 24. *Ut videant claritatem, quam dedisti mihi.* 1 Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facit ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* 2 Cor. V. 7. *Per fidem ambulamus & non per speciem.* Hebr. XII. 14. *Sine sanctimonia nemo videbit eum.* 1 Ioh. III. 2. *Videbimus eum, sicuti est.* Apoc. XXII. 4. *Servi eius videbunt faciem eius*; quorum dictorum emphasin paucis expendimus §. 60. Excipiunt, *per visionem faciei intelligi duntaxat pleniorem & perfectiorem quandam Dei cognitionem, quam est illa, quae in hac vita nobis obtingit, a qua non specie sed gradibus duntaxat differat, ac proinde non posse per eam intelligi ipsius divinae essentiae visionem.* Probant ex eo, quod *de quibusdam in hac vita dicatur, quod a[d] facie ad faciem Deum viderint, quos tamen divinam essentiam immediate & intuitive non vidisse, conc[e]ssum est.* Resp. 1) Emphasis dictorum ostendit, ipsius

Adfirmativa probatur 1) ex dictis scripturae.

1 Cor. XIII. 12. Videbimus a facie ad faciem.

essentiæ divinæ visionem beatis tribui, 1 Cor. XIII. 12. visio *specularis & intuitiva* non gradibus duntaxat, sed etiam specie invicem distinguuntur. Nam visio imaginis hominis in speculo relucentis & visio ipsius hominis a facie ad faciem non differunt tantum gradibus, sed etiam specie, cum illâ sit *reflexa*, hæc vero *directa*. Iam vero cognitio Dei in hac vita respondet visioni imaginis hominis in speculo relucentis, visio Dei in altera vita respondet visioni ipsius hominis a facie ad faciem. Ergo cognitio Dei in hac vita & visio Dei in futura vita non tantum gradibus perfectionis, sed etiam specie differunt, quo etiam respicit apostolus, quando 2 Cor. V. 7. *per fidem & non per speciem nos ambulare* adserit. In speculo non ipsas res corporeas, quales in sua natura existunt, sed earum duntaxat εἰδωλα & imagines intuemur, ideoque res illas imperfecte adspicimus; sic rerum cœlestium quasi quasdam imagines *in speculo & aenigmate*, sive involucro quodam videmus, res autem ipsas coram nondum intuemur. Quando imaginem in speculo intueor, tunc res illa, cuius imago in speculo mihi offertur, non est faciei directe obiecta, sed a tergo posita; ita quoque in hac vita *per speculum verbi & creaturarum* Deum videntes non faciem, sed *tergum ac posteriora Dei* videmus Exod. XXXIII. 23. sed in vita æterna coram ipsum *a facie ad faciem* intuebimur. Quidam δι εσοπτρου vertunt per *inspectorium*, εσοπτρον enim est id, quod inspicimus quasi medium alicuius rei videndæ, qualia sunt *perspicilla*, *speculum oculare*, sive vitrum viride, quod scripturæ superponitur; tale speculum facit rem videri non immediate, sed per medium obscurum. Quidam δι εσοπτρου vertunt per *cancellos*, per *transennam*, sicut mercatores per cancellos vimineos merces transeuntibus ostendunt. Præterea apostolus diserte adserit v. 10. *Cum venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est*, καταργηθησεται, *evacuabitur, destruetur, abolebitur.* Iam vero cognitio perfecta gradibus duntaxat differens ab imperfectiore cognitione eamdem proprie loquendo non abolet, non evacuat, sed potius perficit, sicut maius lumen minus non interimit, sed auget ac perficit. Ergo cognitio Dei in vita æterna non tantum *gradibus*, sed etiam *specie* differt a cognitione Dei in hac vita. Ne quis enim statuat, per abolitionem illius, quod est ex parte, duntaxat intelligendam abolitionem mediorum, per quæ in hac vita ad Dei cognitionem perducimur, ac donorum ad ædificationem ecclesiæ in hac vita necessariorum, non autem ipsius cognitionis, quam in hac vita habemus, ideo notanter dicit apostolus v. 8. *Evacuabuntur* non solum *prophetiae*, *cessabunt* non solum *linguae*, sed etiam *ipsa* γνωσις καταργηθησεται, sicut visio imaginis in speculo aboletur, quando rem ipsam coram intuemur. Adde quod v. 11. pios in hac vita conferat *parvulis*, in futura autem vita *viris adultis ac prudentibus*, qui puerilia exercitia & pueriles cogitationes penitus deponunt. Sicut pueri de summorum regnorum gubernatione & aliis rebus sublimibus habent pueriles cogitationes ac sermones, & quamvis parentum verba balbutiendo utcunque exprimant, & conceptus aliquos in mente de rebus sibi expositis in mente formet, tamen omnia sunt tenuia ac puerilia; sic in hac vita de Deo & rebus divinis cogitamus, sapimus ac loquimur ut parvuli: sed quemadmodum

dum pueri in adulta ætate puerilia illa φαντασματα και πλασματα deponunt; sic in vita æterna illud omne, quod puerile est, καταργηθησεται, *evacuabitur*, *abolebitur*, & notitia *abstractiva* in *intuitivam* mutabitur. Denique v. 12. apostolus diserte adserit: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Quidam Calviniani exponunt hoc sensu, *tunc reipsa experiar, quod sim ex numero electorum & dilectorum Dei filiorum, tunc possidebo vitam aeternam, ad quam praecognitus sum*, Rom. VIII. 29. sed in hac interpretatione προγνωσις cum επιγνωσει & cum electione confunditur, de quibus tamen distincte scriptura loquitur. Simplicissime igitur sic exponitur: cognoscam Deum non amplius ex parte & imperfecte, sed perfecte, qualis est in sua natura & essentia, ita Anshelmus, Ambrosius ac Theophylactus, ex qua cognitione ardentissima Dei dilectio in me orietur, sicut ab ipso quoque in mea natura & essentia perfectissime sum cognitus, & ab ipso intime dilectus. Unde Piscator particulam copulativam και non absurde exponit *eau saltem* propter antegressam antithesin: *Cognoscam ipsum non amplius ex parte, sed perfecte & intuitive a facie ad faciem, sic enim cognitus sum ab eo.* Quod si ergo Deum ex parte & in speculo tantum cognoscere est non cognoscere Deum, qualis est in sua essentia, utique a contrario sensu Deum perfecte & non amplius ex parte cognoscere est Deum, qualis est in sua essentia, vel quod idem est, ipsam Dei essentiam cognoscere.

§. CXXXVI. Non minor emphasis est in dicto 1 Joh. III. 2. *Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum adparuit, quid erimus. Scimus autem, cum adparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est.* Ex eo notamus sequentia membra: 1) Dilecti filii non possunt ab intuitiva & clara faciei paternæ visione excludi. Certe cum Absolon prohiberetur faciem patris Davidis intueri, iudicabat hoc malum ipsa morte acerbius, 2 Sam. XIV. 32 contra vero *angeli*, quia sunt dilecti Dei filii, Iob. I. 6. & XXXVIII. 7. ideo *semper vident faciem Patris, qui in cœlo est*, Matth. XVIII. 10. Jam vero electi in vita æterna υιοθεσιας beneficiis plene perfruentur. Jamdum quidem in hac vita *per fidem sunt filii Dei*, Ioh. I. 12. Galat. III. 26. sed *nondum adparuit, quid sint futuri*, hoc est, nondum plene & perfecte ad omnia υιοθεσιας beneficia & plenariam cœlestis hereditatis possessionem sunt admissi; sed in vita æterna demum sequetur illud beneficium υιοθεσιας, quod απολυτρωσιν του σωματος & perfectam immissionem in bona cœlestia complectitur, Rom. VIII. 23. Ergo in vita æterna clare & intuitiva faciem Patris sui cœlestis, ac proinde etiam ipsam Dei essentiam videbunt. 2) Beati in vita æterna erunt θεωμοιοι ac θειας φυσεως κοινωνοι, 2 Pet. I. 4. hæc ομοιοτης & κοινωνια complectitur perfectam imaginis divinæ restitutionem, plenam mentis illuminationem, iustitiam & sanctitatem perfectam, spirituales corporis dotes, eiusdemque cum glorificato Christi corpore confirmationem, Phil. III. 21. ab hac ομοιοτητι non potest visio divinæ essentiæ excludi. Apostolus enim, quod probe notari velim, ex eo probat, *nos Deo similes futuros*, quia *videbimus eum, sicut est.* Ergo illa similitudo cum *Deo* ex clara & intuitiva divinæ essentiæ visione dependet. Φυσις & ουσια in Deo sunt unum & idem. Quod si

1 Ioh. III. 2. videbimus eum sicuti est.

si ergo θειας φυσεως beati futuri sunt κοινωνοι, utique ergo etiam θσιας. At divinæ θσιας non sunt participes κοινωνοι per *subiectivam inhaesionem*. Ergo per *obiectivam visionem*. 3) Beati videbunt Deum, ως εστι, *sicut est*. Ergo etiam Deum in sua essentia videbunt, απο τε ειναι enim dicitur θσια, ab *esse* essentia, proinde αντιφατικον foret, statuere beatos Deum videre, *sicut est*, & tamen non videre Deum in sua essentia. Græcum καθως respondens Hebræorum ב hoc loco non est particula *similitudinis* sed *veritatis*, quomodo simplex ως usurpatur Ioh. I. 14. Regerunt quidem, a) *particulam* ως *non denotare aequalitatem, sed tantum similitudinem*. Sed facili negotio responderi potest, nec omnimodam æqualitatem, nec similitudinariam quamdam conformitatem, sed certam & perfectam veritatem hic denotari. Si *omnimodam aequalitatem* notaret, comprehensivam Dei cognitionem, hoc est, tam perfectam & absolutam, qua Deus sese ipsemet novit, introduceret; sin *similitudinariam* duntaxat qualemcunque conformitatem, a speculari & ænigmatica visione non differret. Neutram igitur denotat, sed eam, quæ inter comprehensivam & specularem quasi media intercedit, quam *intuitivam & quidditativam* vocamus, quæ est perfecta & clara ipsius divinæ essentiæ visio. *Videbimus enim* & cognoscemus Deum, καθως, *sicut & nos ab ipso cogniti sumus*. Jam vero Deus nos & nostram essentiam cognoscit non ænigmatice, non imperfecte, non ex parte, sed intuitive, perfecte & certitudinaliter, ergo & nos adipiscemur cognitionem Dei *intuitivam, perfectam, immediatam ac certissimam*. b) *Non de visione Dei, qualis est in sua essentia, seu de visione divinae essentiae, sed de visione Christi* θεανθρωπε *in gloria Patris existentis sermonem esse*. Resp. εαν φανερωθη referri potest, vel ad *totam orationem praecedentem*, vel ad *Christum*, cuius reditus ad iudicium vocatur φανερωσις, Col. III. 4. 1 Pet. V. 4. 1 Joh. II. 28. ubi itidem indefinite apostolus loquitur, οταν φανερωθη, scilicet ο χριστος. Si priorem expositionem amplectimur, in propatulo est *ipsius Dei, sicut est*, ac proinde ipsius divinæ essentiæ visionem nobis promitti. Sic enim habet integer contextus: *Videte, qualem charitatem dederit nobis Pater, ut filii nominemur & simus*; Hebræis enim vocari est esse. *Charissimi, filii Dei sumus*, & (idiotismo Hebraico positum est pro αλλα *sed*) *nondum adparuit, quid erimus*, in vita æterna. *Scimus autem*, ex verbo infallibilis promissionis, *quoniam, cum adparuerit*, cum patefactum fuerit id, quod erimus, *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est*. Si posteriorem expositionem amplecti malumus, nihil decedit nostræ sententiæ vel robori nostri argumenti. Beati enim non tantum videbunt *Christum* ut hominem, sed etiam ut Deum, quia *beatifice* eum videbunt. Omnes homines Christum in die novissimo videbunt, etiam impii, sed hæc visio non erit beatifica, quia non erit cum clara & intuitiva divinæ essentiæ visione coniuncta. Visio proinde Christi θεανθρωπε beatifica non potest nec debet a visione divinæ essentiæ seiungi, beati enim ita videbunt Christum, *ut videant gloriam eius*, Ioh. XVII. 24. ea vero est divina maiestas & gloria, ex cuius visione ad ipsos quoque beatos gloria & claritas redundat.

§. CXXXVII. Restat, ut explicemus, quomodo *Quomodo quidam in hac vi-*

qui-

Deum a facie ad faciem vidisse dicantur?

quidam in hac vita *Deum a facie ad faciem* dicantur *vidisse*, qui tamen *claram & intuitivam divinae essentiae visionem* non fuere adepti. Dicimus ergo phrasin *a facie ad faciem* duplicem in scripturis obtinere significationem. *Primo* significat visionem Filii Dei in forma naturæ humanæ suo tempore vel adsumendæ vel etiam iamdum adsumtæ, quæ visio etiam in hac vita homini obtingere potest, & quibusdam revera obtigit. Sic Jacobus patriarcha dicit se Dominum *a facie ad faciem vidisse*, Genes. XXXII. 30. quia Filius Dei, qui in specie viri cum ipso luctatus est, v. 24. in ea naturæ humanæ forma, quam in plenitudine temporis ex virgine Maria adsumturus erat, se illi conspiciendum præbuit. Sic cum Mose dicitur Dominus locutus a *facie ad faciem* Exod. XXXIII. 11. quia Deus cum ipso tam familiariter locutus est, *sicut solet homo loqui ad amicum suum*, v. eodem, quia *Deus fecit ante ipsum transire omnem bonitatem & gloriam suam*, v. 19. & 22. hoc est, ostendit ipsi Messiam in forma naturæ humanæ videndum, sicque ultra communem reliquorum prophetarum sortem Deus sese illi manifestavit. Num. XII. 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, v. 7. *at non talis servus meus Moses, qui in omni mea domo fidelissimus est.* v. 8. *Ore enim ad os loquor ei: adspectu, & non per aenigmata & figuras Dominum videt.* Reliquis illius temporis prophetis loquebatur Deus *per visiones & somnia*, hoc est, per imagines in phantasia vel vigilantibus vel dormientibus impressas, Mosi autem palam in effigie humanæ naturæ, quam Filius Dei in plenitudine temporis adsumturus erat, adparuit, ac plane familiariter tanquam amicus cum amico in illa forma humana cum ipso locutus faciem suam ipsi ostendit. Sic apostoli Filium Dei in carne manifestatum *facie ad faciem* viderunt, Ioh. I. 14. 1 Ioh. I. 1. Sic Stephanus *vidit eum stantem a dextris Dei*, Actor. VII. 55. Sic Paulus eum vidit, Act. IX. 17. 1 Cor. IX. 1. XV. 8. sed hæc visio faciei Christi pertinet ad hanc vitam. *Deinde* vero videre a facie ad faciem significat claram & intuitivam divinæ essentiæ visionem, a visione huius vitæ non *gradibus* solum, sed etiam *specie* distinctam, ac alterius vitæ particularem & propriam. Hanc diversitatem in phrasi *videre a facie ad faciem* demonstramus, 1) ex *circumstantiis textus*, in quibus quidam dicuntur in hac vita Deum a facie ad faciem vidisse. In illis enim locis omnibus additur aliquid, ex quo intelligi possit, quod Filium Dei in forma naturæ humanæ constituto tempore adsumendæ viderint. Sic Jacobus vidit Dominum *a facie ad faciem*, quia Filius Dei in forma viri ipsi sese conspiciendum præbuit. Moses vidit Dominum a facie ad faciem, quia *posteriora* sive tergum Filii Dei coram ipso transeuntis vidit. Proinde immediata & adæquata ratio, propter quam dicuntur Deum *a facie ad faciem vidisse*, non est clara & intuitiva divinæ essentiæ visio, sed formæ humanæ, quam Filius Dei ad tempus adsumserat, adparitio. 2) Ex *petitione Mosis*, Exod. XXXIII. 18. *Fac me videre gloriam tuam*, cui Dominus respondet v. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim me videbit homo, & vivet* v. 23. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Et v. 11. dicitur, quod *locutus fuerit Dominus ad Mosen a facie ad faciem*,

& tamen v. 18. petit Moſes gloriam, ſive *faciem Domini ſibi oſtendi*, cui Dominus reſpondet, ac bis repetit, *faciem meam videre non poteris*; ex quo intelligitur, phraſin *videre faciem Domini* aliter accipi, quando de beatifica divinæ eſſentiæ viſione in futuro ſeculo ſperanda uſurpatur, quam in illis dictis, quando quidam in hac vita Dominum a facie ad faciem vidiſſe dicuntur. In vulgata verſione v. 13. Moſis petitio his verbis informatur: *Oſtende mihi faciem tuam, ut ſciam te.* Sed in Hebræo eſt דרכך, *viam tuam*, interim ex reſponſo Dei colligitur, Moſen aliquid petiiſſe, quod non poteſt in hominem in hac vita cadere, hoc eſt, claram & intuitivam divinæ eſſentiæ viſionem, intimam divinæ maieſtatis cognitionem, qualis ſanctis angelis & beatis in cœlo revelatur, ut in eum locum Rungius recte commentatur. 3) Ex *oppoſitione apoſtolica*, 1 Cor. XIII. 12. Paulus illud omne, quod de cognitione & viſione Dei in hac vita homini obtingit, vocat *viſionem per ſpeculum & in aenigmate*, eidemque opponit το *videre a facie ad faciem*. Ergo per viſionem faciei ad faciem intelligit aliquid, quod futuræ vitæ duntaxat proprium eſt, & in hac vita non cadit in ullum hominem, alias oppoſitio non eſſet immediata.

§. CXXXVIII. 2) Ex *rationibus*: 1) a *beatorum cum angelis conformitate*. Angeli in cœlo διὰ παντος *vident faciem Patris in cælo*, Matth. XVIII. 10. Iam vero beati futuri ſunt ισαγγελοι, Luc. XX. 36. Ergo ipſi quoque faciem Patris, qui in cœlo eſt, διὰ παντος videbunt. Excipiunt, διὰ παντος *non eſſe perfecte, ſed ſemper & omni tempore faciem Dei videre, quemadmodum & nos mortales cœlum, terram, homines & alias res oculis intuemur, quas tamen, quales ſint in ſe, perfecte cognoſcere non poſſumus.* Reſp. a) Si viſio illa angelica eſt continua, inceſſabilis ac perpetua, utique etiam perfecta, quo enim rem aliquam preſſius intuemur, eo penitus eam introſpicimus, ac cognoſcimus. b) Beatifica Dei viſio, qua angeli ſancti iamdum fruuntur, quæque beatis hominibus in vita æterna obtingit, non eſt externa & extrinſeca, ſed maxime intrinſeca, ut ſuperius demonſtravimus. c) Proinde non poteſt conferri cum imperfecta & externa illa viſione, qua in hac creaturas intuemur. Nos externa tantum rerum accidentia in hac vita intuemur, ad interiores formas non pertingimus, ſed in futura vita ad ipſam rerum eſſentiam videndam & cognoſcendam penetrare poterimus. d) Viſio, quæ eſt duntaxat extrinſeca, nullam videnti communicat bonum, ſed angeli & beati ex Dei viſione maximum bonum & ineffabile gaudium percipient. e) Emphatice Chriſtus pronunciat, angelos *in cælo* videre faciem Patris, *qui in cælis eſt*, ubi cœlorum nomine non intelligitur locus aliquis creatus & corporeus, quo velut domicilio *Deus* concludatur & circumſcribatur, ſed infinita maieſtas ac gloria, quam Apoſtolus vocat *lucem inacceſſam*, in qua Deus habitat, 1 Tim. VI. 16. Quod ſi ergo angeli vident Deum in maieſtate & gloria ſua, utique a divinæ eſſentiæ viſione immediata, intuitiva & beatifica non erunt excluſi. 2) *A promiſſa vitae aeternae felicitate.* Promiſit Deus credentibus in Chriſtum vitam & felicitatem æternam. Ea vero in clara & intuitiva Dei viſione conſiſtit, ut ſuperius eſt demonſtratum. Ergo etiam claram & intuitivam ſui viſionem

2) *ex rationibus.*

pro

promisit. Jam vero quod promisit, præstare etiam poterit. Thomas part. I. quæst. 12. art. 1. *Potest homo consequi beatitudinem suam, ad quam a Deo ordinatus est, ea autem consistit in clara Dei visione.* 3) *A piorum desiderio & cupiditate.* Pii per virtutem Spiritus sancti προγευσαν quamdam vitæ æternæ in corde suo sentientes cupidissimi desiderant Deum videre, ut adparet ex Mosis & Davidis exemplo, Exod. XXXIII. 18. Psal. XLII. 3. hoc piorum desiderium, utpote a Spiritu sancto excitatum, necesse est aliquando impleri. Ex cognitione bonitatis in creaturis provehimur in cognitionem, admirationem & desiderium summæ & increatæ bonitatis, quæ in Deo est, vel potius, quæ est ipse Deus; ad illius intuitivam visionem tandem oportebit nos adspirare. 4) Ex *consequente absurditate.* Maxima pars gaudii cœlestis & præcipuum fundamentum omnis solidæ consolationis in eo consistit, quod Deum in vita æterna *a facie ad faciem* simus visuri, ut adparet ex Jobi exemplo, qui XIX. 26. hac consolatione sese unice erigit. Qui ergo negant intuitivam divinæ essentiæ visionem in vita æterna beatis esse promissam, illud gaudium & illam consolationem labefactant.

CXXXIX. 3) Ex *patribus.* Augustinus epist. CXI. ad Fortunatianum circa finem: *Quia scriptum est, videbimus eum, sicut est, quantum possumus, cor mundum ad illam visionem ipso adiuvante praeparemus &c. Restat, ut interim de visione Dei secundum interiorem hominem certissimi simus. Si autem etiam corpus mira cummutatione hoc valuerit, aliud accedet, non illud abscedet. Melius ergo illud adfirmamus, unde minime dubitamus, quod homo interior videbit Deum, qui modo solus potest videre charitatem, quae cum laudaretur, dictum est, Deus charitas est, solus potest videre pacem & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum.* Epist. CXII. ad Paulinam cap 8. *Desiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardescunt, non, opinor, in eam speciem contuendam flagrat, qua ut vult adparet, quod ipse non est, sed in eam substantiam, qua ipse est, quod est. Huius enim desiderii sui flammam sanctus Moses fidelis famulus eius ostendit, ubi ait Deo, cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur. Si inveni gratiam ante te, ostende mihi teipsum. Quid ergo? ille non erat ipse? si non esset ipse, non ei diceret: Ostende mihi temetipsum, sed ostende mihi Deum, & tamen si eius naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret: Ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie, qua adparere voluerat, non autem ipse adparebat in natura propria, quam Moses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Mosi, verum est, quia nemo potest faciem Dei videre & vivere, hoc est, nemo potest eum in hac vita videre vivens, sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formavit &c. Videbimus eum, sicuti est, non sicut eum homines viderunt, quando voluit in specie, qua voluit, non in natura, qua in semetipso etiam cum videretur, latuit, sed sicut est, quod ab eo petebatur, cum ei diceretur: Ostendi mihi temetipsum, ab eo, qui cum illo facie ad faciem loquebatur.* cap. 9. *Eo modo, quo videtur, sicuti est, nunc fortasse videtur a quibusdam angelis, a nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus aequales.* Cap. 13. *Accepit Moses in praesentia congruum responsum, quod faciem Dei videre non posset, quum nemo*

3) *Ex patribus.*

videret, & viveret, hoc modo significante Deo alterius potioris vitae esse illam visionem. Cap. 15. *Si quaeris, utrum etiam Deus, sicuti est, aliquando videri possit? respondeo filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est:* Scimus, quia cum adparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. *Si quaeris unde eum videbimus, respondeo, unde angeli vident, quibus tunc erimus aequales.* Lib. XXII. de civ. Dei cap. 29. non longe a principio: *Sicut angeli vident faciem Patris, ita & nos visuri sumus, sed nondum ita videmus. Propter quod ait apostolus:* videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem. *Praemium itaque fidei nobis viso ista servatur, de qua & Johannes apostolus loquens,* cum adparuerit, *inquit,* similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. *Facies autem Dei manifestatio eius intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus.* Et postea: *Ipsis videri Deum cum videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magister: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Confer quae ex soliloq. & meditat. eiusdem adduximus superius. Prosper a praeceptore suo hac in parte non discedit, sic enim scribit libr. I. de vit. contemplat. cap. 2. *Quod beati hic crediderant, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes aeterna exsultatione gaudebunt &c. Nec latebit iam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe praestantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Gregorius hom. XXXVII. in evang. *Quae lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris adsistere, praesertim Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre &c.* Beda in Marci XI. *O quanta felicitas, deitatis visioni inter angelorum choros adesse perpetuo, si tanto transfigurata Christi humanitas duorumque societas sanctorum ad punctum viso delectat!* Coniunge ea, quae ex aliis patribus adduximus superius §. 61. & quae de hac quaestione differit b. Lutherus tom. VI. Jen. Germ. f. 203.

§. CXL. 4) Ex *ipsis adversariis.* Petrus Martyr class. I. locor. comm. cap. 4. §. 12. *In vita aeterna Dei essentia non quidem sensibus, verum animo seu mente cognoscetur a beatis, quandoquidem Johannes ait: Cum adparuerit, videbimus eum sicuti est,* 1 Joh. III. 2. *Paulus idem testatur: Nunc per speculum & in aenigmate cognoscimus, tunc a facie ad faciem,* 1 Cor. XIII. 12. *Idem ex verbis Christi colligitur: Angeli eorum semper vident faciem Patris,* Matth. XVIII. 10. *Nam alibi docuit, in beata resurrectione iustos instar angelorum fore,* Matth. XXII. 30. *Unde conficitur, nos haud secus atque angelos Deum visuros, quare si faciem eius illi vident, nos eamdem utique comtemplabimur. Aliud testimonium Pauli habetur* 1 Cor. XIII. 12. *Tunc cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Nos autem a Deo nude & essentialiter cognosci, nemo ambigit.* Polanus libr. I. syntagm. cap. 6. *Prima & praecipua beatitudinis pars est visio Dei, quae in angelis est semper clara, per quam vident Dei essentiam &c. In homine est vel obscura, quae est huius vitae, dum anima adhuc existens in corpore mortali cognoscit Deum per fidem tanquam per aenigma & speculum; vel clara, quae est alterius vitae, cum anima tum separata a corpore, tum post resurrectionem universalem rursus ei uni-*

4) *Ex ipsis adversariis.*

unita Deum cognoscit a facie ad faciem, sicuti est. Quod Polanus addit, *nec angelos nec homines videre totam Dei essentiam*, illud si de comprehensiva visione intelligat, concedimus; simpliciter autem ac unde adsertum admittere non possumus, quia divina essentia est ἀμερισ-ος, ac partem extra partem non habet. Schönfeldius in disp. de vita æterna th. 24. *In vita aeterna abstractiva & imperfecta Dei notitia in intuitivam & perfectivam mutabitur, ita ut Deum a facie ad faciem, & sicuti est, hoc est, secundum essentiam eius seu quidditative visuri simus.* Thes. 26. *Non immerito igitur a patribus eorum damnata fuit opinio, qui Deum per essentiam videri posse, aut unquam visum iri ab intellectu creato, negaverunt.* Poniatovius fulgore veritatis constrictus in dissert. Theol. thes. 217. in hæc erumpit verba: *An negatur, Deum a nobis in vita cœlesti, qualis est in suo essentia, visum iri? absit.*

Argumenta partis negantis: 1) ex dictis scripturae.

§. CXLI. In contrarium urgentur: 1) *quaedam scripturae dicta*, 2) *quaedam argumenta.* Quæ 1) ex *scripturis* producunt, primo statim intuitu a vero quæstionis statu deprehenduntur aliena. Propius ad eum accedere videntur sequentia: Exod. XXXIII. 20. *Non videbit me homo.* Resp. loquitur de visione divinæ essentiæ & majestatis in hac vita, quam infirmitas naturæ nostræ non posset ferre. Neque enim absolute & simpliciter dicit Iehovah, *non videbit me homo*, sed addit conditionem *& vivet*, hoc est, in statu huius vitæ nec mens, nec oculi humani meam gloriam & maiestatem videre possunt. Non videbit me homo, & vivet, quia visio præsens est finita, Deus autem infinitus. 2) Deut. VI. 24. Hebr. XII. 29. *Deus est ignis consumens.* Resp. impiis & incredulis, sed piis est *ipsa charitas*, 1 Ioh. IV. 8. *est lumen delectabile*, Psalm. XXXVI. 10. est *lux suavissima*, 1 Ioh. I. 5. est *quasi ros & abies virens*, Os. XIV. 6. 9. est ipsa *suavitas*, Psalm. XXXIV. 9. Sicut ignis non solum gratam lucem, sed etiam fervidum ardorem exhibet; sic Deus piis est lux splendens ac lucens, impiis vero ignis consumens. Ut ignis est elementum subtilissimum; sic Deus spiritus purissimus. Sicut ignis est lucidissimus; sic Deus est lux ineffabilis, beatos illuminans, adfectum delectans. Sicut ignis est calidissimus; sic Deus suo calore omnia vivificat, purgat, animat, imo & cum homines ita promerentur, irascitur, punit, adurit ac zelo iræ suæ omnia devastat. Sicut ignis est levissimus; sic Deus habitat in excelsis. Sicut ignis est simplicissimus; sic Deus nulli rei creatæ immistus. Confer Dionysium de cœlest. hierarch. cap. 15. In hisce comparationis membris subsistendum, neque præter & contra scripturam ex ea colligendum, quod beati in vita æterna divinam essentiam non possint videre, cum ipsa experientia testetur, nos in hac vita ignem consumentem oculis corporeis intueri. 3) Esai. VI. 2. *Seraphin tegunt facies suas.* Resp. ob humilitatem, modestiam ac reverentiam, sicut etiam viginti quatuor seniores ob eamdem causam *coronas suas proiiciunt ante thronum*, Apoc. IV. 10. non quod divinam essentiam ac maiestatem videre vel nolint vel non possint. Si propterea velarent oculos, quod splendorem divinæ maiestatis ferre non possent, cur etiam obvelarent pedes? Quid quod non suam sed Dei in forma humana adparentis faciem seraphini illi spiritus texisse dicuntur ab Hieronymo epist. CXLII. ad Damasum,

ac Cyrillo in comm. illius loci, cum verba כבוד יי non minus ad Deum quam ad seraphim adcommodari possint. Sed non discedimus a communi interpretatione. 4) Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius.* Resp. immediate additur, *& cui voluerit Filius revelare.* Sensus igitur est, quod absque revelatione per Filium in verbo evangelii exterius, & per spiritus sancti illuminationem interius factam nec essentiae nec voluntatis divinae salutaris & salvifica cognitio cuiquam hominum in hac vita obtingere possit. Confer harm. evang. cap. 57 5) Ioh. I. 18. & 1 Ioh. IV. 12. *Deum nemo vidit unquam.* Ioh. VI. 46. *Non quod Patrem viderit quisquam* Resp. uterque locus suam secum portat expositionem. In priore enim additur; *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*; in posteriore: *nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Idem ergo sensus cum dicto priore, utrobique de cognitione huius vitae ex naturalibus viribus petita agitur. 6) 1 Cor. II. 11. *Quae Dei sunt; nemo novit nisi Spiritus Dei.* Resp. immediate praecedit v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*; ac v. 12. sequitur: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Quae vero συνεχεια vel συνεσεια, a negata Dei cognitione salvifica ex solis naturae viribus citra revelationem Spiritus sancti nemini exspectanda ad negationem visionis beatificae in vita aeterna progredi? 7) Eph. III. 10. *Ut innotescat nunc principatibus ac potestatibus in caelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* 1 Pet. I. 12. *In quae desiderant etiam angeli prospicere.* Resp. Gregorius lib. XVIII. moral. cap. 28. *angelos videre Deum sine fastidio, ideo dicuntur perpetuum videndi desiderium habere, quia nunquam fatigantur videndo.* Simplicius respondetur per distinctionem inter *essentiam* ac *decreta divina*, ut in formando quaestionis statu monuimus. Quamvis enim angeli divinam essentiam videant, tamen liberorum consiliorum ac decretorum divinorum per illam visionem non reddantur statim conscii, nisi divina revelatio accedat. 8) 1 Tim. VI. 16. *Habitat Deus lucem inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Resp. quidam intelligunt de visione divinae essentiae *in hac vita*, quidam de *comprehensiva notitia*, quidam de *naturali* citra verbi revelationem *cognitione*, quidam de *visione corporea.* Quidquid sit, non potest hoc opponi clarissimis dictis, quae testantur, beatos in vita aeterna Dei essentiam visuros.

§. CXLII. *Rationes* potiores hae sunt: 1) *ab infiniti conditione. Interpotentiam & obiectum debet esse proportio. Sed inter intellectum creatum, utpote finitum, & Deum increatum, utpote infinitum, nulla est proportio. Ergo intellectus creatus non potest videre Deum increatum, alias finitum caperet infinitum.* Resp. capacitas docendi gratia statui potest triplex; a) *unionis*, qua unum cum altero quovis modo coniungitur vel coniungi potest. b) *Cognitionis*, qua potentia cognoscens aliud cognoscit, vel cognoscendo recipit. Eaque est vel *adaequata & comprehensiva*, vel *non adaequata & quidditativa.* c) *Comprehensionis physicae* seu *quantitativae*, qua quantum a quanto comprehenditur, sicut dolium a vino, pecunia a marsupio. Finitum non est capax infiniti capacitate *cognitionis* com- 2) *Ex rationibus.*

prae-

prehensivae & adaequatae - nec capacitate *comprehensionis physicae vel quantitativae;* ut & capacitate *unionis*, cum adsumta natura humana λογω infinito sit personaliter unita. Eodem recidit, quod scholastici distinguunt inter *proportionem quantitatis*, quae in eo consistit, quod unum mensuret, alterum secundum proportionem dupli, tripli, quadrupli &c. & inter *proportionis habitudinis*, quae in eo consistit, quod unum dicat habitudinem seu essentialem ordinem ad alterum, quo pacto se habent materia & forma, causa & effectus, potentia & obiectum. Ad cognitionem intuitivam non requiritur prior proportio, sed sufficit posterior. 2) *A comparatione. Sicut essentia angeli excedit oculum corporeum, sic essentia Dei longe magis excedit intellectum hominis creatum. At oculus corporeus non potest elevari ad videndam angeli essentiam. Ergo nec intellectus creatus potest elevari ad videndam divinam essentiam.* Resp. de *minore* iudicium fieri poterit ex quaestione sequente. Ad *maiorem* respondent scholastici per distinctionem inter *excessum perfectionis & proportionem potentiae ad obiectum;* quoad excessum perfectionis essentiam divinam magis excedere intellectum hominis creatum, quam angeli essentia excedit oculum corporeum, interim tamen essentiae divinae intercedere proportionem cum intellectu creato, qualis est inter obiectum cognoscendum & potentiam cognoscentem.

§. CXLIII. Quæritur

Quaeritur 11) An beati divinam essentiam oculis corporeis sint visuri?

11) *An beati divinam essentiam oculis corporeis sint visuri?* Negant: 1) quidam ex *patribus.* Ambrosius lib. I. in Luc. 1. p. 12. *Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis Deus quaeritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur adfatu, nec sentitur incessu. Et cum absens putatur, videtur, & cum praesens est, non videtur.* Confer Irenæum lib. IV. cap. 37. Origenem cont. Celsum lib. VII. Athanasium orat. cont. idola. Theophylactum in 1. Cor. XIII. cumprimis Augustinum epist. CXII. ad Paulinam. 2) *Scholastici & pontificii omnes.* Thomas part. I. quæst. 12. art. 3. *Implicat contradictionem, Deum videri oculo corporeo.* Becanus part. I. theol. schol. cap. 9. quæst. 6. *Communis est sententia, quod impossibile sit Deum clare & intuitive videri oculis corporis.* 3) *Calviniani.* Martyr class. I. locor. comm. cap. 4. §. 2. *Errant, qui Dei essentiam beatorum oculis videri existimant.* Zanch. lib. III. de natura Dei cap. 2. quæst. 16. p. 293. *Nemo hominum Deum videre potest, non solum oculis corporeis, qua de re nemo quidem dubitat, sed nec oculis mentis videre unquam, hoc est, comprehendere quisquam potest.* Argumentis id probatur eiusmodi: 1) ex *scripturis.* a) Talis visio in vita æterna beatis promittitur, *quae succedit fidei*, 1 Cor. XIII. 12. 2 Cor. V. 7. quæ communis est beatis angelis & hominibus Matth. XVIII. 10. quam pii ex hac vita decedentes statim consequuntur, & quam modo habent animæ beatæ in cœlo existentes. Iam vero visio, quæ fidei succedit, est *intellectualis*, quia perfectior est fide, & facit nos vere beatos secundum animam; visio angelorum & animarum separatarum itidem est *intellectualis.* Ergo etiam visio beatis in futura vita speranda erit *tanta intellectualis.* b) Deus simpliciter vocatur αορατος, Col. I. 15. 1 Tim. I. 17. VI. 16. Hebr. XI. 27. quæ αορασια inter essentiales & immutabiles Dei proprietates refertur. c)

Quo-

Quoties ſcriptura collationem inſtituit inter viſionem huius & futuræ vitæ, non id fit reſpectu *organi viſionis*, ſed reſpectu *quantitatis*. Nam imperfectioni confert perfectionem, quæ erit in altera vita perfectiſſima, quanta quidem in creaturam çadere poteſt, eodem ſemper manente viſionis organo, quo Deum in hac vita conſpeximus, 1 Cor. XIII. 12. 1 Ioh. III. 2. 2) Ex *rationibus*. a) Nullus ſpiritus cadit ſub ſenſum corporis, Deus eſt ſpiritus, Ioh. IV. 24. Ergo b) Infinitum non poteſt ſenſu finito comprehendi. Atqui Deus infinitus, corporeus ſenſus finitus. Ergo c) Nulla potentia ferri poteſt extra ſuum obiectum. Sed obiectum viſus corporalis eſt viſibile corporeum, non ſpiritus inviſibilis incorporeus. d) Viſionis obiectum eſt color, *qui eſt extremitas perſpicui in corpore terminato*, vel *qualitas eſt lucido & opaco congregato exſurgens*. At Deo non convenit color, quia eſt incorporeus. Adfirmantem quæſtionis partem amplectuntur quidam ex noſtris: Chytræus in lib. de vita & morte p. 157. *In vita aeterna revelatam faciem & gloriam ſanctae Trinitatis ſeu nudam & omnium beatorum mentibus & oculis clare conſpiciendam ſe exhibentem eſſentiam Dei perſpiciemus*. Schilterus in diſp. de vita æterna th. 65. *Etſi ſcholaſtici de inſtrumento futurae viſionis Dei multas intricatas quaeſtiones movent, nos tamen certo ſtatuimus, claritatem oculorum noſtrorum in altera vita ſublata priore ſuffuſione cuiusvis lyncis & aquilae perſpicacitatem longiſſime a tergo relicturam*. Cramerus in tract. de ſublimi corporis glorificati myſterio cap. 16. p. 137. *Obiectum oculorum noſtrorum in vita aeterna futurum eſt longe excellentiſſimum, videlicet ipſe Deus, ſacroſancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, & qui in Deo ſunt angeli, & confratres noſtri omnis chorus beatorum. Tam igitur excellentibus obiectis in vita aeterna adprehenſis, bone Deus, quam neceſſe erit oculos noſtros eſſe illuſtres & acutos, qui nunc ut noctuae ad lumen creatum caecutiunt, ut ibi etiam increatum ſuſtinere poſſint*. Idem ex Calvinianis ſtatuit Alſtedius in theol. didactico ſcholaſt. ſect. IV. cap. 41. reg. 5. p. 840. *Videbimus Deum ſpiritu. Videbimus & oculis, ſed ſpiritualiter. Corpora enim noſtra atque adeo oculi erunt ſpiritualia, non ſubſtantiae ſed qualitatis & actionis ratione*. Argumentis uti poſſunt huiusmodi: 1) Iobus XIX. 26. inquit: *In carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei adſpecturi ſunt*. 2) Pſalm. XVI. 11. XVII. 15. XLII. 3. Apoc. XXII. 4. *faciem Dei* dicuntur beati *viſuri*, 1 Cor. XIII. 12. *facie ad faciem*. 3) 1 Cor. XV. 28. *Deus erit omnia in omnibus*, ergo etiam oculis glorificatis erit ſumma lux, ſummum gaudium. 4) Deus incorporeus videt oculis ſpiritualibus corporea. Ergo etiam divina ſua potentia efficere poteſt, ut oculi beatorum corporei videant obiectum ſpirituale & incorporeum. 5) Per divinam virtutem fieri poteſt, ut ignis infernalis corporeus agat in rem ſpiritualem, in animas ſcilicet impiorum & angelos malos. Ergo etiam divina virtute fieri poteſt, ut viſus corporeus poſſit videre obiectum ſpirituale. 6) Sicut intellectus creatus ac finitus poteſt ſupernaturali lumine gloriæ ita evehi, ut increatam & infinitam Dei eſſentiam videat; ita quoque oculus corporeus glorificatus per lumen gloriæ ita evehi poteſt, ut Deum incorporeum videat. 7) Vitæ æternæ beatitudo conſiſtit in viſione Dei, ergo ab eius viſionis participatione non videntur excludendi oculi glorificati. 8) De-

Deus omnem caliginem tam ab oculis quam a mentibus beatorum absterget, ac sensus non minus quam animas ineffabili & incomprehensibili quadam luce perfundet.

CXLIV. Nos mediæ quodammodo viæ hic insistendum arbitramur, quam sequentibus theorematibus monstramus. 1) Certum est, *oculum corporeum nondum glorificatum divinam essentiam non videre.* Probatio petenda ex §. CI. proximo. 2) Non est statuendum cum Vorstio, *Deum propterea oculis corporeis glorificatis in vita aeterna visum iri, quia Deo vere possit corpus attribui*, in tract. de Deo p. 201. & 237. *& quia non solum ratione qualitatis, sed etiam ratione quantitatis dicatur magnus*, pag. 239. Nam Deus, ut in sua natura est spiritus incorporeus, ita quoque in omnem æternitatem talis manet. 3) Naturali virtute fieri nequit, ut oculus corporeus Deum videat, quod evidenter probant rationes paulo superius adductæ. 4) Certo & apodictice in huius vitæ infirmitate decidi nequit, an tantum oculis mentis, an vero etiam oculis corporeis glorificatis Deum in vita æterna simus visuri; *neque enim auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis adscendit, quid Deus praeparaverit se diligentibus*, 1 Cor. II. 9. Deum a beatis in vita æterna summo cum gaudio conspectum iri, in scripturis sacris revelatum exstat, sed quis futurus sit visionis illius beatificæ modus, *an mentalis tantum & interior*, an simul *ocularis & exterior*, vix invenietur definitum. Quod enim Iob redemtorem suum *oculis suis se conspecturum adserit*, id de Filio Dei incarnato, cui *Goëlis* nomen in scripturis peculiariter adpropriatur Genes. XLVIII. 10. Exod. III. 8. XXIII. 20. Psal. XIX. Psal. LXXII. 14. Esai. LXIII, 9. accipi potest. Dicta, *quae de visione faciei divinae* loquuntur, de mentali & intellectuali visione agunt, cum Deo non competat facies corporea. Ipsi etiam angeli dicuntur *faciem Patris* cœlestis *semper videre*, Matth. XVIII. 10. quod tamen oculis corporeis fieri, nemo dixerit. 5) Non potest nec debet pertinaciter negari per potentiam Dei infinitam beatorum oculos ita glorificari, ac per lumen supernaturale ita evehi posse, ut ad ipsam divinæ essentiæ visionem pertingant; a) quia ob rationes physicas communi & ordinario naturæ cursu petitas immensa & infinita Dei potentia limitari, coarctari & constringi neutiquam debet. Scaliger exer. CCCLXVIII. sect. 9. b) Quinimo ipsi scholastici disputant, *si consideretur visus, ut est quaedam creatura Deo subiecta per potentiam obedientialem posse eum a Deo adsumi tanquam instrumentum ad producendum quemcunque effectum, qui non indiget principio vitali in sui productione.* Suarez tom. II. disp. 30. art. 11. num. 2. Becanus d. l. c) Si Deus alias spiritus proprietates potest corpori glorificato conferre, quidni & hanc, ut oculis suis spiritum possit videre? d) Certe Deus non minus distat infinite ab intellectu creato, quam a visu corporeo. Iam vero constat, per lumen supernaturale intellectum creatum elevari ad Deum intuitive cognoscendum, quidni etiam visus corporeus elevari possit ad Deum videndum? Excipiunt quidem scholastici, *in proportione obiecti & potentiae plus distare Deum a visu corporeo quam ab intellectu creato, quia Deus est extra totam latitudinem obiecti visus, non autem extra obiectum adaequatum intellectus creati.* At in definiendis quæstionibus

bus de potentia divina, quid Deus possit, vel non possit, cauti & circumspecti esse debemus, quia *Deus potest plus praestare, quam petimus, aut intelligimus*, Eph. III. 20. Quod si ergo salva divinae essentiae infinitate intellectus finitus ad intuitivam Dei cognitionem elevari potest, probabile videtur, etiam glorificatum oculum salva divinae essentiae spiritualitate ad claram Dei visionem elevari posse. Rectius igitur huius quaestionis decisio futurae experientiae reservatur, quam odiose ac morose de ea contenditur. Hanc modestiam video placere Augustino epist. CXI. ad Fortunatianum: *Si quis Deum incommutabilem & incorporalem spiritum ubique totum esse credens tantam huius corporis mutationem futuram putat, cum ex animali fuerit spirituale, ut etiam substantiam incorporalem non locorum intervallis velspatiis divisibilem, vel etiam membrorum lineamentis ac finibus terminatam, sed ubique totam per tale corpus videre possimus, volo & me doceat, si verum sapit; si autem in hoc falsum sentit, longe tolerabilius est corpori aliquid arrogare, quam Deo derogare.* Lib. XXX. de civ. Dei cap. 29. *Visuri sunt beati Deum in ipso corpore sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas &c. non parva quaestio est. Durum est dicere, quod sancti talia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire, cum velint. Durius autem, quod ibi Deum, quisquis oculos clauserit, non videbit &c. Absit ergo, ut dicamus, illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed utrum videbunt & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quaestio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali eo modo, utique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt isti, quales nunc videmus, procul dubio per eos Deus videri non poterit. Longe itaque alterius erunt potentiae, si per eos Deus videbitur incorporea illa natura, quae non continetur loco, sed ubique tota est &c. Ipsis videri Deum eum videbitur, Christianus ambigit nemo: sed utrum etiam corporalibus oculis ibi videatur; hoc in ista quaestione versamus &c. Quia spirituale corpus nescimus quantos habeat accessus, de re quippe inexperta loquimur, ubi aliqua, quae aliter intelligi nequeant, divinarum scripturarum non occurrit, sed succurrit auctoritas, necesse est, ut contingat in nobis, quod legitur in libro sapientiae. Cogitationes mortalium timidae & incertae providentiae nostrae. Ratiocinatio quippe illa philosophorum, qua disputant, ita mentis adspectu intelligibilia videri, & sensu corporis sensibilia, hoc est, corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per seipsa mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum esset per oculos corporis etiam spiritualis nullo modo posse videre Deum. Sed istam ratiocinationem & vera ratio & prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat, Deum corporalia ista nescire? Numquid ergo corpus habet, per cuius oculos eam possit addiscere? &c. sicut ergo conflat corpora videri spiritu, quid si tanta erit potentiae spiritualis corporis, ut corpore videatur & Spiritus? Spiritus enim est Deus &c. Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sine scripturarum testimoniis divinarum vel difficile vel impossibile est ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo novo & in terra nova, atque in omni, quae tunc fuerit*

rit, creatura, videatur & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi. Augustini verba repetit Eucher. Gallus libr. IV. comm. in libr. Regum.

§. CXLV. Quæritur III) *An beati per speciem intelligibilem videant divinam essentiam?* Negant scholastici hac ratiocinatione usi: *Quando obiectum intelligibile est immateriale & per se praesens intellectui cognoscenti, non opus est specie intelligibili, quia necessitas speciei intelligibilis, oritur ex duplici causa, vel quia obiectum cognoscendum est materiale, ac proinde non nisi per speciem immaterialem ad intellectionem, quae immaterialis est, concurrere potest, vel quia non sufficienter intellectui praesens est, ac proinde per speciem sui vicariam intellectui impressam ipsi adproximat. Iam vero divina essentia, beatificae visionis obiectum, est immaterialis & intime praesens intellectui creato. Ergo ad eius visionem non opus est specie intelligibili.* Scriptura emphatice pronunciat *Deum fore omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. *beatos Deum facie ad faciem visuros*, 1 Cor. XIII. 12. nulla igitur speciei intelligibilis erit necessitas. IV) *An beati ad videndum Deum indigeant aliquo lumine gloriae?* Durandus negat, sed reliqui scholastici adfirmant usi hac ratiocinatione: *Visio beatifica non minus supernaturalis est, quam adsensus fidei, cui tanquam imperfectiori succedit clara visio tanquam aliquid perfectius. Iam vero ad adsensum fidei requiritur auxilium aliquod supernaturale, quod vocant lumen gratiae. Ergo etiam ad claram Dei visionem itidem requiritur aliquod auxilium supernaturale, quod vocari potest lumen gloriae.* Ex scripturis huc referri posset, quod Psal. XXXVI. 10. regius Psaltes dicit: *In lumine tuo videbimus lumen*, quodque Apoc. XXI. 23. *claritas Domini caelestem Hierosolymam* dicitur *illuminatura.* V) *An in hac vita alicui clara & intuitiva divinae essentiae visio contigerit.* VI) *An visio beatifica possit esse comprehensiva?* Ad has quaestiones responsio peti potest ex illis, quae circa primam quaestionem in formatione status fuere dicta §. 133. VII) *An beati Deum videntes omnia in Deo videant?* De hac quaestione egimus in tract. de morte. §. 326. Reliquae a scholasticis de visione Dei beatifica motae quaestiones curiosae potius sunt quam fructuosae, ac temere potius quam vere ab ipsis definiuntur.

Quaeritur III) An beati per speciem intelligibilem videant divinam essentiam.

IV) An beati ad Deum videndum indigeant aliquo lumine gloriae?

§. CXLVI. 2) De *Dei glorificatione* quaeritur: 1) *An beati etiam externa voce Deum sint glorificaturi?* Thomas II. sent. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5. refert, *aliquos dixisse, non fore in caelo vocalem Dei laudem; sed tantum mentalem, quia non erit ibi respiratio, cum in caelo non sit aër, iam vero in respirantibus tantum est vox.* Illis alii responderunt, *beatis non esse necessariam respirationem per aëris externi attractum, cum corpora eorum futura sint impassibilia, interim tamen ad efformandas voces & vocalem Dei laudem aërem quemdam internum & externum, pulmonibus arteriae & gutturi ipsorum fore insitum.* Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 30. *omnia membra & viscera incorruptibilis corporis in laudibus Dei professura* adserit, cuius laudis & praeconii quae futura sit ratio, quis in hac carnis infirmitate vel cogitando vel fando adsequi

2) *De Dei glorificatione.* 1) *An beati etiam externa voce Deum sint glorificaturi.*

poteſt? Scriptura non ſolum *vocali laude* Apoc. VII. 12. ſed etiam *citharis aureis* a beatis Deum glorificandum adſerit Apoc. V. 8. XIV. 2. XV. 2. ſed quilibet videt, hoc poſterius more huius ſeculi dictum μεταφορικως eſſe accipiendum, unde vocantur κιθαραι του θεου Dei vel divinæ *citharae*. II) *Qua lingua beati Deum ſint glorificaturi & invicem colloquturi?* *Unam* omnium beatorum fore *linguam*, probabiliter creditur: 1) quia futuri ſumus omnes unus populus, una civitas in cœleſti patria. 2) Diverſitas linguarum fuit pœnæ loco mundo immiſſa, at ab eccleſia triumphante aberit omnis pœna. 3) Eccleſia triumphans non erit deteriore loco, quam fuit militans. At ea ſemel uſa fuit una communi lingua. Quæ vero erit illa beatorum lingua? Galatinus libr. XII. de arcanis cap. 4. ſtatuit, *beatos lingua Hebraica in Dei laudibus & mutuis colloquiis uſuros*, quod probat 1) ex *dicto prophetico* Soph. III. 8. *Exſpectat me, ait Dominus, in die reſurrectionis meae in futurum. Quia iudicium meum ut congregem gentes, ut colligam regna ad effundendam ſuper eos indignationem meam, omnem iram naſi mei, quoniam in igne zeli mei devorabitur univerſa terra.* v. 9. *Quia tunc convertam ad populos labium electum, ut invocent omnes in nomine Dei & colant eum humero uno*, id eſt, parte una. Hunc locum de extremo iudicio agere probat ex Targum Ionathan, in quo talis exſtat paraphraſis: *Propter hoc exſpectate verbum meum, id eſt, Meſſiam in die oſtenſionis meae ad iudicandum.* Et infra: *Quia in igne vindictae meae conſumentur omnes impii terrae.* Tunc ergo ad omnes beatos convertetur *labium electum*, id eſt, una lingua, ſcilicet Hebraica, Deum laudabunt, quæ propterea dicitur *labium' electum*, quia Deus eam præ cæteris elegit, qua & patribus loqueretur, & legem ſuam promulgaret, 2) Ex *primorum parentum exemplo.* Primi parentes lingua Hebræa in paradiſo loquebantur, eademque electi omnes in ſtatu innocentiæ locuti fuiſſent, ſi primi parentes in gratia perſtitiſſent. 3) Ex *uſu antiquo.* Quemadmodum ante linguarum diviſionem in turri Babel factam *univerſa terra erat labii unius*: ita in reſurrectione omnes homines una loquentur, lingua ſcilicet Hebræa. 4) Hiſce argumentis addunt Caietanus in comm. 1 Cor. XIII. & Viguerius in inſtitut. cap. 9. quod apoſtolus 1 Cor. XIII. 8. dicit *linguas ceſſaturas*, non autem linguam ceſſaturam, ut innuat, quod in vita æterna ceſſatura ſit varietas linguarum, non tamen omnis lingua, quia beati non tantum mente ſed etiam lingua Deum laudabunt, ac proinde una remanebit lingua, videlicet Hebræa. 5) Sancti angeli eadem Deo accinunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth*, Eſai. VI. 3. Omnes patriarchæ & prophetæ hac lingua uſi; Chriſtus ipſe in diebus carnis Syriaca, quæ Hebrææ dialectus eſt, fuit uſus, ac poſt ſuam in cœlos adſcenſionem εβραιδι διαλεκτω ad Paulum locutus eſt, Actor. XXVI. 14. Erimus αγγελοι, ergo etiam lingua angelorum loquemur, 1 Cor. XIII. 1. 6) In Apocalypſi ſancti dicuntur in cœlo cantaturi *Amen*, *Alleluia*, quæ ſunt Hebraicæ voces, XIX. 4. Quidam contra ſtatuunt, *Omnes linguas, quibus in hac vita utimur ceſſaturas, cum apoſtolus generaliter loquatur* 1 Cor. XIII. 8. *ac aliam quamdam ſenſibilem linguam hac noſtra longe nobiliorem & cæleſtem beatis infundendam, quae deceat os & corpus glorioſum, qua Deum etiam vocaliter laudent.*

II) Qua lingua ſint Deum glorificaturi?

Qui-

Quidam existimant, *locuturos beatos, quacunque lingua libuerit, quia omnes omnibus erunt notae, proinde quibuscunque velint pro libitu uti poterunt.* Sed hæc futuræ beatæ experientiæ rectius reservantur, quam scrupulose disputantur.

§. CXLVII. De bonis internis alterutri parti, & quidem 1) *animae propriis* quæritur 1) *An beati sese invicem sint agnituri?* Beatus noster Lutherus in cœna, quam cum amicis ac familiaribus in his terris celebravit ultimam, variis de rebus pia cum ipsis miscens colloquia, hoc etiam inter alia rogabat, *num in sempiterna illa vita simus alter alterum recognituri?* cumque illi averent ex ipso scire, *quid*, inquit, *accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam, sed cum eam formaret Deus, ipse altissima quiete interim sopitus dormiebat. Expergefactus autem cum illam videret, non rogat, quae sit, aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de suis ossibus. Qui vero sciebat istud? nimirum Spiritu sancto plenus & vera Dei cognitione praeditus ita pronunciabat. Ad eumdem modum nos etiam in altera vita renovabimur per Christum & parentes, uxores, liberos & quicquid est, multo perfectius agnoscemus, quam tunc Evam Adamus cognoscit.* Referunt Phil. Melanchthon in orat. funebr. Matthes. in conc. de vita Luther. Sleidanus lib. XVI. comment. anno 1546. pag. 488. Hæc Lutheri responsio probari potest ex hisce fundamentis: 1) a *plenitudine cognitionis in beatis.* Fulgebit in beatis clarissima quædam lux cognitionis, qua non solum Deum clare & intuitive cognoscent, sed etiam quidquid ad felicitatem & gaudium ipsorum pertinet. Esai. LX. 19. *Dominus erit lux tua sempiterna.* 2) *A reformatione divinae imaginis.* In vita æterna imago divina in beatis perfecte reformabitur, ut superius ostendimus. Jam vero Adamus ex luce divinæ imaginis agnoscebat Evam nunquam prius visam. 3) Ab *exemplo agnitionis.* Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4. Luc. IX. 32. in Christi transfiguratione Petrus, Jacobus & Iohannes vident & agnoscunt *Mosen & Eliam*, antea nunquam visos. 4) *A perfectione dilectionis.* Si dilectio & gaudiorum communio in vita æterna erit perfecta, utique etiam sancti sese mutuo agnoscent. Sed verum prius, 1 Cor. XIII. 13. Connexio patet, quia dilectio præsupponit notitiam obiecti, in quod fertur. 5) *A typo restitutionis.* Quemadmodum Christus *filium viduae in Nain* a se resuscitatum restituit matri suæ, Luc. VII. 15. ac Petrus *Tabitham* ex mortuis revocatam παρεστησεν amicis & familiaribus; Act. IX. 41. sic *in die restitutionis omnium*, Act. III. 12. pii liberi & cognati beatis parentibus, cognatis & amicis, quorum aliquos non viderunt in hac vita, ac vice versa parentes liberis restituentur ad suavissimam & iucundissimam conversationem in eiusdem felicitatis & gaudii κοινωνια. Gen. XV. 15. *Ibis ad patres tuos.* Deut. XXXII. 50 *iungeris populis tuis.* 2 Sam. XII. 23. *Ego vadam ad eum.* Hebr. XII. 22. *Accessistis ad civitatem Dei viventis*, v. 23. & *spiritus iustorum perfectorum.* 6) *A gradibus glorificationis.* Si gradus gloriæ erunt inter beatos, utique etiam beati omnibus erunt noscibiles. Nam sine aliorum agnitione & celebratione nulla potest esse gloria, nec ulla animadverti differentia. Ergo lumina illa generis humani, quæ alios ad iustitiam erudierunt, contpici & ab aliis beatis internosci oportebit. 7) *A necessitate illatio-*

Quaeritur de bonis animae. 1) An beati sese invicem sint agnituri.

tionis. Si dives epulo in flammis infernalibus constitutus Lazarum in sinu Abrahæ agnovit, Luc. XVI. 23. quanto magis beati socios & consortes suæ beatitudinis agnoscent? Si Johannes in utero materno adhuc latitans Christum præsentem agnovit, Luc. I. 41. quanto magis beati in plenam cœlestis felicitatis possessionem introducti Christum, patriarchas, prophetas, apostolos & omnes beatitudinis suæ consortes agnoscent. Si in hac vita liberi agnoscunt suos parentes, & parentes agnoscunt suos liberos; utique etiam in vita futura Abraham, prophetæ & apostoli parentes spirituales agnoscent filios suos spirituales puta omnes electos & vice versa. Absurdam enim foret, maiorem cognitionem in hac quam in futura vita statuere. 8) *A societate mutuae coniunctionis.* Ut ecclesia in terris militans est unum corpus mysticum fidei & caritatis vinculo per Spiritum sanctum coniunctum: sic ecclesia in cœlis triumphans itidem est unum corpus mysticum ex angelis & beatis hominibus plenitudine spiritus invicem connexum, quæ sanctorum communio in hac vita inchoata, in futura pleniſſime consummata mutuam cognitionem ad gaudii incrementum exigit. In plena illa divinæ claritatis luce omnes ignorantiæ tenebras dispellente membra unius corporis sese invicem utique agnoscent. Idem docent pii veteres. Hugo Eterianus in libr. de regressu animarum: *Omnes mortui se vicissim cognoscunt & cognoscuntur. Hoc te docet Abraham, hoc suggerit Lazarus, hoc adfirmat dives.* Vide omnino Damascenum in serm. de defunctis, ubi ex Chrysostomo probat, *eos, quos in hac vita nunquam vidimus, tunc fore nobis notos*, ac Chrysostomum ipsum in epist. III. ad Cyriac. monachum, Theophylactum in Luc. XVI. Confer ex nostris Chytræum in libr. de vita & morte pag. 52. & seqq. Wilhelm. Bidembachium decad. VI. consil. 2. Urbanum Regium decad. eiusd. consil. 3. Ioh. Prestingerum decad. eiusd. consil. 4. a D. Felic. Bidenb. edit. D. Mehlführerum decad. VI. vindic. evangel. Dom. XVI. post Trinit. th. 26. & seqq.

§. CXLVIII. 11) *An beati in vita aeterna agnatos suos inter damnatos sint visuri & agnituri?* Sicut Abraham vidit *divitem epulonem* in flammis inferni constitutum, quem ratione carnalis propaginis *filium suum* vocat Luc. XVI. 25. sic beati etiam suos notos & cognatos, quos in hac vita caros habuere, inter damnatos videbunt, quotiescunque voluerint, sed absque ullo commiserationis adfectu, & absque gaudii sui perturbatione, quia voluntas ipsorum divinæ voluntati perfecte erit conformis. Quare quos a Dei facie in æternum abiectos noverunt, illis etiam aliquod auxilium vel solatium ex inordinato amoris adfectu minime optabunt, ut in eadem parabola divitis exemplum docet, quia ne guttulam quidem aquæ ab Abrahamo impetrare potest. Psal. LVIII. 11. *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Perturbatio ergo gaudii non est metuenda ex illa visione, quia abolitus erit omnis carnalis adfectus, quo beati in hac vita cognatos suos fuere prosecuti. Deus multo ardentius dilexit genus humanum, quam in hac vita ullus parens diligere potest suum filium, quia *unigenitum suum Filium mundo dedit*, & ad redimendum humanum genus in mortem tradidit, non tamen ex intuitu damnatorum ipsius felicitas

11) An beati damnatos agnituri?

&

& gaudium ulla ratione turbari poterit, Prov. I. 26. *Ridebo in interitu vestro.* Maior adfectus exstinguet minorem, spiritualis & cœlestis carnalem. Gregorius libr. IV. dialog. cap. 44. *Si nunc quoque viventes iusti mortuis & damnatis iniustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid indicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi iam iustitiae vicinius atque arctius inhaerebunt? sic quippe eorum mentes per hoc, quod iustissimo iudici inhaerent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat, quicquid ab illius aeternae regulae subtilitate discordat.* Beda in comm. Luc. 16. *Iusti in tormentis semper intuentur iniustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt, tantoque maiores redemtori suo gratias referunt, quanto evidentius vident in aliis, quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt.* Ansbertus lib. VI. comm. in Apoc. XIV. *Quia cœlestis patriae cives perfectum gaudium ex visione conditoris sui habebunt, procul dubio ex miserorum cruciatu nullum mœrorem contrahent, & quia eos minime ad veniam redire posse confiderant, profecto ad eos nulla misericordia se inclinant.* Anshelmus in elucidario: *Iusti videbunt malos in pœna, ut magis gaudeant, quod hanc evaserunt pœnam. Licet pater videat filium, aut filius patrem in pœna, non solum non dolent, sed etiam ita est eis delectabile, sicut nobis, cum videmus pisces in gurgite ludere.* Isidorus lib. II. de summ. bono cap. 33. *Non faciet cor iustorum miserum ex compassione damnatorum condolendi adfectio, ubi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, ut tristitiae nullus tribuatur introitus.* Honorius Augustodunensis dialog. de lib. arbitr. & prædest. *In cœlo nulla est miseria, ideo nullus dolor in inferno positorum tangit praecordia electorum, sed ut noster visus pascitur, si diversa animalia a nobis in gurgite ludere cernuntur, ita ipsi in universa Dei dispositione laetantur.*

§. CXLIX. III) *An virtutum habitus in animabus beatorum sint mansuri?* Distinguunt scholastici inter virtutes *theologicas*, quae sunt *fides*, *spes*, *caritas*; & *intellectuales* ac *morales*, quarum quatuor constituunt cardinales, quae sunt *iustitia*, *prudentia*, *fortitudo & temperantia.* Quod attinet virtutes theologicas, ex illis *fidem & spem* desituram, *caritatem* vero permansuram statuunt. Argumentum adsertionis suae primarium petunt ex 1 Cor. XIII. 7. *Caritas nunquam excidit.* v. 10. *Cum venerit*, quod *perfectum est*, *evacuabitur*, *quod ex parte est.* v. 13. *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem his caritas.* Thomas I. 2. q. 67. art. 3. *Quandoque imperfectio est de ratione rei, tali imperfectione sublata tollitur species rei, quandoque vero accidit in dividuo secundum aliquid aliud, tali imperfectione sublata nihilominus manet substantia rei. Imperfectio cognitionis est de ratione fidei, ut scilicet credens non videat, id quod credat. Ergo fides in patria abolebitur, cui succedet praesens & intuitiva visio.* Art. 4. *Pari ratione spes de sui ratione importat imperfectionem, scilicet motum quemdam in id, quod non habetur. Ergo etiam spes in patria abolebitur, cui succedat praesens fruitio sive tentio.* Art. 6. *De caritatis ratione non est imperfectio, nihil ergo prohibet eam sint imperfectione manere in patria.* Idem repetit II. 2. q. 18. art. 2. Bielis lib. III. sent. dist. 31. q. unica hac de re sic differit:

III) an virtutum habitus in animabus beatorum sint mansuri?

rit: *Cum visione non potest stare actus fidei eiusdem obiecti, nec cum actu spei actus tentionis eiusdem obiecti, quia non potest idem cognosci evidenter & obscure, nec idem teneri ut praesens, & desiderari ut absens, interim tamen habitus non opponuntur actibus oppositi habitus. Nota ergo circa rationem apostoli fidem desituram, quia est ex parte, quod aliter fides & spes, aliter caritas imperfecto. Fides & spes in suis actibus includunt imperfectionem essentialiter, scilicet inevidentiam & obiecti absentiam, ita quod si notitia fieret evidens, iam non sit actus fidei. Similiter amor si fuerit respectu praesentis, iam non est actus spei, non sic de caritate, quia non determinat necessario quamdam imperfectionem nec in actu, nec in habitu, significat enim in genere habitum inclinantem ad Deum diligendum in se &c.* Eodem sensu dictum apostolicum exponunt Chrysostomus, Theodoretus & Anshelmus in commentar. quod *caritas ideo dicatur maior fide & spe*, quia hæ virutes transeunt, illa vero manet in vita æterna. Sed Tertullianus libr. de patientia cap. 12. & ante illum Irenæus lib. II. cap. 47. pag. 148. plane contrario modo textum accipiunt, ac quia apostolus dicit: νυνὶ δὲ μένει τρία ταῦτα, existimant, *non solum caritatem, sed etiam fidem ac spem in vita aeterna esse mansura.* Dicimus ergo, 1) apostolum in his verbis loqui de durationе in hac vita, ut patet ex vers. 8. quia enim hæc tria spiritus sancti dona *fidem, spem & caritatem manere* dicit, eo ipso innuit, reliqua charismata utpote dona miraculorum, prophetiæ, linguarum, sanationum etiam in hac vita in ecclesia desitura. 2) Irenæum & Tertullianum per *fidem* in genere intelligere firmam cognitionem, qualis etiam est, *visio Dei*, ac per *spem* firmam adhæsionem in Deo amato, quæ est *fruitio Dei.* 3) Distinguendum esse inter fidei & spei *actum*, eorumdemque *habitum.* Actus eorum, quia imperfectionem quamdam essentialiter includit, desiturus est; habitum vero tanquam spiritualem animæ ornatum permansurum. 4) In fide non solum est *notitia & adsensus*, sed etiam *fiducia.* Quod si vel maxime fides in vita æterna non erit talis notitia & adsensus, qualis in hac vita, ubi per *speculum & in aenigmate cognoscimus*, tamen erit notitia longe perfectior, videlicet rei perfectissime cognitæ, ac *fiducia* longe confirmatior, quia bono suo se nunquam privandos esse beati plenissime scient. Quod attinet *virtutes intellectuales ac morales*, circa illas distinguunt inter *materiale & formale.* Thomas II. 2. q. 67. art. 1. *Est in virtutibus moralibus aliquid quasi formale & aliquid quasi materiale. Materiale in illis est inclinatio partis adpetitivae ad passiones vel operationes secundum modum aliquem, sed quia iste modus determinatur a ratione, ideo formale in omnibus virtutibus est ipse ordo rationis. Quantum ad materiale, non manebunt virtutes morales, quia non erit ibi concupiscentia refrenanda; quantum ad formale manebunt, in quantum ratio unius cuiusque rectissima erit circa ea, quae ad ipsum pertinent secundum statum illum, & vis adpetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis.* Art. 2. *Quantum ad materiale, id est, phantasmata, ad quae respiciendo homo in hac vita intelligit, non manebunt virtutes intellectuales, bene autem quantum ad formale, id est, quantum ad species intelligibiles, quae sunt in intellectu possibili.* Bonaventura lib. III. sent. dist. 33. *Virtutes cardinales manent in patria, quia non includunt essentialiter imperfectionem, sicut fides & spes; habent etiam actus in patria, sed tamen alios quam in via. Iustitia ibi excludit obli-*

liquitatem, prudentia errorem, fortitudo moleſtiam, temperantia omnem libidinem; in via pugnant contra vitia, in patria gaudent de victoria.

§. CL. De *bonis corporis* 1) in *genere* quæritur: *An in corporum glorificatorum materia futura ſit potentia ad aliam formam, & proinde etiam potentia contradictionis ad eſſe & non eſſe*? Thomas lib. IV. ſent. diſt. 44. q. 2. art. 1. reſpondet, *potentiam contradictionis ligatam fore in vita aeterna.* At ſi *ligata tantum & reſtricta*, metuendum forte fuerit, ne tandem in actum prorumpat. Rectius ergo ſtatuitur, in corporum glorificatorum materia potentiam illam contradictionis *penitus abolendam.* Quod ſi namque forma cœli ob ſui nobilitatem ac dignitatem adpetitum materiæ ita exſatiat, ut aliam formam neutiquam admittat, utique etiam de forma corporum glorificatorum, quæ *cæleſtia* apoſtolus vocat, idem omnino ſtatuendum. Adde, quod adpetitus ille, quem philoſophus materiæ tribuit, nequaquam intelligendus ſit *active* eo ſenſu, quaſi expulſionem prioris formæ ipſa ſemper meditetur, nec contenta ſit illa forma, qua informatur, ſed quod forma priore per cauſas exterius in materiam agentes expulſa novam haud invita admittat, ut Scaliger oſtendit. Jam vero corpora glorificata futura ſunt *impaſſibilia*, utique ergo externarum cauſarum impetus in ea nil quidquam iuris vel poteſtatis obtinebit.

de bonis corporis.
1) in genere. An in corporibus glorificatis futura ſit potentia contradictionis.

§. CLI. 2) *In ſpecie*, & quidem a) *de claritate* quæritur: 1) *An beatorum corpora non ſolum futura ſint exterius clara & ſplendida, ſed etiam interius diaphana viſui glorificato pervia ac tranſparentia, ut omnia etiam intima viſcera oculis intuentium pateant*? Affirmant Auguſtinus libr. XXII. de civ. Dei cap. 30. Gregorius in comm. Iob. 28 ad illa verba: *Non adaequabitur illi aurum aut vitrum.* Anshelmus in elucidario, Thomas in addit. q. 85. art. 1. ad 2. Negat vero Bonaventura lib. IV. ſentent. diſtinct. 49. q. 1. ſed prior ſententia *gloriae creatoris* ac *felicitati beatorum* magis congruit. II) *An lux glorificatorum corporum a luce ſolis ſpecie diſtinguatur*? Negat Thomas in addit. q. 85. art. 2. ad 1. *Gloriae claritas*, inquit, *erit alterius generis quam claritas naturae quantum ad ſpeciei cauſam, ſed non quantum ad ſpeciem, unde ſicut claritas naturae ratione ſpeciei ſuae eſt proportionata viſui, ita claritas glorioſa.* Poſſet pro hac Thomæ ſententia urgeri, quod Chriſtus, Daniel & Paulus claritatem ſanctorum conferant *ſplendori ſolis & ſtellarum.* Quidam addunt hoc argumentum: *Difficile eſt excogitare lucem corpoream diverſam ſpeciem ab hac luce, quam cernimus, ſicut difficile excogitare candorem aliquem corporeum diverſum ſpecie ab eo, quem videmus.* Sed idem Thomas lib. III. ſent. diſt. 16. art. 1. ad 4. rectius contrarium ſtatuit: *Glorioſi corporis qualitas*, inquit, *viſum non corrumpit, ſed demulcet, & hoc contingit, quia eſt alterius generis, quam claritas naturalis.* Probatur haec ſententia tali argumento: Claritas *naturalis, & ſupernaturalis terrena & cæleſtis* toto genere differunt. Iam vero glorificatorum corporum claritas erit ſupernaturalis & cœleſtis. Ergo a naturali

1) An beatorum corpora futura ſint diaphana?

II) An lux glorificatorum a luce ſolis ſpecie diſtinguatur?

2) in ſpecie. a) de claritate.

& terrena gloria toto genere distans. Qualis corporum glorificatorum est status & conditio, talis etiam claritas. Iam verò status glorificacorum corporum non est physicus & terrenus, sed hyperphysicus & cœlestis. Ergo etiam talis erit eorum claritas, quæ Apoc. XXI 23. vocatur *claritas Domini*, 1 Tim. VI 16 *lux inaccessa*. Chrysostomus epist. V. ad Theodor. lapsum: *Omnia ibi dies, splendor & lux erunt, lux, non quae nunc est, sed plane alia, quae hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni. Oculus non vidit, quid praeparaverit Deus se diligentibus*, Esai. LXIV. v. 4. 1 Cor. II. 9. iam vero naturalem & terrenam claritatem oculis vidit. Qualis Gloria angelum nativitatis dominicæ præconem circumfulsit, Luc. II. 9. in qua claritate Elias & Moses in transfiguratione Christi adparuerunt, Matth. XVII. 2. Luc. IX. 31. talis etiam beatorum erit claritas. Atqui illa non fuit naturalis & vulgaris, sed tota genere diversa. Christi facies in transfiguratione dicitur fulsisse *instar solis*, Matth. XVII. 2. ergo fuit tantum similis claritas solaribus radiis, non autem eiusdem cum ea generis. Iam vero corpora glorificata erunt Christi corpori conformia, Phil. III. 21. III) *An claritas glorificati corporis oculos intuentium offendat?* Resp. oculos nondum glorificatos offendit, ut patet ex visionibus angelorum & manifestationibus divinis. Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 19. *Claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ob oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est, non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus.* Ratio pendet ex improportione oculorum nondum glorificatorum & claritatis cœlestis ac supernaturalis, itemque ex tenebris peccatorum in corpore mortali & corruptibili adhuc hærentibus. Sed glorificatos oculos claritas illa non solum non offendit, sed etiam maximopere delectat. Thomas lib. III. sent. dist. 16. *Claritas corporis glorioſi, quam vis excedat claritatem solis, tamen sua natura non offendit visum, sed demulcet.*

III) An claritas glorificati corporis oculos intuentium offendat?

IV) *An possit corpus glorificatum se subtrahere a conspectu hominis nondum glorificati & in tenebris latere?* Quidam negant argumento eo, quod splendor corporis glorificati tenebras dispellat, ac proinde latere & visum effugere minime possit. Sed Thomas additam. q. 85. art. 2. ad. 3. rectius affirmat. Est enim in potestate corporis glorificati videri & non videri ab hominibus nondum glorificatis, ut patet exemplo Christi post resurrectionem suam ex libera *οἰκονομία* quibuscunque voluit sese manifestantis, ac quibuscunque voluit conspectum sui negantis. Atqui inquis, *si fulgor est essentiales proprietas corporis glorifica i, non erit voluntati beati subiectus, ut iuxta eius imperium vel videatur vel non videatur.* Responderi potest, hoc fieri per aliquam potestatem supernaturalem beato divinitus concessam, ut adparet ex eorum, qui cum Christo resurrexerant exemplo, qui *civitatem sanctam ingressi* non omnibus promiscue, sed *multis*, quibus scilicet voluerunt, dicuntur *adparuisse* Matth. XXVII. 53.

IV) An possit corpus glorificatum se subtrahere a conspectu hominis nondum glorificati?

§. CLII. b) De *impassibilitate* quæritur: I) *An in corpore glorificato sint qualitates quatuor elementorum?* Resp. ratione essen-

b) De impassibilitate.

1) An in corpore glorificato sint qualitatiæ

tes quatuor elementorum.

tiæ erunt vera corpora, ideoque etiam mixta & elementares qualitates habentia, interim ad perfectiſſimam harmoniam reductæ non pugnabunt invicem, nec ſubiecto interitum molientur. Quod ſi enim in corpore primi hominis tam exactam qualitatum harmoniam divina potentia ac ſapientia conſtituere potuit, ut nullum moriendi periculum ei immineret, ſi in concreata integritate permanſiſſet, quanto magis in corpore ſpirituali & glorificato idem locum habebit? Nec tamen ſequitur, *qualitates illas fore otioſas*, quia etſi nihil acturæ ſint *in genere cauſae efficientis*, non tamen carebunt *effectis ſuis formalibus*; illud quidam ſic efferunt: qualitates elementares conſiderantur dupliciter, α) ratione *actus primi*, unde habent hoc, quod ſunt, & a ſe invicem variant. β) ratione *actus ſecundi*, quo ſe mutuo invadunt & hoſtiliter impugnant. Priori modo erunt in corporibus glorificatis, poſteriori vero minime.

II) An calor nativus agat in humidum?

II) *An calor nativus agat in humidum radicale?* minime vero, quia cibo & potu beatis non erit opus, ac ſi talis actio locum haberet, plenaria ἀφθαρσια a corporibus glorificatis non exſularet.

III) Unde corporis impaſſibilitas in beatis?

III) *Unde illa corporis impaſſibilitatis in beatis?* Thomas additam. q. 82. art. 1. cauſam ſtatuit in plenario animæ in corpus dominio. *Omnis*, inquit, *paſſio fit per victoriam agentis ſuper patiens. Impoſſibile eſt autem, quod aliquid dominetur ſuper patiens, niſi in quantum debilitatur dominium formae propriae ſuper materiam patientis. Corpus autem humanum & quidquid in eo eſt, erit perfecte ſubiectum animae rationali, ſicut anima perfecte ſubiecta erit Deo, & ideo in corpore glorioſo non poterit eſſe aliqua mutatio contra diſpoſitionem illam, quae perficitur ab anima, & ita corpora erunt impaſſibilia.* Sed rectius ſtatuitur, impaſſibilitatem fore peculiarem aliquam & ſupernaturalem corporis glorificati proprietatem divinitus ei conceſſam & ſubiective eidem inhærentem. IV) *An corpus glorificatum poſſit vulnerari?* Reſpondent quidam ex ſcholaſticis nullos fore gladios, a quibus beatorum corporibus immineat periculum. Rectius dicitur per dotem *impaſſibilitatis* ab omni interna & externa læſione beatos immunes fore. Si cœlum, quod tamen corpus naturale, ab externis paſſionibus creditur liberum, quanto magis per ſupernaturalem *impaſſibilitatis* proprietatem glorificato corpori hoc præſtari poterit?

IV) An corpus glorificatum poſſit vulnerari?

§ CLIII. c) De *agilitate* quæritur: I) *An a glorificato corpore pondus ſive gravitas ſit auferenda?* Quidam ex ſcholaſticis, ut Scotus & Paludanus negant, quia corpori humano naturale eſt eſſe ponderoſum, cum conſtet non ſolum ex elementis *levibus* igne & aere, ſed etiam *gravibus*, aqua ſcilicet & terra. Sed plerique ex veteribus adfirmant. Chryſoſtomus homil. XLI. in 1 Corinth. *Eodem corpore, ſed aliter comparato reſurgemus, corruptionis indiciis ſcilicet & illa, quae ſenſu comprehendi poteſt, craſſitudine in cœleſtem quendam fulgorem mutatis.* Auguſtinus libr. XXII. de civ. Dei cap. 11. *Itane Deus terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus in quo voluerit vivificatus ſpiritus?* In enchirid. cap.

c) De agilitate.

I) An a corpore glorificato auferenda gravitas?

91. *Resurgent sanctorum corpora sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* Illud certum est, si quid ponderis in corpore glorificato mansurum, eo potentiæ motrici nullum oblatum iri impedimentum, quo minus in momento illud moveri possit, quocunque velit; erit enim corpus spirituale, id est, spiritui perfectissime obediens.

II) *An beati possint se movere in instanti?*

II) *An beati possint se movere in instanti medio non pertransito?* Negat Thomas in addit. q. 84. art. 3. cum corpus glorificatum moveatur in tempore quamvis imperceptibili propter brevitatem. Sed probatur nobis modestia Augustini l. XXII. de civ. Dei cap. 30. sic scribentis: *Qui motus talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tempus ibi non erit amplius*, Apoc. X. 6. ergo etiam poterunt in instanti sese movere. Confer ea quæ disputant scholastici de motu angelorum, illis enim beati similes erunt.

d) *de subtilitate, unde ea originem trahat in corporibus glorificatis?*

§. CLIV. d) De *subtilitate* quæritur, *unde ea originem trahat in corporibus glorificatis?* Thomas itidem ad animæ imperium confugit. *Prima*, ait in addit. q. 83. art. 1. *subiectio, qua corpus animae subiicitur est ad participandum esse specificum, prout subiicitur sibi, ut materia formae, & de inde subiicitur ei ad alia opera animae, prout anima est motor. Et ita prima ratio spiritualitatis in corpore est ex subtilitate & deinde ex agilitate & aliis proprietatibus corporibus glorioſi.* Sed rectius dicitur, *subtilitatem* itidem esse peculiarem & supernaturalem aliquam corporis glorificati proprietatem divinitus ei concessam & subiective eidem inhærentem, quæ ad plenam & perfectam beatitudinem totius compositi requiritur.

Q. de bonis externis. An beatorum corpora vestibus induenda?

§. CLV. De bonis *externis* quæritur, *an beatorum corpora vestibus induenda?* In Apocalypsi tribuuntur beatis *stolae candidae*, III. 18. IV. 4. VII. 13. XIX. 8. &c. sed hoc *parabolice* ac *mystice* accipiendum de beatorum munditie, puritate, lætitia & perpetua festivitate. Neque enim beatorum corpora indigebunt vestimentis. 1) Adamus in statu innocentiæ nullis utebatur vestibus, sed post lapsum demum eas quæsivit, quanto minus berti vestimentis indigebunt. 2) Vestibus utimur ad prohibendas aeris iniurias. Atqui *in novo cœlo ac nova terra* nullæ metuendæ erunt aeris iniuriæ. Ver ibi perpetuum est. 3) Vestibus utimur ob verecundiam ad tegendas partes corporis illas, quas natura voluit esse tectas. Atqui sublata penitus ex omnibus corporibus membris prava concupiscentia non erit necessarium partes illas tegere. 4) Vestibus utimur ad decorem. Iam vero corpora beatorum erunt fulgida, splendida, formosissima. Ergo non indigebunt adscititio quodam decore. Anshelmus in elucidario: *Beati nudi erunt, sed omni decore fulgebunt, & non plus de illis membris, quam nunc de gratiosis oculis erubescent.* Quidam ex scholasticis statuunt, *beatos habituros vestes, non quidem ex auro vel serico, sed ex luce.* At hæc non est vestis proprie dicta, sed metaphorica & analogica, sicut etiam de Deo dicitur Psal. CIV. 2, *laudem & glo-*

gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento. Posset hæc opinio confirmari ex eo, quod angeli adparent in *vestibus candidis ac fulgentibus*, iam vero beati erunt ισαγγελοι. Sed vestibus illis usi sunt eodem fine, quo corpora ad tempus adsumserunt, videlicet ob ministerium hominibus præstandum, ut ab illis conspici possent, quibus nuda corpora ostendere noluerunt, & ut naturæ suæ puritatem symbolice ipsis præfigurarent.

Antithesis: 1) Iudaeorum recentiorum.

§. LVI. Antithesis: 1) *Iudaei recentiores* vitæ æternæ gaudia in corporalibus voluptatibus cibo, potu, Venere &c. collocant, quibus merito opponuntur tum *diserta scripturae dicta*: Rom. XIV. 17. *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.* Matth. XXII. 30. *In resurrectione nubent nec nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli in cœlo.* Apoc. VII. 16. *non esurient nec sitient amplius* &c. quorum auctoritatem si velint elidere, addendum Dei promissum Gen. XV. 1. Abrahamo factum: *Ego ero merces tua magna valde*; tum *veterum Rabinorum pronunciata*: Iosephus Albo Sorientis in lib. articul. fidei serm. IV. cap. 30. *Seculum futurum est seculum post mortem, cum anima separata est a corpore, in quo neque comedunt, neque bibunt, neque Veneri operantur.* Weidnerus in loc. fid. præcip. tract. II. p. 236. adducit dictum rabbini Mosis. *Est*, inquit, *communis determinatio apud Hebraeos, prout rabbinus Moses dicit, quod in alia vita non est cibus, nec potus, nec actus Venereus, aut aliae voluptates temporales, sed iusti delectabuntur ex splendore divinae gratiae & participatione sempiternae gloriae.* Galatinus lib. XII. de arcan. cap. 6. *Messiam ipsum futurum iustorum mercedem ac praemium, id prisci quoque Thalmudistae apertissime tradiderunt. Nam in libro, qui seder olam, id est, ordo mundi dicitur, sic ad verbum legitur: Scriptum est Dan. 2.* Novit quid in tenebris est, & lux cum eo habitat. *Novit, inquit, quid in tenebris est. Haec est perpetua impiorum pœna in gehenna. Et lux cum eo habitat. Haec est donatio mercedis iustorum in futuro seculo. Quod autem haec lux, quae est futurum iustorum praemium, sive merces sit Messias ipse in Beresith Ketanna, id est, in expositione libri Geneseos minori manifeste habetur, cum super illud Gen. 1.* In principio creavit Deus &c. *sic dicitur: Dixit rabbinus Abba: Scriptum est Dan. 2. Et lux cum eo est. Haec lux est rex Messias. Confirmatur haec Thalmudistarum sententia ex Gen. 15. Ne timeas Abraham, ego ero scutum tuum & merces tua magna valde. Ea propter ipse dixit Ioh. 10. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Pascua aeternae scilicet beatitudinis, inveniet in me, supple intus & foris. Intus per claram divinitatis visionem, perfectamque fruitionem; foris per gloriosae humanitatis intuitionem.* Quod vero in scripturis beatitudo æterna comparatur *convivio ac nuptiis*, Esai. XXV. 6. LXV. 13. Matth. VIII. 11. Luc. XXII. 30. Apoc. XIX. 9. id intelligendum iuxta vulgatam regulam, quod sancti Dei homines gaudia futuri seculi μυστικως και παραβολικως describant verbis præsentis seculi, sicut beneficia nov. test. prophetæ describunt verbis ex cultu & consuetudine vet. test desumtis. Si τω ρητω præcise hic velimus insistere, consequens foret, Christum fore mensæ, cui beati adsident, & lætitiæ cœlestis ad ministrum, Luc. XII. 37. Potest hoc con-

contra Iudæos probari ex Prov. IX. 2. ubi Sapientia describitur hoc modo, quod *miscuerit vinum & mensam adposuerit.* Ea vero in sensu literali & proprio accepta Sapientiæ convenire nequeunt, quippe cuius natura spiritualis est; cibi ergo ac potus nomine intelligitur non alimonia corporalis sed Dei notitia, sincerus amor & gaudium ex divina præsentia in æterna vita profluens, quibus bonis anima non minus satiabitur, quam corpus in hac vita cibo ac potu satiari & oblectari consuevit, sic enim exponitur Psal. XXXVI. 9. *Inebriabuntur ubertate domus tuae, & torrente voluptatis tuae potabis eos.* Adde, quod res ipsa ostendat, nec cibi nec potus nec generationis usum in vita æterna futurum, quia enim corpora erunt *spiritualia*, & non amplius animalia, ideo de substantia eorum nihil deteretur, quod reparatione per cibum ac potum indigeat; quia erunt *immortalia*, ideo per generationem non erunt alii in locum præcedentium surrogandi. Otto Frisingensis libr. VIII. chronicor. cap. 35. *Non credendum est animas exutas corpore vel post resurrectionem spiritualia corpora angelicis spiritibus puritate ac dignitate non inferiores rebus exterioribus sicut in hac vita delectari. Proinde ubi sacra scriptura floridis & virentibus campis, amœnis locis, garritu avium, odoriferis rebus, utpote cynamomo & balsamo sensus eorum refici & adfici dicit, spiritualiter hoc potius quam carnaliter accipiendum videtur. Quamvis & propter simplices, qui lacte, non solido cibo alendi sunt, quorum sensus nondum exercitati, spiritualem iucunditatem comprehendere nequeunt, haec frequenter & a quibusdam doctoribus ponantur, ut sic per visibilia ad invisibilia cognoscenda & inquirenda mittantur.*

§. CLVII. 2) *Mahumetus* in Alcorano & Zuna libris apud ipsius sectatores fidei authenticæ & indubitatæ *splendidissima palatia, regales epulas, choreas & virginum amplexus* beatis in paradiso pollicetur, ac talem post resurrectionem beatorum vitam fingit, qua *dulcissimis aquis, salutifero potu, pomis multimodis, fructibus variis, decentissimis atque mundissimis mulieribus, annulis aureis, vestibus sericis, lectis auleatis &c.* beati fruantur. In lib. I. Alcorani a Salom. Sweigero editi cap. 13. p. 70. Mahometus sic describit paradisum, quod *ex smaragdis & hyacinthis totus sit exstructus, quod fontes mellis, lactis & vini in eo fluant, quod unius diei spatium mille annos exaequet &c. quod incolae paradisi utantur vestibus omnis generis coloribus, excepto atro, tinctis, quod omnes sint in statura Adae & forma Christi; quod primum epulum in paradisum adventantibus exhiberi solitum paretur ex epate piscis, Albehut vel Alimpeput dicti, cibo admodum dulci ac delicato, quod abundent carnibus omnis generis sola porcina exceptа*, p. 72. *quod concubinarum & scortorum innumerabilis copia cuique praesto sit futura.* Lib. II. c. 28. p. 173. *Fideles habitabunt in paradiso in medio amœnissimorum fontium, ornati erunt annulis & torquibus aureis, induti serico &c.* Lib. III. cap. 19. p. 21. *Beati in paradiso voluptatibus omnigenis circumfluent, fruentur pulcerrimarum fœminarum consortio, quarum oculi sunt lucidi, & ovis magnitudine respondent.* Cap. 20. p. 215. *Vescentur pomis variis, bibent suavissimos syrupos, coniuges habebunt pulcerrimas, quae oculos suos non alio quam in ipsos dirigent.* Cap. 25. p. 225. *Palatia erunt tecta argento, in cubilibus erunt lectuli aurei.* Cap. 26. p. 227. *Vestibus induentur auro intertextis,*

2) *Mahumeti.*

bi-

bibent ex fontibus dulciſſimis, conſuescent cum virginibus, quarum oculi lucidiſſime fulgent, ſupercilia autem ſunt nigricantia. Cap. 37. p. 238. ***Tapetiis inſidebunt aureis, fruentur conſortio virginum maritis intactarum.*** Cap. 58. p. 254. *Bibent ex poculo, quod formatum ex Canfora, habitabunt ſub umbroſis arboribus, veſcentur pretioſiſſimis fructibus, bibent ex poculis argenteis & cryſtallinis.* Cap. 60. p. 256. *Abundabunt palmis ac vitibus, cohabitabunt ipſis virgines oculis lucidiſſimis & ampliſſimis ac mammis compreſſis ac rotundis ornatae &c.* Huius generis plura in Alcorano ubivis occurrunt, de quibus haud iniuria ſic pronunciat Gerſon part. IV. ferm. de omnib. ſanctis q. 1. *Quaeſtio Saracenorum, qui confiſtit in comedendo, bibendo, luxuriando potius ad mutas beſtias, quam ad homines ſpectat.* Avicenna quidem in metaph. ſcribit, *ſermones illos eſſe metaphoricos, quod non potuerint exprimi*, ut opinatur, *voluptates honeſtae alterius vitae, praeſertim rudibus hominibus, niſi vocabulis delectationum vulgarium, quae in hoc mundo percipiuntur.* Sed huius gloſſae nullum in textu exſtat veſtigium.

§. CLVIII. 3) *Chiliaſtae, Cerinthiani, Neopotiani. &c.* regnum Chriſti in his terris mille annos in corporeis voluptatibus duraturum docebant, de quibus in tract. de conſumm. ſeculi §. LXVII. & ſeqq. 4) *Origenes* hom. XI. in Num. putat, *in vita futura quosdam homines non Deum, ſed angelos tantum viſuros eſſe, & Deum homines alios aliis angelis ſubiecturum eſſe.* Idem lib. I. περι αρχων cap. 9. *perpetuum quemdam felicitatis & miſeriae circulum* confingit, cui opponimus illud Auguſtini lib. XXII. de civ. Dei cap. 20. *Quid ea beatitutine fallacius, ubi nos futuros miſeros aut in tanta veritatis luce neſciamus aut in ſumma felicitatis arce timeamus?* 5) *Methodius* ſerm. de reſurrect. videtur ſentire, *beatos poſt reſurrectionem non in cœlis, ſed in paradiſo futuros. Oportet enim*, inquit, *in propria ſui habitus figura unum quodque creatum manere, ut omnia omnibus ſint impleta, cœli angelis, throni poteſtatibus, lumina miniſtris, diviniores loci & pura lumina ipſis ſeraphin, qui adſiſtunt magno ſenatui univerſa continenti, mundus hominibus.* 6) *Pepuziani* vitam æternam & Hieruſalem cœleſtem in hac vita conſtituebant. Pepuzam enim, locum quemdam ſuperioris Phrygiæ, *cœleſtem* dixerunt eſſe *civitatem* & Hieruſalem, de qua prophetæ vaticinati ſint, de qua Heb. XII 22. & Apoc. XXI. 2. ad quam nobis omnibus ſit adſpirandum. Epiphanius hæreſ. 49. Auguſtinus de hæreſ. c. 27. 7) *Æternales* referente Auguſtino de hæreſ. cap. 67. ex Philaſtrio, *mundum hunc etiam poſt reſurrectionem mortuorum in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, dixerunt eſſe manſurum, neque ita eſſe mutandum, ut ſit cœlum novum & terra nova, ſicut ſancta ſcriptura promittit.* 8) *Pelagiani ac Cœleſtiani* ſomniabant, *vitam aeternam eſſe extra regnum & paradiſum Dei.* Auguſtinus de hæreſ. c. 88. *Pelagiani, quorum ſectatores Cœleſtiani parvulis, quos ſine ullo peccati originalis vinculo naſci dicant, etiamſi non baptizentur, promittunt extra regnum quidem Dei, ſed tamen aeternam & beatam quamdam vitam ſuam.* Idem lib. III. de anim. & eius orig.

3) *Chiliaſtarum.*

4) *Origenis.*

5) *Methodii.*

6) *Pepuzianorum.*

7) *Æternalium.*

8) *Pelagianorum.*

orig. c. 14. *Vincentius Victor dixit, aliquas manſiones eſſe extra regnum Dei earum, quas Dominus dixit*
9) *Iovinianus.* *eſſe in domo Patris ſui.* 9) *Iovinianus* docebat, *in regno cælorum par fore omnium praemium.* Hieronymus lib. II. adv. Iovinian. 10) *Armenii* do-
10) *Armeniorum.* cuerunt, quod *homines mediocriter mali poſt iudicium non ſint ituri in paradiſum cæleſtem, ſed manſuri in terra, & quod bonorum animæ ducendae ſint in terram, & ſicut aves ſuper arbores volaturae.* Guido de Armeniis.

§. CLIX. 11) *Pontificii* a) ratione *eſſentialis beatitudinis alios aliis beatiores adſerunt.* Gregorius
11) *Pontificiorum.* de valent. tom. I. comm. in Thom. p. 235. *Ex fide eſt illa adſertio, alios maiorem beatitudinem accepturos quam alios, atque adeo poſſe Deum maius ac minus perfecte videri intellectu creato pro diverſitate luminis gloriae, quod quisque maius vel minus participabit iuxta proportionem caritatis; quam habuerit in hac vita.* Becanus part. I. theol. ſchol. c. 9 q. 9. *Non omnes aeque beati ſunt, quia non omnes beati aeque perfecte vident divinam eſſentiam, & ratio eſt, quia merita ſunt inaequalia.* Idem in adpend. tract. de purgat. Calviniſt. c. 5. p. 79. *Sicut non omnes habent aequale praemium, quod in eſſentiali beatitudine conſiſtit, id eſt, non omnes habuerunt, aequalia merita, ſic non omnes aeque clare & perfecte Deum vident, & conſequenter, non omnes aeque intenſe eum amant, nec aequale gaudium de illo viſo & amato percipiunt.* Contra vero ſcriptura ſacra omnibus vere piis *unam beatitudinem, unam vitam aeternam, unum eſſentiale praemium*, Dei ſcilicet viſionem promittit, Luc. XX. 36. I Cor. XV. 28. I Ioh. III. 2. &c. ac omnem imperfectionem ab omnibus beatis removet, I Cor. XIII. 10. Gradus quidem gloriae diſtinctos fore docet, ſed unam omnibus beatitudinem tribuit, quae per fidem ex Chriſti merito, non autem per propria merita piis obtingit. Auguſtinus lib. de S. virginit. cap. 26. *Quia ipſa vita aeterna pariter erit omnibus ſanctis, aequalis denarius omnibus attributus eſt.* Gregorius lib. IV. moral. cap. 31. *Una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una ſit omnibus ſublimitas vitae.* Bernhardus ſerm. de tripl. gen. bonor. *Angelorum & hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium, erit communis omnium potentia, ſapientia, pax, iuſtitia & intelligentia.* Ipſe Vega pontificius fulgore veritatis compulſus libr. X. de iuſtif. cap. 7. ſic ſcribit: *Gloria cæleſtis, quoad ſubſtantiam ſuam, quae eſt viſio Dei aeterna, absque relatione ad opera datur. At gradus gloriae pro diverſa proportione gratiae infuſae confertur.*

§. CLX. b) Fingunt cerias quasdam *aureolas* *De aureolis.*
vel laureolas, quarum alias *virginibus*, alias *martyribus*, alias *doctoribus* imponendas ſtatuunt. Nomen ipſum *aureolae* petitum eſſe ſtatuunt ex Ex. XXV. 26. ubi coronam auream menſae inſtar limbi aditam vulgatus interpres vocat *aureolam.* Ut enim menſa tabernaculi habebat duplicem coronam, alteram *interraſilem*, alteram *auream*: ſic multos ex beatis, dicunt, duplicem accepturos coronam, alteram *magnam ac praeclaram*, id eſt, beatitudinem eſſentialem, quam vocant *coronam auream*, alteram *minorem*, quae eſt praemium accidentale, quam vocant *aureolam.* Eiusmodi aureolas tres ſtatuunt, quarum unam *martyribus*, alteram

ram *virginibus*, tertiam *doctoribus* assignant. Martyrum aureolam probare conantur ex Apoc. II. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum.* III. 21. *Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno meo.* VII. 14. *Laverunt stolas suas in sanguine agni, ideo sunt in conspectu agni.* Virginum aureolam petunt ex Esa LVI. 5. *Dabo eunuchis, in domo mea & in muris meis locum &c.* Apoc. XIV. 4. *Sequuntur agnum quocunque ierit.* Doctorum aureolam probant ex Dan. XII. 3. *Qui ad iustitiam erudierunt multos, fulgebunt quasi stellae.* Sir. XXIV. 31. *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Thomas in addit. q. 96. art. 11. ternarium aureolarum numerum deducit ex hoc fundamento: *Aureola est praemium privilegiatum respondens privilegiatae victoriae. Sunt autem tres victoriae privilegiatae in tribus pugnis, quae cuilibet homini adversus tres hostes imminent, ideoque tres etiam sunt aureolae. Est homini pugna adversus carnem in hac victoriam privilegiatam virgines reportant. Est pugna adversus mundum, id est, adversus persecutores mundanos, in hac praecipuam victoriam martyres obtinent. Est pugna adversus diabolum, in hac singularem triumphum doctores ferunt, qui non solum in se, sed etiam in aliis hunc hostem deterrimum docendo superant.* Iacob. Bayus profess. Lovanienſ. in institut. relig. Christ. lib. I. c. 373. p. 428. edit. Colon. anno 620. numeri ternarii rationem petit ex virtutibus, quibus contra istum tricipitem Cerberum pugnatur. *Virtutes enim illae sunt potentia rationalis, cui respondet doctrina; irascibilis, cui martyrium; & demum concupiscibilis circa delectabilia versans, cui virginitas respondet, quibus tribus virtutibus eminenter Christo doctori iustitiae, virgini ac martyri adsimilamur.* Si quæras, *An aureola illa animae ac corporis bonum sit?* Respondent, illam *praecipue* inesse animæ, quia est gaudium, quod ex operibus illis percipitur, quibus aureola tribuitur, nimirum ex martyrio, ex virginitate, ex doctrina aliis tradita. Eamdem tamen etiam in corpore adparituram. Quemadmodum enim ex gaudio essentialis præmii, quod est *aurea*, redundat quidam decor in corpore, qui est in gloria corporis: ita ex gaudio accidentalis præmii, quod est *aureola*, resultare aliquem in corpore decorem. Si quæras, *quis tandem sit ille corporis decor?* respondet Scotus lib. IV. sent. dist. 49. q. 5. art. 2. *aureolat esse coronas, ita ut in capite martyris corona cernatur rubra, in capite virginis candida, in capite doctoris viridis*; addit *martyres etiam fortassis in manibus gestaturos palmas, virgines alba lilia, doctores virides ramos incorruptibiles.* * Paludanus lib. IV. sent. dist. 41. addit, *fore in corpore quamdam decentiam & pulchritudinem singularem repraesentativam aureolae praedicatori in ore, virginibus in illa parte, martyribus in cicatricibus vel aliis partibus corporis secundum genus martyrii.* Si quæras, *quaenam sit praecipua aureola?* respondent, *primum locum obtinere aureolam martyrum; secundum sibi vindicare aureolam virginum; tertium doctorum, quia pugna ac victoria martyrum pugnas virginum doctorumque difficultates superat; certamen vero virginum superare certamen doctorum;* interim addunt, *aureolam doctoris*

* Lorinus in 1 Pet. 4. *Sicut designabatur utcunque martyris aureola per coronam, qua coronabatur altare thymiamatis* Exod. XXX. 3. *virginis, qua arca* Ex. XXV. 11. *sic doctoris per eam, qua panes propositionis* Ex. XXV. 30. *doctrina enim panis est.*

floris superare aureolam virginis, si longo tempore doluit, magnasque in docendo difficultates superavit. Si quæras, *an etiam Christo tribuenda sit aureola?* respondent negando. Cum enim aureola diminutionem participationemque gaudii designet, & in Christo sit omnium plenitudo gaudiorum, ideo non esse ipsi tribuendas aureolas, sed eminentiorem quamdam omnium virtutum & præmiorum perfectionem, cum ipse *germinat virgines, roboret martyres, doctores illuminet*, ac per ipsum plenissima de carnis infirmitate, mundo ac diabolo victoria obtineatur. Richardus tamen lib. IV. sent. dist. 49. art. 5. q. 5. distinguit. *Aureola*, inquit, *potest dupliciter considerari vel secundum id; quod est, vel sub ratione, qua militi datur a principe. Primo modo est in Christo perfectissime triplex aureola, quia perfectissime fuit virgo, doctor & martyr: sed secundo modo non competit ei aureola.* Si quæras, *an etiam angelis debeatur aureola?* respondet Richardus libr. IV. distinct. 49. art. 5. q. 6. non deberi, cum in ipsis non sit pugna, sed virginitas est eis connaturalis, martyrium ipsos pati est impossibile. *De aureola martyrum* in specie disputant, *quod ad eam tria requirantur, pœna, causa & voluntas; quod non debeatur obedientibus etiamsi per obedientiam propria voluntas mactetur; nec pauperibus, quamvis mundo moriantur, nec pœnitentibus, quamvis crucifigant suam carnem, nec beatæ virgini, quamvis plus doluerit quam martyr, nec Dominico, qui martyrium sitiebat, nec Iohanni evangelistæ, qui calicem passionis voluntarie bibit, nec pueris in camino ignis, quia non ex passionibus obierunt; nec Lucretiae, quae se illicite interfecit, nec Simsoni, quia martyrium est circa mortem ab alio illatam. Si martyr aliquis ex mortuis suscitetur, & iterum a persecutoribus occidatur*, quod S. Sebastiano obtigisse memorant, *illum duas aureolas habiturum* statuunt. *In infantibus Bethleemiticis propter Christum ab Herode interfectis rationem aureolae non esse completam* adferunt, quia *fuit mors propter Christum quidem suscepta, non tamen electa, illos vero, qui cruce signati in bello hostium Christi pugnando pereunt, aureolas sortiri arbitrantur, cum non se, sed Christum & ecclesiam defendendo moriantur.* De *aureola virginum, quod competat ea b. virgini, quia quamvis in ea non fuerit resistentia carnis, tamen in ea fuit plenum dominium rationis super carnem; Abeli eam sperandam esse* negant, *quia habuit propositum ducendi uxorem, si vixisset.* De *virginibus per vim oppressis* statuunt, *si ex post facto consentiant, & finaliter pœniteant, aureolam eas recuperare. Danieli & sociis eius* itidem hanc aureolam negant, *cum tunc non fuerit tempus virginitatis.* De *aureola doctorum* disputant, *quod non competat nisi actu praedicantibus de his, quae pertinent ad salutem; advocatis, medicis, quin & theologis physicam docentibus* deberi negant, *nisi prout utantur ad declarationem theologis captivantes omnem intellectum sub fidei obsequium. Mulieribus* præcise eam derogant, cum illis prædicare non liceat. Plura de aureolis, si lubet, vide apud Altensteigium in lexico theol. in verbo *aureola*, in compend. theol. verit. libr. VII. cap. 30. apud Gregorium de Valent. tom. IV. comm. in thom. disp. 11. q. 5. punct. 2. p. 2327. Barradium in harm. evang. libr. X. c. 3. p. 616. &c.

§. CLXI. Nos haud inviti concedimus, fore in vita æterna *gloriae gradus*, ac Deum ex gratia non solum temporalibus sed etiam cœlestibus ac æternis præmiis piorum labores & passiones, quas

quas propter Christum sustinuerunt, remuneraturum, interim figmentum pontificium de aureolis probare non possumus. 1) Ob *fundamenti conditionem*, quod est doctrina de operibus supererogationis. Fingunt enim, *posse hominem renatum legem Dei perfecte implere, & hac obedientia legi praestita vitam aeternam ex merito obtinere; eos vero qui non contenti sunt obedientia legi praestita, sed insuper etiam evangelica consilia perfectionis implent, & opera supererogationis faciunt, peculiarem aliquam aureolam in coelo promereri. Aureola*, inquit Bayus d. l. *de illorum praemio recte intelligi potest, qui generalia scripturae sanctae mandata sponte ea vitae perfectioris electione transcendunt, ideoque specialem prae caeteris fidelibus retributionem voluntariae oblationis exspectant.* Ostendimus vero suo loco, figmentum hoc esse pharisaicum, multis doctrinae Christianae articulis e diametro oppositum. 2) Ob *temerariam definitionem.* Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid Deus praeparaverit se diligentibus.* Paulus 2 Cor. XII. 4. in sua ἁρπαγῇ audivit ἄρρητα ῥήματα, quae ergo haec est temeritas, tam praecise & exacte determinare velle, quae martyribus, quae virginibus, quae doctoribus exspectanda sit aureola? Quae pro stabilienda martyrum aureola ex Apocalypsi proferuntur, omnes vere pios concernunt, quia omnibus omnino contra diabolum & ipsius squamas & organa, contra peccatum, carnem & mundum est perpetuo in hac vita pugnandum. *Sine ferro martyres esse possumus, si patientiam fideliter custodiverimus*, dicunt pii veteres; unde triplex spirituale martyrium constituunt, *tolerantiam adversorum, compassionem adflictorum & dilectionem inimicorum*, iuxta Gregorium; vel *parcitatem in ubertate, largitatem in paupertate & castitatem in iuventute*, iuxta Bernhardum. Virginum aureola an ex Esaia & Apocalypsi probari possit, ex genuina dictorum adductorum explicatione patebit, quam vide in tract. de evang. §. 93. & 101. Repetimus h. l. illud Augustini aureolum l. de S. virg. cap. 18. *Melior est in scriptura Dei veritas, quam in cuiusquam mente aut carne virginitas.* Ex Dan. XII. 3. recte probatur docentibus peculiare aliquod praemium exspectandum, sed quale illud sit, in hac vita definiri exacte nequit, ne videamur *sapere velle* ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *ultra id quod scriptum*, 1 Cor. IV. 6. Hieronymus in comm. Prov. 12. *simplicem idiotam bona operantem etiam praefert ei, qui clarus eruditione scripturarum, vel etiam doctoris functus officio pane indiget dilectionis.* Chrysostomus homil. V. in 2 Thessal. 3. pie scribit: *Quisquis vestrum, si volet, doctor est, si non alterius, tamen sui ipsius.*

§. CLXII. c) De coelestibus beatorum gaudiis, exercitiis & habitaculis terrenas, carnales & pueriles cogitationes fovent. Caffanaeus part. I. praefat. catal. glor. mund. considerat. 1. Duodecim principales sedes sunt in paradiso, videlicet sedes ipsius Trinitatis & Deitatis, sedes Filii respectu humanitatis, sedes b. Mariae virginis & novem aliae sedes novem ordinum. Ex Bernhardino tom. VIII. operum D. Brentii pag. 890. de exercitiis & choreis beatorum in coelo talis adfertur discursus: *Quid facient beati in coelo empyraeo? quale exercitium habebunt? erunt ne ibi choreae & saltationes? alius quidem respondet, quod in gloria non erunt tales gesticulationes.* Sed Bernhardinus diversum sentit. *Non moveant te*, inquiens, *dicta illius doctoris.*

Vero similius enim est, quod illic fiant choreae & saltationes. Omnia enim, quae ad choream sufficiunt & requiruntur, ibi inveniuntur. Ad choream enim duodecim requiruntur: 1) *Locus spatiosus, qui datur in cœlo;* 2) *locus speciosus sive delectabilis. Tale etiam est cœlum, siquidem vilissima eius pars tam est speciosa, ut prae ea mundus hic visibilis sit veluti stabulum.* 3) *Locus luminosus. Cœlum autem empyraeum tanti est splendoris, ut si omnes firmamenti stellae haberent lucem, nihil esset in comparatione luciditatis istius* 4) *Locus firmus, haec firmitas etiam in cœlo iuxta Iob. 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt.* 5) *Iucunditas, quae in cœlo erit ex visione summi Dei.* 6) *Tranquillitas, quae erit ex possessione Dei, iuxta Esai. 32. sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* 7) *Satietas, quia ante prandium non fit chorea.* 8) *Ebrietas. Utraque erit in cœlo, Psal. 36. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, &c.* 9) *Corporis formositas. Turpis enim quisquis est, dedecorat choream, sicut musca pulmentum avenarium. In cœlo autem erunt beati sicut angeli Dei, Matth. 22.* 10) *Vigorositas corporis, quae aderit, 1 Cor. 15. resurgit in incorruptione.* 11) *Corporis levitas, quae itidem aderit, Rom. 8. creatura liberabitur in libertatem gloriae filiorum Dei.* 12) *Corporis ornatus, quem habebunt sancti, Phil. 3. configurabit corpus nostrum humile corpori suo glorioso.* Ne quis vero existimet aniles illas fabulas ab otiosis monachis confictas a recentioribus pontificiis repudiari, ideo iubemus expendere ea, quae scribit Barradius libr. X. comm. in conc. evang. cap. 3. *Numquid*, inquit, *nihil in cœlo, praeter cœli immensam illam latitudinem longitudinemque adparebit? Numquid beati in cœlo, velut in agro oves, erunt simul in eodem loco omnes? Numquid immensi cœli empyraei loca quam plurima vacua erunt & deserta? Non videtur hoc decorum. Crediderim ergo ampla admirabiliaque esse in ipso cœlo palatia, amplaque alia aedificia ex incorruptibili materia ipsisque margaritis pretiosiore fabricata. Forte etiam prata amoenissima, nemora, similiaque alia, quae beatorum oculis ipsa varietate offerant oblectationem, & civitatem illam caelestem exornent. Habebunt beati mansiones, ut ex evangelio constat. Cur non palatia alia aliis superiora, quibus non concludantur, sed decorentur, & alii ab aliis separentur pro dignitate, ac distinguantur. Huius opinionis fuit olim primarius doctor academiae Eborensis Ferdinandus Perez. Favet illi Scotus, qui in lib. IV. sentent. distinct. 49. q. 4. artic. 7. concedit, beatos a beatis visitari, & per aliorum mansiones discurrere &c. Favet item Caietanus part. III. q. 57. artic. 5. ubi sic ait: Divina sapientia dispositit cœli empyraei unam partem quasi solium & reliquas in ordine ad illam superiores vel inferiores. Et sic Christus secundum corpus in parte illa celsi stans ita suprema parte supremoque loco residere dicitur, & reliquae creaturae beatae hinc & inde inferiores partes tenent.* Et postea: *Intra ipsum cœlum empyraeum ad convexum usque beatorum palatia admirabiliter summi artificis manu constructa sunt, ordineque ita dispositia, ut alia sint inferiora, alia superiora, & alia aliis sint pulchriora ac pretiosiora. In celsissimo cœli loco palatium summi regis Christi est, quod omnem superat admirationem. Eo inferius Deiparae virginis palatium alterum, quale tantae reginae dignitas postit. Ordine sequuntur alia pene infinita tam angelis quam hominibus attributa. Habent enim angeli quoque peculiares sedes atque palatia, quibus alii ab aliis seiungantur loco* Tandem concludit, *palatia illa fuisse fabri-*

bricata, quando cœlum est conditum, homines vocari ad palatia per lapsum angelorum evacuata, Christi palatium ab initio orbis usque ad Christi adscensionem fuisse desertum &c. Confer ea, quæ de limbo infantum a regno cœlorum & inferno localiter distincto disputant, quæque Bellarminus libr. II. de purgat. cap. 7. habet de *prato quodam florentissimo, lucidissimo, odorato amœno, in quo degant animae, quae nihil patiantur; sed tamen ibi maneant, quia nondum idoneae sunt divinae visioni &c.* & adparebit, Elysios poëtarum campos a pontificiis postliminio in ecclesiam reduci.

§. CLXIII. 12) Ex Calvinianis 1) quidam negant, *beatos ipsam Dei essentiam intuitive ac perfecte in vita aeterna visuros*, ut ostendimus superius §. 133. 2) Quidam negant, *gloriæ in vita aeterna futuros gradus*, ut vidimus §. 120. 3) Plerique omnes de beatorum gaudiis, exercitiis & habitaculis ἐπιγείοις φρονοῦσι. Cœlum enim definiunt *locum aliquem certum corporeum supra omnes cœlos visibiles constitutum, mansionibus amplissimis distinctum, in quibus localiter sedeatur & ambuletur.* Bullingerus in tractatu de verb. cœnæ: *Dextra Dei in scripturis non tantum accipitur pro immensa Dei potentia, sed & pro loco in cœlis certo, in quo Christus cum electis versetur.* Idem in comm. Ioh. 14. *Mansiones in domo Patris cælestis*, de quibus Ioh. XIV. 1. *corporali modo* in cœlo distinctas esse autumat, ac mirificas de distinctis illis cellulis speculationes proponit. Danæus in resp. ad Fritschl. *Christi naturam humanam in cœlo ut in amplissima quadam & vere regia aula liberrime versari cum sanctis & angelis, & nunc hic nunc illic oberrare, cum illis ob ambulare in oriente, occidente, meridie, septentrione, supra vel infra nos, ante vel pone, semper autem in nullo, nisi in uno aliquo certo cœli loco.* Beza tom. I. operum p. 590. *Illinc*, (ex loco illo Dei & beatorum) *non autem ex ubiquitario cœlo* dicit *esse missum a Patre Filium, & in eosdem illos cœlos resumtum, ubi gloria & honore coronaretur.* Zanchius lib. II. de nat. Dei c. 6. p. 139. *cœlum, in quod Christus adscendit*, vocat *corporale, sed tamen alterius generis, quam sit terra & cœli isti adspectabiles.* Neostadiensis in admon. de libr. concord. p. 88. & 268. *Cœlum est domicilium beatum Dei, sanctorum angelorum & hominum, in quo visibiliter & localiter versatur Christus supra & extra omnes cœlos & mundum hunc adspectabilem.* Sohnius disp. de creatione tom. I. oper. p. 114. *Tertia cœli regio a sideribus ad aquas illas superiores patet, quae est sedes beatorum spirituum & hominum.* Martinius in collect. spicar. pag. 94. *Cœlum est spatium, in quo multae sunt mansiones, est ergo locus. In cœlesti vita etiam est successio temporis.* Nos libenter concedimus, cœlum beatorum esse certum aliquod ποῦ a τῶ πᾶ damnatorum distinctum; sed negamus, per *locum corporeum* esse definiendum, aut sedes & *mansiones corporeas* illi adscribendas, cum illius quiditatem & qualitatem in huius vitæ caligine penetrare non possimus. Augustinus libr. de fid. & symb. c. 6. *Non est nostrae fragilitatis cœlorum secreta discutere.* Hieronymus in epist. eph. 5. *Est & in ecclesia stultiloquium, si quis cœlum putet fornicis more curvatum, Esaiae, quem non intelligit, sermone deceptus, solium quoque in cœlis positum & super eo sedere Deum, & in ritum imperatoris stare angelos in circuitu, qui verbis iubentis obtemperent & ad diversa mittantur officia.* Santores sunt hac in parte quidam ex

12) *Calvinianorum.*

ipsis adversariis. Calvinus in comm. Eph. 4. *Haec de adsensu Christi super omnes cœlos ita dicuntur, non quod proprie locus sit extra mundum, sed quia de regno Christi non nisi nostro more captuque loqui possumus.* Martinus Bucerus: *Cum cœli, ad quos Christus adscendit, sint supra omnes cœlos, equidem non ausim illos definire nisi scripturae verbis, non nostrae rationis praedicamentis. Scripturae autem illos non nisi maiestate & virtute definiunt, non locorum inter capedinibus, clareque attestantur, eos in eor hominis non adscendisse.* Morlorarus in Matth. XXVII. ad *Cœlum, in quod Dominus noster adscendit invisibilis, Patris gloria est & inaccessa divinitatis lux.* Confer dicta superius §. 35. & dicenda inferius §. 170.

§. CLXIV. 4) De dotibus glorificati corporis nimis tenuiter & exiliter sentiunt. a) *Invisibilitatem διαφανῆ* negant. Theophilus Molanus anno proxime elapso 1620. differrationem edidit *de visibilitate corporis Christi*, in qua probare conatur *corpus Christi* (quod non solum est glorificatum sed etiam Λογῳ personaliter unitum) *non posse non videri, ubicunque praesens adest.* Pag. 12. reiicit distinctionem inter visibilitatem ratione actus *primi & secundi.* Beza in adnot. 1 Cor. XV. & Pezelius cont. Hunn. p. 153. disputant, *non esse vera corpora, quae actu non cernantur.* b) *Illocalitatem* non minus oppugnant. Oecolampadius in Iob. p. 109 *inquietos fratres* vocat eos, *qui corpora resurgentium in variis locis esse contendant eodem momento, quia faciunt ea esse absque dimensionibus, & non sinunt esse corpora.* Lib. II. comment. in Dan. 12. *Sunt, qui ita de resurrectione & Christi & nostra loquuntur, ut non adpareat, quomodo veritatem corporis relinquant, tui & locum & tempus esse nolunt &c.* Sic ergo iuxta Oecolampadium in vita æterna non solum erit locus, sed etiam tempus. Petrus Martyr. cleff. III. loc. comm. cap. 15. art. 59. *Nusquam vel sacrae literae vel patres veteres vel scholastici attribuerunt vel carni Christi vel aliis sanctis excitatis absolutionem a loco, quare mirum est, quibusdam hominibus nostrae aetatis illud commentum adeo placuisse.* Art. 65. *Nec tantum erit idem corpus in resurrectione cum eo, quod nunc habemus, verum etiam locum occupabit, nec simul ac eodem tempore in pluribus locis esse poterit, quod natura corporum & praesertim humanorum hoc non ferat. Cum enim suis partibus, membris & lineamentis descripta & finita sint, oportet ut certis locis contineantur. Et nihilominus reperiuntur aliqui tam procaces & intemperantes, qui ut suam tueantur opinionem, vel ubiquitatis vel praesentiae realis atque substantialis corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, poscere a nobis audent, ut sibi prolixius & quidem ex divinis literis corpus esse non posse absque loco, nec eodem tempore ac simul existere posse in diversis locis, demonstremus &c. Audienda est vox naturae, quae Deum ipsum habet auctorem. Ea vero statuit, haec fieri non posse.* Art. 66. *Loca etiam spectant ad aeternam felicitatem in regno Dei. Dixit enim Christus discipulis suis, cum de suo discessu eos commonefaceret: Vado parare vobis locum.* Gualtherus homil LXXXIII. in 1 Cor. *Ni-mium ridiculi sunt, qui ex hoc loco occasionem arripiunt contendendi de corpore quodam spirituali, quod natura sua neque palpabile sit, neque visibile, neque loco certo contineatur.* Scharpius in cursu theolog. loc. XX. col. 1172. *Locus & motus localis tribuitur corporibus in cœlo* Ioh. XIV. 2. cap. XVII. 24. Apoc. XIV. 4. &c. c) Dotem *agilitatis ac subtilitatis* iti-

itidem minus recte explicant, negant enim *Christum resurrexisse clauso sepulchro*, negant ipsum *ad discipulos ingressum clausis ianuis &c.* Zuinglius part. I. resp. ad confess. Luth. p. 465. negat, quod *corpus Christi glorificatum monumenti lapidem ob ignatum transierit, ac lapidem sepulchralem angeli opera devolutum fuisse* adserit, *sicut crassus praetor rubris indutus caligis eo modo, quo Christus monumento exivit, egredi posset.*

An Lutherus vitae aeternae felicitatem in corporeis voluptatibus statuerit?

§. CLXV. 13) *B. Luthero & nostrarum ecclesiarum doctoribus* pontificii tribuunt, quod ipsi quoque in hac doctrinæ cœlestis parte a veritatis tramite aberraverint & quidem dupliciter a) *felicitatem vitae aeternae in corporeis deliciis quaerendo.* Probant ex eo, quod Lutherus in colloquiis ad mensam habitis fol. 454. & 455. sic loquatur: *Deus novam tertam creabit & novam cœlum, quin & nova creabit animalcula & catellos, quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus pretiosis. Non devorabunt se mutuo animalia, ut sunt bufones, serpentes, & id genus alia, quae hic venenata sunt, & nocere solent propter originale peccatum, tum vero nobis non solum innocua erunt, sed & amicabilia & grata, ut cum iis animi causa lusuri simus.* Et postea: *Ibi formicae, ciniphes & omnia foetitia & male olentia animalia meraе delitiae erunt, & optimum odorem spirabunt.* Idem in comm. 1 Petr. 4. *Hic quaeri potest, an credentes in cœlis vel in terris agent, textus hic sonat, quod in terra vivemus, ita ut cœlum & terra novus erit paradisus, in quo Deus habitabit. Nam Deus non solum in cœlis sed omni loco habitat, propter ea etiam erunt, ubi Deus erit.* Resp. cur non addunt etiam epistolam quam de gaudiis paradisi ad filiolum suum Lutherus exaravit? Imitatur vir Dei stylum scripturæ & de statu futuri seculi, qui in cor hominis non adscendit, per quamdam συγκατάβασιν loquitur verbis huius seculi, quod ecclesiæ doctoribus usitatum esse ex Ottone Frisingensi §. 156. audivimus.

An gradus gloriae negaverit.

b) *Gradus gloriae in vita aeterna abolendo.* Becanus part. I. theol. schol. cap. 9. q. 9. *Iovinianus docuit omnes beatos in praemio aequales esse, eundem errorem secutus est Lutherus, cum dixit omnes esse pares b. virgini in sanctitate & meritis coram Deo, inde enim sequitur, esse etiam pares in praemio.* Descripsit hoc, uti solet, ex, Bellarmino libr. IV. de notis eccl. cap. 9. §. Iovinian. Resp. distinguendum inter *regenerationem* ac *renovationem*, inter *gratiam & dona per gratiam*, inter articulum *iustificationis & bonorum operum.* Respectu gratiæ, iustificationis & regenerationis omnes sancti sunt æquales, quia meritum Christi, quod fide amplectuntur, eodemque coram Deo iustificantur, æqualiter ad omnes spectat; sed in respectu renovationis, donorum per gratiam & bonorum operum est inter ipsos sanctos magna inæqualitas, inde etiam *beatitudo essentiales* erit æqualis, interim *praemia accidentalia* & bona accessoria erunt inæqualia. Hanc distinctionem & explicationem tradit ipse Lutherus in post. eccl. Dom. II. Epiphan. in explicat. epist. Rom. 12. *Quantumvis inter se corporis membra omnia imparia sint, & officiis atque dignitate plurimum differt, in eo tamen paria sunt, quod eiusdem corporis membra pariter existunt, neque potest oculus plus iuris in corpore sibi vindicare, quam contemtissimum quodque membrum, neque plus suum esse cor-*

corpus adfirmare, quam cuiuslibet alterius. Ita habet res Christianorum, qualescunque sint, sive firmi fide, sive infirmi, sive consummati moribus, sive morbis gravati tantundem quilibet in Christo & Christianismo possidet quantum alii, unde equidem non minus possum de Christo gloriari, quam d. Petrus aut virgo Deipara. Perplacet sane, d. Petrum nobilius esse in Christi corpore membrum, quam sim ego. At ille rursus me non contemnit, quod sim humilis & abiectus, quandoquidem eiusdem corporis membrum. Agnoscit ipse Bellarminus hanc esse nostram sententiam, unde lib. III. de iustif. c. 16. scribit: *Cum dicunt protestantes, omnes sanctos aeque iustos esse coram Deo, loquuntur de iustitia imputativa, concedunt autem Deum remunerari iustos iuxta opera eorum, sed propter opera, id est, ex meritis operum negant.* Idem iudicium esto de dictis Sarcerii, Georgii Maioris & Spangenbergii, quæ Iodocus Coccius tom. II. thesauri lib. 10. art. 9. nobis obiicit. Ita namque mentem suam clarissime exponit Georgius Maior evang. Domin. Septuag pag. 345. *Quod ad principale & ad summum & ad ultimum bonum & praemium attinet, nihilo plus accipit Moses, Elias, Paulus, Baptista & caeteri praestantissimi viri, quam accipit Zachaeus, mulier peccatrix, Lazarus & alii &c.*

CAPVT VI.

DE FINE VITÆ ÆTERNÆ.

Finis vitae aeternae.

§. CLXVI. Egimus hactenus de causa *efficiente, materia & forma* vitæ æternæ, restat ut ad eiusdem *finem* accessum faciamus. Finis vitæ æternæ docendi causa duplex statui potest. *Principalis* ac *summus* Dei, proximus ac *intermedius* piorum glorificatio, (diversimode tamen accepta, ut ex sequentibus patebit.) Quando enim benignissimus Pater cœlestis animas piorum post mortem in cœlestem gloriam transfert, Luc. XVI. 22. easdemque in die iudicii corporibus restitutas per Christum in cœlestis regni possessionem vocat, Matth. XXV. 34. tunc non solum pios in Christum perseveranter ac finaliter credentes glorificat, Rom. VIII. 30. hoc est, cœlestem gloriam ipsis confert, & hac ratione labores & passiones omnes, quas in hac vita propter ipsum sustinuerunt, plusquam largissime iisdem compensat, 18. sed etiam seipsum glorificat, hoc est, gloriam suam manifestat, unde vita æterna vocatur *gloria Dei*, Rom. V. 2. *aeterna Dei gloria*, 1 Petr. V. 10. Manifestat autem 1) *gloriam immensae misericordiae, bonitatis ac benignitatis*, quod sit summum bonum sui maxime diffusivum ac communicativum. Neque enim cœlesti felicitate solus perfrui voluit, sed etiam creaturas rationales eiusdem participes facere, quas proinde ad imaginem suam creavit. Nec angelos solum, sed etiam homines beatitudinis suæ certo modo, qui in creaturas cadere potest, voluit esse consortes. Nec solum primos homines ad sui imaginem, ac proinde etiam ad æternam felicitatem & gloriam condidit, sed eosdem etiam cum omnibus posteris in peccatum prolapsos per Christum redemit, ut ad cœlestis regni possessionem, cuius iure per lapsum privati erant, iterum adspirari possent, quæ omnia

omnia evidentissima divinæ gratiæ & misericordiæ sunt τεκμηρια. Eph. I. 3. *Benedixit nobis in omni benedictione spirituali in cœlestibus.* v. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta.* v. 6. *In laudem gloriae gratiae*, id est, gloriosæ gratiæ, ut, ipsius gratia ab omnibus collaudetur & glorificetur. II. 5. *Gratia estis salvati.* v. 6. *Consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* v. 7. *Ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae*, τον υπερβαλλοντα πλουτον της χαριτος αυτου εν χρηστοτητι εφ ημας εν χριστω. v. 8. *Gratia enim estis salvati.* Tit. III. 5. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* 1 Petr. I. 3. *Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam* v. 4. *In hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem conservatam in cœlis.* 1 Ioh. IV. 9. *In hoc adparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* II) *Gloriam fidelitatis ac veritatis.* Deus in verbo evangelii credentibus in Christum spiritualia ac cœlestia beneficia offert, seque in plenariam æternæ hereditatis possessionem eosdem introducturum pollicetur, quando igitur hæc paterna promissa ipso opere complet, fidelitatem ac veritatem suam demonstrat. 1 Cor. I. 8. *Confirmabit vos Deus usque in finem sine crimine in die Domini nostri Iesu Christi* v. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis.* X. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis sufferre.* 1 Thess. V. 24. *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.* 2 Thess. III. 3. *Fidelis est Dominus, qui confirmabit vos & custodiet a malo.* 1 Petr. V. 10. *Deus omnis gratiae, qui vocavit vos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, καταρτισαι υμας, στηριξαι θεμελιωσαι.* III) *Gloriam omnipotentiae.* Quos Deus in vita æterna glorificabit, illos ab æterno in Christo ad salutem elegit, Rom. VIII. 30. Eph. I. 6. Hoc Dei consilium ac decretum diabolus per sua organa intervertere, & summum hunc thesaurum salutis credentibus eripere modis omnibus adnititur, quando igitur Deus actu in vita æterna pios glorificat, potentiam suam manifestat. 2 Tim. I. 12. *Scio, cui credidi, & certus sum, quod is possit depositum meum conservare usque ad diem illum.* 1 Petr. I. 5. *Virtute Dei custodimini per fidem ad salutem.* IV) *Gloriam sapientiae.* Deus ab æterno sapientissimum fecit decretum de homine ad imaginem suam ac proinde etiam ad beatam immortalitatem creando, ac quia prævidit hominem satanicis fraudibus deceptum in peccata prolapsurum, ideo ab æterno fecit decretum de redemtione generis humani per Christum Mediatorem, de offerendis eius beneficiis in verbo evangelii omnibus hominibus, de salvantis & glorificandis illis omnibus, quotquot verbum evangelii audiunt, fidem per Spiritus sancti efficaciam ex eo concipiunt, & in fide ad finem usque vitæ perseverant. Quando igitur Deus hoc sapientissimum decretum ultimo glorificationis actu complet, sapientiam suam ipso facto demonstrat. Eph. III. 9. *Illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo.* v. 10. *Ut innotescat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientiae Dei.* V) *Gloriam iustitiae*, Quos Deus in vita æterna glorificabit, illos in hac vita cruci subiicit, *ut conformes fiant imagini filii sui*, Rom. VIII. 29. *Ut per multas tribulationes ingrediantur in regnum cœlorum*, Act. XIV. 22. Ut sint *consortes* συγκοι-

νοσοι in tribulatione & regno, Apoc. I. 9. Quando igitur Deus pios ex omnibus calamitatibus liberatos in cœleſtem gloriam transfert, & glorificato Chriſti corpori ipſorum corpora conformia efficit, contra vero diabolum & omnes piorum hoſtes debitis pœnis adficit, iuſtitiam ſuam ipſo opere demonſtrat. 2 Theſſ. I. 5. *Suſtinetis perſecutiones ac tribulationes in exemplum iuſti iudicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*: v. 6. *Siquidem iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant.* v. 7. *Vobis autem, qui tribulationem ſuſtinetis, requiem nobiſcum in revelatione Domini Ieſu de cœlo.* 2 Tim. IV. 8. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa.* Hæc divinæ benignitatis, veritatis, potentiæ, ſapientiæ & iuſtitiæ meditatio omnibus beatis erit æterna divinæ laudis ac glorificationis materia, ut ſic quemadmodum Deus *erit omnia in omnibus*, 1 Cor. XV. 28. *per cœleſtis gloriae collationem*, ita quoque ſit omnia in omnibus *per divinae gloriae celebrationem*, 2 Theſſ. I. 10. *cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui credi-derunt.* Tunc omnes beati læti & exſultabundi exclamabunt: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini in civitate Dei noſtri*, Pſal. XLVIII. 9. Tunc ad cœleſtem Salomonem Chriſtum quilibet beatus dicet: *verus eſt ſermo, quem audivi in terra* (peregrinationis meæ) *de rebus tuis & de ſapientia tua, & non credebam*, (plene & perfecte) *donec ipſe veni & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi non fuerit nunciata, maior eſt ſapientia & bonum quam rumor, quem audivi. Beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* 1 Reg. X. 6. 7. & 8. Sic ergo finis vitæ æternæ reſpectu *Dei* eſt, ut ſuam gratiam erga electos reipſa comprobet, ac fructus τῆς λυτρωσεως a Chriſto præſtiti ipſis conferat; reſpectu *electorum*, ut beneficia Dei perfecte cognoſcant, percipiant ac celebrent; ut perfectam imaginis divinæ reſtitutionem ac renovationem recipiant, ac omnium ærumnarum & laborum remunerationem largiſſimam accipiant.

CAPVT VII.

DE OBIECTO VITÆ ÆTERNÆ.

Obiectum vitae aeternae.

§. CLXVII. *Obiectum vitae aeternae* proprium & adæquatum ſunt: 1) *angeli*, qui in concreata integritate ſtabiles permanſere & in ſancta erga Deum obedientia perſtitere; 2) *homines finaliter & perſeveranter in Chriſtum credentes*, ut ſuperius §. 45. ex multis ſcripturæ dictis manifeſtum fecimus. Notandum vero circa obiectum vitæ æternæ reſpectu generis humani conſideratum: 1) *paucos ex genere humano dici ſalvandos.* Sane ſi electi *in ſe & abſolute* conſiderentur, numerus eorum eſt ſatis amplus. Apoc. VII. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis ſtantes ante thronum & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis & palmae in manibus eorum.* Sed ſi *comparate*, facta ſcilicet collatione cum cœtu damnatorum, conſiderentur, ſunt & dicuntur pauci; abſque ulla igitur contradictione ſcriptura adſerit, *multos*

ab

ab oriente & occidente venturos, & cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cælorum accubituros, Matth. VIII. 11. & *paucos esse, qui salvantur*, Luc. XIII. 23. *portam esse angustam & viam arctam, quae deducit ad vitam, & paucos esse qui inveniunt eam*, Matth. VII. 14. Luc. XIII. 24. *multos esse vocatos, paucos vero electos*, Matth. XX. 16. XXII. 14. Causa illius paucitatis non quærenda in absoluto quodam reprobationis decreto, quo Deus maximam humani generis partem absoluto quodam & omnium causarum respectum antegresso odio a se reiecerit, & æternis flammis adiudicarit, sed in propria hominum pereuntium culpa, quia scilicet media salutis repudiant, *Spiritui sancto resistunt, consilium Dei spernunt ac seipsos vita aeterna indignos iudicant*, Actor. VII. 51. Luc. VII. 30. Act. XIII. 46. *Angusta est salutis porta*, quia ostium est solus Christus, Ioh. X. 7. a maxima hominum parte spretus & contemtus, quia hæc porta est rationi humanæ penitus ignota, quia homines nolunt deponere sarcinam & pondus peccatorum sibi adhærentium, ut per hanc portam ingredi possint, quia veræ pietatis semita est carni nostræ ingrata, veteri homini videtur laboriosa ac difficilis, quia ingressuros hanc portam & viam oportet abnegare seipsos, adfectibus vitiosis resistere, crucem suscipere, carnem cum suis concupiscentiis crucifigere, denique quia multi suis confidunt operibus, ac per propria merita ingredi quærunt &c. Prosper in sent. August. epigr. CXCI.

Arcta via est, verae quae ducit atria vitae,

Nec recipit carnis gaudia mentis iter.

Amplis incedit spatiis terrena voluptas.

Angusto virtus limite celsa petit.

II) Salutem hominibus vere & perseveranter in Christum credentibus offerri & conferri *sine ullo gentis externae, conditionis ac sexus respectu.* Prius constat ex his dictis: Matth. VIII. 11. Luc. XIII. 29. *Multi venient ab oriente & occidente & cum Abrahamo recumbent in regno cælorum.* Act. X. 34. *Deus non est acceptor personarum* v. 35. *Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, carus est illi.* Rom. II. 10. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum Iudaeo primum & Graeco.* v. 11. *Non enim personarum acceptio est apud Deum.* Gal. III. 28. *Non est Iudaeus nec Graecus, nec est servus nec liber.* Col. III. 11. *Non est gentilis & Iudaeus, circumcisio & praeputium, barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.* Apoc. VII. 9. *Vidi turbam ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis &c.* Posterius patet ex Gal. III. 28. *In Christo non est masculus nec fœmina.* 1 Petr. III. 7. mulieres vocantur *coheredes gratiae vitae*, id est, vitæ æternæ, quæ ex gratia credentibus in Christum datur. III) *Finaliter in Christum credentes & omnes & solos fieri salvos.* Reciprocæ igitur sunt propositionis. Vere & finaliter in Christum credentes salvantur, & quotquot salvantur, illi vere & finaliter in Christum credunt. Vicissim increduli damnantur, & quotquot damnantur, non credunt in nomen unigeniti Filii Dei. Ioh. III. 16. Marc. XVI. 16. &c. Quia enim vitam æternam dedit nobis in Christo 1 Ioh. V. 12. ideo etiam, qui fide Christum amplectitur, vitam habet, *qui vero incredulus est Filio, super ipsum manet ira Dei*, Ioh. III. 36. Proinde ut ἀδυνατον est, absque Dei mi-

sericordia quemquam salvari, ita quoque αδυνατον est, extra Christum fide adprehensum quemquam salvari, quia vitam æternam non nisi in Christo, per Christum & propter Christum Deus donare constituit, in Christo autem nemo esse potest nisi per fidem. Vicissim sicut αδυνατον est, quemquam salvari absque vera in Christum fide: ita quoque αδυνατον est, aliquem vere & finaliter in Christum credentem damnari, quia vita æterna est in Christo, qua de re alibi plenius agitur. IV) *Vere & finaliter in Christum credentes in sacris literis describi tum a priori, tum a posteriori.* A priori dupliciter, primo *per electionem ab aeterno in Christo factum.* Quotquot enim in tempore vere, finaliter ac perseveranter in Christum credunt, illi & omnes & soli ab æterno ad vitam sunt electi, hinc profluunt illa scripturæ oracula: Act. XIII. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam.* Eph. I. 3. *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* v. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta.* Apoc. XXI. 27. *Non introibit in cœlestem Hierosolymam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae*, id est, sed illi soli, qui scripti sunt in libro vitæ, sive qui sunt electi; quia particula ει μη hoc loco non tam *exclusive* quam *adversative* usurpatur, quo modo apud Hebræos לא אם ac כי אם interdum usurpantur. Confer Genes. XXIV. 38. 2 Reg. V. 17. Esai. LIX. 2. & ex nov. test. Matth. XII. 4. Luc. IV. 27. Ioh. V. 19. XVII. 12 &c. Huc referri possunt omnia scripturæ dicta, quæ testantur electos & omnes & solos salvari. Dan. XII. 1. *Salvabitur omnis populus, qui inventus fuerit scriptus in libro* scilicet vitæ per æternam electionem, Matth. XXIV. 24. *Seducerentur, si fieri posset, electi.* Ioh. X. 28. *Oves meas nemo rapiet ex manibus meis.* Rom. VIII. 29. & 30. *Quos praescivit, eos etiam praedestinavit & glorificavit.* XI. 7. *Electio adsecuta est.* 2 Tim. II. 19. *Firmum stat fundamentum Dei, Dominus novit, qui sunt sui.* Unde electi sic describuntur, quod *maneant in domo Domini*, Psal. XXIII. 6. quod *inhabitent in atriis Domini*, LXV. 5. quod *in atriis domus Dei virebunt*, XCII. 14. &c. Secundo *per veram ad Deum conversionem ac pœnitentiam.* Vera enim fides non habet locum in corde impœnitente, sed eius anteambulo est contritio, peccatorum agnitionem, eorumdem detestationem complectens, ad quam accedens vera in Christum fides σωτηριον και αμεταμελητον pœnitentiam ac salutarem ad Deum conversionem absolvit, hinc profluunt illa scripturæ oracula, in quibus vere ad Deum conversis ac pœnitentibus vita æterna promittitur: Esai. XLV. 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terrae.* Ezech. XVIII. 23. XXXIII. 11. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Luc. XIII. 3. & 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ergo a contrario sensu per veram pœnitentiam pœnæ temporales & æternæ averti possunt. Act. XI. 18. *Ergo & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam?* XXVI. 18. *Mitto te aperire oculos hominum, ut convertantur a tenebris ad lucem & de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum & sortem inter sanctos.* A posteriori describuntur credentes per vitæ emendationem ac studium bonorum operum. Vera enim fides non est otiosa, sed exserit se per fructus, qui sunt duplicis generis, quia per veram pœnitentiam & fidem *declinamus a malo, & facimus bonum*, Psal. XXXIV.

15.

15. *quieſcimus perverſe agere, & incipimus benefacere*, Eſai. I. 16. & 17. Bona opera iuxta duas legis divinæ tabulas vel iuxta triplicem obiectorum ſeriem diſtingui poſſunt, quia vera fides efficax eſt per *caritatem erga Deum & proximum*, Gal. V. 6. atque efficit ut vivamus ευσεβως reſpectu *Dei*, σωφρονως reſpectu *noſtri*, δικαιως reſpectu *proximi*, Tit. II. 12. Hinc profluunt illa ſcripturæ oracula, in quibus vita æterna promittitur tum *in genere* pie viventibus ac bona operantibus; Prov. XI. 30. *Fructus iuſti lignum vitae.* Matth. VII. 21. *Qui facit voluntatem Patris cæleſtis, intrabit in regnum cœlorum:* Rom. II. 10. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Gal. VI. 8. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam aeternam.* 1 Tim. VI. 18. *Divitibus praecipe bene agere, divites fieri in operibus bonis &c.* v. 19. *Theſaurizare ſibi fundamentum bonum, ut adprehendant vitam aeternam.* Tum *in ſpecie* Deum invocantibus, Ioel. II. 32. Act. II. 21. Rom. X. 13. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit;* verbum confitentibus, Matth. X. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Rom. X. 10. *Ore fit confeſſio ad ſalutem;* proximo benefacientibus, Pſalm. XLI. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum.* Matth. XXV. 35. *Poſſidete regnum, eſurivi enim & dediſtis mihi cibum.* Luc. XIV. 12. *Cum facis convivium, vocæ pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris &c. retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Gal. VI. 9 *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deſitienter* v. 10. *Ercum tempus habemus, operemur bonum erga omnes.* Cæterum quia in via huius vitæ piis multa obveniunt adverſa, quæ patienter toleranda, ideo crucem patienti & æquo animo ferentibus tribuitur vita æterna. Act. XIV. 22. *Per multas tribulationes &c.* Rom. VIII. 17. *Heredes ſumus, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* 2 Cor. IV. 17. *Momentaneum & leve tribulationis noſtrae aeternum pondus gloriae parit.* 2 Tim. II. 12. *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Apoc. I. 9. *Particeps in tribulatione & regno.* Quia adverſus carnem, mundum ac ſatanam ipſis pugnandum, ideo vincentibus promittitur corona vitæ & gloriæ. 2. Tim. II. 5. *Qui certat in agone, non coronatur, niſi legimite certaverit.* IV. 7. *Bonum certamen certavi, nunc repoſita eſt mihi corona iuſtitiae.* Apoc. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitae.* v. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte ſecunda.* v. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum.* v. 26. *Qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper gentes.* III. 5. *Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis.* v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* v. 21. *Qui vicerit, ei dabo ſedere mecum in throno meo.* XXI. 7. *Qui vicerit, hereditabit haec omnia.* Denique quia non ſufficit in via Domini incipere, ſed oportet, ut accedat perſeverantia, quæ ſola coronatur, ideo perſeverantibus vita æterna adſcribitur. Matth. XXIV. 13. *Qui perſeveraverit uſque ad finem, ſalvus erit.* Rom. II. 7. *Qui per tolerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quaerunt vitam aeternam.* Apoc. II. 10. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.* Quamvis vero ſalvandi a ſtudio bonorum operum deſcribantur, nequaquam tamen ſtatuendum, quod bona opera ſint cauſa ſalutis meritoria, ſed diſtinguendum inter *ſubiecti*, id eſt, ſalvandorum *deſcriptionem*, & *cauſam ſalutis*, ut ſuperius §. 46. plenius monuimus.

§. CLXVIII. Antithesis. I) *Origenes* hom. X. in Lev. disputat, *eos qui crediderunt quidem, sed nihil emendationis adhibuerunt, salvari quidem, sed non sine infamiae nota.* Idem *damnatos tandem liberandos & cœlestis gloriae participes reddendos* opinatus est, ut ostendimus tract. de inferno §. 62. II) Ex *pontificiis* quidam gentilibus vera in Christum fide destitutis salutem tribuunt. Monachus quidam Francisc. in conc. Trid. anno 1552. pro suggestu docuit, *gentiles etiam sine cognitione Christi salvatos fuisse*, referente Schleidano lib. XXIII. Idem placuit Andradio Payvæ in defens. conc. Trid. Theobaldo Tammero, Galeoto Martio, Isengrino in expos. evang. Dom. Septuag. Ioh. Bapt. Fiklero in lib. cui titul. *Rettung der Concilien* pag. 75. Erasmo in præf. Tuscul. Ludov. Vivi, Ambr. Catharino in com. 1 Tim. 4. Pererio disp. XVIII. in c. 1 Rom. III. Idem dogma placuit quibusdam *Calvinianis*. Zwinglius in expos. fid. p. 159. Numam, Aristidem, Socratem &c. inter beatos cœlites collocat, cuius patrocinium suscepit Rudolph. Gualterus ipsius gener in apol. edita anno 1545. Bullingerus istum Zwinglii fœtum præfatione quadam ornavit, in qua eum vocat *cygnaeam cantionem. Horrendum* illud *Zwinglii effatum* (uti Bucerus in data ad ipsum epistola recte adpellitat) partim defendere, partim excusare conantur Embdenses in commonef. de libro D. Hunn. p. 416. Sohnius in exeg. Aug. conf. tom. II. p. 828. Tossanus in scripto cent. Marbach. Paræus in iren. p. 245. Pelargus in comp. theol. correcto p. 289. *sed* argutiis per quam frivolis, uti demonstratum fuit disp. VI. de glor. Dei th. 25. Argumenta huic profanæ opinioni opponenda exposuimus in prælect. de Deo tract. I. c. 5. Huc referendus etiam alter Calvinianorum error, quo *infantibus etiam baptizatis fidem prorsus derogant*, ex quo consequens est, aut omnes omnino infantes damnari, aut quosdam homines sine fide in Christum salvari, quorum utrumque scripturis e diametro adversatur. Calvinus lib. IV. instit. c. 16. §. 20. *Parvuli baptizantur in futuram fidem.* Sibrandus Lubertus in comm. ad. 99. errores Vorstii p. 780. scribit, *Deum decreviſſe aliquot infantes servare, qui quamdiu in hoc mundo peregrinantur, neque crediderunt, neque credunt, neque credituri sunt.* Piscator in c. 19. Mat. observ. 11. *Infantium potest esse regnum cœlorum, etiamsi nondum credant, dummodo sint electi.* Item *fidem in scriptura nusquam requiri nisi ab adultis.* Confer tract. de bapt. §. 225. &c. IV) Franciscus Puccus Filidin. anno 1592. scriptum edidit, *de Christi Servatoris efficacitate in omnibus ac singulis hominibus, quatenus homines sunt*, in quo inter cætera opinionum portenta etiam ethnicis extra ecclesiam cœlum promittit, cui venenato scripto solidam refutationem opposuit D. Luc. Osiander. V) Photinianos hanc amplecti hypothesin, *quod quilibet in sua religione, quamcunque etiam amplexus fuerit, salvari possit, sive sit Iudaeus, sive Turca, sive Anabaptista sive Arianus, sive Christianus*, ostendit Georg. Zarnovecius Polonus in præfat. scripti cuiusdam Polonici antisociniani a Conrado Nubero Dan-

Antithesis.
I) Origenis,
II) pontificiorum,
III) Calvinianorum.
IV) Franciſci Pucci.
V) Photinianorum.

ti-

tiſcano in Latinum ſermonem converſi & Dantiſci anno 607. editi. Confer prælect. de Socinianiſmo in cap. de harm. Calv. & Photinianorum.

CAPVT. VIII.

DE SVBIECTO VITÆ ÆTERNÆ.

Subiectum beatitudinis.

§. CLXIX. *Subiectum* beatitudinis eſt primo quidem *anima* cuiusque pii a corpore per mortem ſeparata, poſtea vero *totum compoſitum*, poſtquam ſcilicet in die iudicii eadem fuerit corpori reſuſcitato divinitus unita, & in conſortium cœleſtis gaudii traducta. Cauſæ, propter quas *etiam corpora* piorum Deus voluerit eſſe præmiorum æternorum una cum animabus conſortia, ut & *dotes glorificatorum corporum* expoſuimus ſuperius. Dionyſius in eccl. hierarch. c. 7. *Coſta ſanctarum animarum corpora, cum quibus una & vitae mortalis iter egerunt, & ſimul deſcripta ſunt, ſimulque certarunt, pro ſacris ſudoribus ſuis in animarum immutabili ſecundum divinam vitam firmitate ac fede reſurrectionem quoque una recipient propriam. Inſerta enim animabus ſanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, ut Chriſti effecta membra divinam atque immortalem beatamque recipient requiem.*

CAPVT IX.

DE ADIVNCTIS VITÆ ÆTERNÆ.

Adiuncta vitae aeternae.

§. CLXX. *Adiuncta* vitæ æternæ docendi cauſa ſtatui poſſunt *tempus & locus ἀκυρολογῶς* ſic dicta, proprie enim loquendo vitæ æternæ nec tempus nec locus, inferioris huius hemiſphærii & præſentis duntaxat ſeculi accidentia, competunt.

Tempus.

Locus vbi agitur de cælo empyraeo.

De *tempore* vitæ æternæ tam *inchoationis* quam *durationis* reſpectu diximus ſuperius. *Loci* nomine intelligimus illud πᾶ beatorum, in quo una cum angelis & omnibus electis cœleſtium bonorum participes reddentur, quod a πᾶ damnatorum diſtinctum eſſe concedimus, interim addimus, nec quidditatem, nec qualitatem, nec ſitum eiusdem in hac naturæ caligine a nobis penetrari vel explicari poſſe. Scholaſtici plerique & eos ſecuti Ieſuitæ ac Calviniani diſputant *de cælo empyraeo, quod ſit lucidiſſimum & ampliſſimum domicilium adſpectabiles cœlos proxime cingens & ambiens, in quo beati localiter obambulent, & bonis divinitus ſibi conceſſis perfruantur.* * Bruliſer lib. II.

* Comp. theol. verit. lib. II. cap. 4. *Cælum empyraeum eſt beatorum ſpirituum habitaculum, & ſpecialiter ſedes Dei vocatur.* Becanus de purgat. Calviniſt. in addend. c. 1. n. 3. p. 44. *Henoch & Elias non ſunt mortui ſed vivi, nec in cælum empyraeum, quod beatorum ſedes eſt, ſed in alium locum translati.* Lampadius cenſ. vbiq. pag. 76. *Hic probandum nobis inſent.*

cumbere videtur, paradiſum ſupra firmamentum eſſe conſtitutum. Cum autem longum eſſet patrum ſententias excutere, Magiſtrum ſententiarum audiamus lib. II. diſt. 2. &c. Martinius in confeſſ. brevi p. 36. *Chriſtus occupavit cælum ut locum, cælum ſuſcepit Chriſtum ut locatum. Chriſtus ſuſcipitur a cælo ut loco & regio palatio.*

sent. dist. 2. q. 7. tres ponit persuasiones, propter quas cœlum empyræum statuatur. *Persuadet* (inquit) *ad hoc ratio finis triplex. Una est perfectio universi. Altera propter motum firmamenti. Tertia principalis propter habitationem hominis beati.* Petrus Martyr in dial. de Pantach. *Ultra firmamentum, quod octavum orbem nostri faciunt, est regio felicissima, ubi corpus Christi degit, & sancti sua loca, sua sedes & mansiones cum habent, tum post resurrectionem sunt habituri.* Ursinus in comp. doct. Christ. p. 345. *Locus beatorum est spatium illud immensum, lucidissimum, gloriosum, extra & supra totum hunc mundum & cœlum spectabile, in quo Deus se patefecit beatis angelis & hominibus.* Sohnius disp. de creat. tom. I. operum p. 114. *Tertia cœli pars seu regio est sedes beatorum spirituum & hominum, quae a sideribus ad aquas illas superiores patet.* Martinius in incis. p. 36. *Locus cœli est proxime supra firmamentum.* Sed huic temerariæ adsertioni opponimus sequentia fundamenta: 1) *cognitionis denegationem.* Esai. LXIV. 4. 1 Cor. II. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus se diligentibus.* Atqui si cœlum beatorum esset locus visibili firmamento proxime incumbens, facili negotio in cor hominis adscendere posset, quid Deus amicis suis præparaverit. Non est, quod excipiant, *de statu duntaxat beatitudinis, non autem de statu cœli, in quo beatitudinis participes reddemur, apostolum loqui;* utrumque enim simul complectitur, ac utriusque cognitionem exactam nobis in hac vita denegat. Situs ad ipsum statum pertinet, & est illius quædam circumstantia. Quemadmodum ex eo, quod nescimus statum primi hominis ante lapsum, recte infertur, quod situm terreni paradisi ignoremus, si de adcurata notitia sermo sit: ita quoque ex eo, quod statum vitæ æternæ nescire dicimur, recte concluditur, quod situm cœlestis illius paradisi nesciamus. 2) *Apostoli moderationem.* Paulus cum in tertium cœlum raperetur, *nescivit an ipsius anima esset in corpore, an extra corpus*, 2 Cor. XII. 3. Atqui si cœlum beatorum determinate & præcise esset proxime supra firmamentum, facile scire potuisset, animam suam tunc fuisse extra corpus. Idem in hoc suo raptu dicit *se audivisse ἀῤῥητα, quae non liceat homini eloqui*, v. 4. ergo non iudicavit de statu ac situ cœlestis vitæ pronunciandum esse ex ratione humana, sed ex revelatione divina. 3) *Salvatoris adsertionem. Angeli infantum*, hoc est, destinati ac deputati ministerio infantum in cœlis *semper vident faciem Patris, qui in cœlis est*, Matth. XVIII. v. 10. Atqui si cœlum definitur loco quodam corporeo a terris remotissimo visibile firmamentum proxime ambiente, quomodo angeli pusillis in terra infervientes vident faciem Patris in cœlo? Non caret peculiari emphasi, quod Christus το *in cœlis* bis repetit dicens, *angelos in cœlis videre faciem Patris, qui in cœlis est.* Utique ergo angeli sunt in cœlo, quando in terris ministeria sua peragunt, & Deus est in cœlo, quando in terra præsens est. 4) *Inferni oppositionem.* Scriptura ut cœlum verbis locum superiorem significantibus, ita infernum verbis locum inferiorem exprimentibus ratione nostri captus describit. Iam vero ex illa inferni descriptione colligi non potest, nec debet, quod infernus sit in centro terræ, ut in tract. proxime præced. §. 86. ostendimus. Ergo etiam ex illis cœli descriptionibus colligi nequit, quod cœlum sit supra firmamen-

mentum proxime eidem incumbens. 5) *Visibilium cælorum conflagrationem.* 2 Petr. III. 7. οἱ νῦν οὐρανοὶ, *cæli, qui nunc sunt, reservantur igni in diem iudicii.* v. 10. *In die Domini cæli magno fragore transibunt.* v. 12. *Cæli igne solventur.* Atqui si cœlum beatorum proxime incumbit firmamento, metuendum, ne fulcro illo subruto etiam ipsum collabatur, neve ex ignis vehementia immodicum calorem contrahat. Cœli creati omnes in die iudicii *transibunt ac peribunt*, Psal. CII. 27. Apoc. XX. 11. XXI. 1. *Exspectamus autem novos cælos ac terram novam, in quibus iustitia habitat*, Esai LXV. 17. 2 Petr. III. 13. Apoc. XXI. 1. Ergo iuxta Spiritus sancti definitionem cœlum beatorum est novum cœlum plenum iustitia, maiestate & gloria. 6) *Absurdorum consecutionem.* Si cœlum beatorum est corporeum aliquod domicilium proxime firmamentum ambiens, dubitandum erit, an Christus sit supra nos vel infra nos, vel ad latus, propter rotunditatem machinæ cœlestis; melioris conditionis erunt aves, quippe beatorum cœlo propiores, quam pii homines; beati, qui in una cœli extremitate mansionem suam habent, ad alios in altera extremitate habitantes raro ac tarde commeabunt propter maximam utriusque distantiam, ac si Christus in una cœli extremitate versetur, reliquis beatis in altera parte opposita degentibus suavissimo ipsius conspectu & colloquio carendum erit, & quæ sunt huius generis alia, quæ ex puerili illa de cœlo beatorum cogitatione colligi possunt. Si cœlum beatorum, in quo Christus visibiliter & localiter iuxta adversariorum hypothesin versatur, imo eodem concluditur, est ultra & supra omnes orbes cœlestes, quomodo Stephanus intentis in cœlum oculis per tantum intervallum *Iesum stantem a dextris Dei videre* potuit? Act. VII. 55. 7) *Ipsorum adversariorum confessionem.* Bielis lib. II. sent. dist. 14. q. un. artic. 3. *Cœlum empyraeum non videtur positum nisi auctoritate Strabi, Bedae & Basilii.* Et Thomas part. I. q. 66. art. 3. *Habeant Strabus, Beda, Basilius rationes, sed non sunt multum cogentes.*

§. CLXXI. Quæ in contrarium adferuntur, facilem habent explicationem, modo observentur ea, quæ de τῷ πῦ damnatorum diximus in tractat. de inferno §. 85. *Scriptura*, inquiunt, *cœlum beatorum definit per locum superiorem, dicit illud esse sursum, describit per varias mansiones, vocat domum Dei, thronum Dei, civitatem habentem fundamentum, patriam sanctorum, tertium cœlum respectu aërei & aetherei, cœlum cœlorum, quia est supra omnes cœlos, altum, altissimum, excelsum, e cœlo in terram adserit descendi, & a terra in cœlum adscendi, Enoch, Elias & Christus adscendentes in cœlum localiter e terra sunt sublati, prophetae, Iohannes baptista, Stephanus, Petrus cœlos apertos & introspexerunt in beatam cœli empyraei luxem, quae est supra visibiles cœlos &c.* Ad hæc & similia, quæ magno numero cumulare solent, respondemus 1) nos haud invitos concedere, quod beatum illud πῦ, in quo Deus gloriam suam angelis & beatis hominibus communicat, non sit ubique, sed a τῷ πῦ damnatorum revera distinctum; interim addimus, non posse præcise & certo definiri in huius vitæ caligine, quæ sit illius quidditas, qualitas vel situs. 2) Quando cœlum beatorum describitur per nomina *domus, tabernaculi, paradisi, domicilii, civitatis &c.* tum eiusmodi descriptiones μεταφορικῶς ac κυριικῶς sunt accipiendæ, quia est do-

mus αχειροποιτος, 2 Cor. V. 1. est paradisus non corporeus & terrenus, sed spiritualis & cœlestis, nisi etiam ex descriptione gaudiorum cœlestium per *convivia & nuptias* quis colligere velit, in cibo & potu futuræ vitæ beatitudinem consistere, ac corporales *gemmas*, *aurum*, *margaritas*, in cœlesti Hierosolyma somniare. 3) Sicut prophetæ vet. test. describunt regnum Messiæ in nov. test. futurum vocabulis ex usu, Mosaicarum ceremoniarum desumtis, nec tamen ex eo licet inferre, ritus Mosaicos in nov. test. adhuc duraturos: sic prophetæ & apostoli tam *statum* quam *situm* cœlestis Hierosolymæ describunt verbis ex usu consuetudine huius seculi petitis, nec tamen ex eo licet colligere, cœlum beatorum fore locum aliquem corporeum, tabernaculum & domicilium materiale &c. Nimirum Deus nobis condescendens ανθρωπινως loquitur, quæ sunt θεοπρεπως και αρχυοπρεπως intelligenda. 4) Ipsi Deo scriptura *locum* aliquem superiorem tribuit, eumque in peculiaribus manifestationibus suis *descendere* adserit, Gen. XI. 5. Esai. XXVI. 21. Oseæ V. 15. Mich. I. 3. nemo tamen propterea corporeum aliquem locum Deo tribuere debet, nemo ex eo inferre debet, Deum descendere locum mutando, ac ratione essentiæ suæ antea ab illo remotum fuisse. Athanasius in orat. contra regales Sabellii: *Is qui dicit, cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum, non pro loco domicilii cœlum adsortitur Domino & hominibus terram, sed excellentiam Dei, magnificentiamque oculis subiicit.* Augustinus lib. II. de ser. Domini in monte tom. IV. col. 1144. *Si in cœlis tanquam superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior.* Et postea: *Convertimur in precibus nostris ad orientem, unde cœlum surgit, non tanquam ibi sit Deus, & quasi caeteras mundi partes deseruerit, qui ubique praesens est non locorum spatiis, sed maiestate potentiae &c.* Idem lib. I. de serm. Dom. in monte: *Non hic cœlos dici puto superiores partes huius visibilis mundi. Non enim merces nostra, quae inconclusa & aeterna esse debet, in rebus volubilibus & temporalibus collocanda est, sed in cœlis dictum puto in spiritualibus firmamentis, ubi sempiterna habitat iustitia.* Lib II. de pecc. orig. contra Pelag. & Cœlest. cap. 23. *Quot sint cœli, in quorum tertium raptum se testatur apostolus, scire volentium impudens est inquisitio, cum apostolus salva fide ipse nesciat.* 5) Verbis locum significantibus scriptura rei statum describere convenit, ut superius aliquot exemplis confirmavimus. Augustinus lib. LXXXIII. quæst. q. 29. *Ea, quae sursum sunt, sapere iubemur spiritualia scilicet, quae non locis & partibus huius mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiae suae.* 6) Cœlum beatorum scriptura respectu nostri *sursum* esse adserit, sed quod sit spatium aliquod corporeum cœlos adspectabiles circulariter & undiquaque ambiens, illud vero nuspiam innuit. 7) Quid per *tertium cœlum*, in quod sese raptum esse apostolus memorat, intelligendum sit, exposuimus superius §. 8.

CAPVT.

CAPUT X.

DE COGNATIS ET PVGNANTIBVS VITÆ ÆTERNÆ.

§. CLXXII. *Cognata* vitæ æternæ sunt 1) *beneficia corporalia*, quæ Deus in hac vita omnibus hominibus confert, ut per illa ad futuræ vitæ desiderium omnes invitet. Act. XVII. 25. *Dat omnibus vitam & inspirationem & omnia*, v. 27. *ut quaerant Deum.* Augustinus in enarr. Ps. LXXXV. *Bona cogitate & considerate fratres, quæ dat Deus peccatoribus, & hinc intelligite, quid servet suis servis. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem. Haec omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hoene de illo sentiendum est, quia qui talia malis dat, nihil servat bonis? imo vero servat non terram, sed cælum. Vilius forte aliquid dico, cum dico cælum, sed seipsum, qui fecit cælum. Pulchrum est cælum, sed pulchior est fabricator cæli &c.* Idem lib. XXII. de civ. Dei cap. 21. *De donis eius, quae in hac vita aerumnosissima bonis malisque largitur, ipso adiuvante coniiciamus, ut possumus; quantum sit illud, quod nondum experti, utique digne eloqui non valemus.* Exclamemus igitur ad corporalium illorum beneficiorum intuitum. O Domine si tanta facis in carcere, quanta facies in palatio? si tanta bona confers in vestibulo, quanta servas in atrio? 2) Cumprimis vero *beneficia illa spiritualia*, quæ per verbum evangelii Deus in hac vita nobis confert, quæ sunt remissio peccatorum, iustificatio, adoptio, Spiritus sancti donatio, illuminatio, renovatio, sanctificatio &c. illa enim sunt veluti *primitiae* quædam cœlestis hereditatis, quæ nobis post hanc vitam reservatur. 3) *Tranquillitas conscientiae*, de qua Bernhardus de inter Dom. c. 22. col. 1210. *Futurae beatitudinis non utilius remedium nec certius testimonium bona conscientia.* Isidorus lib. III. de summo bono c. 16. *Qui mundum oderunt, nec eum sequuntur, internae tranquillitatis quiete fruentes futurae pacis requiem, quam illic exspectant, hic quodammodo habere iam inchoant.* 4) Cumprimis vero illud προγευσμα ac προποτισμα *futurae beatitudinis*, quod Spiritus sanctus in cordibus credentium etiam in hac vita operatur. Heb. VI. 4. Lutherus tom. IV. in Genes. XLV. p. 143. *Qualis nunc laetitia est, quando Deus vel exiguam guttulam consolationis per verbum exhibet adflictis & tentatis. Longe igitur maius & inenarrabile gaudium erit, ubi Deus omnis consolationis revelabit, totumque se effundet nobis in vita aeterna.* Pugnantia sunt 1) *Epicuraea securitas* eorum, qui vitam æternam negant. 2) *Haeretica pravitas* eorum, qui ορθοδοξιαν huius articuli corrumpunt. 3) *Extrema damnatorum miseria & infelicitas.*

Cognata vitae aeternae.

CAPVT. XI.

DE VSV DOCTRINAE DE VITA ÆTERNA.

Vſus. §. CLXXIII. *Vſus* huius articuli eſt 1) *theoreticus*, 2) *practicus*. Theoreticus eſt, 1) διδασκαλικος, 2) ελεγκτικος. *Didaſcalicus* uſus in eo conſiſtit, ut doctrinam de vita æterna & ſempiternis beatorum gaudiis ex verbo Dei ſummo ſtudio addiſcamus, & fidem noſtram adverſus mundi irriſiones & carnis noſtræ dubitationes ſolida huius articuli cognitione probe muniamus. *Elenchticus*, ut Epicuræorum & empæctarum vitam æternam negantium furores deteſtemur, ac corruptelas eorum, qui orthodoxam huius articuli doctrinam pervertunt, armis ex Spiritus ſancti officina petitis fortiter debellemus, Epicuræis & atheis occinentes illud Cypriani contra Demetrian. *In aeternam pœnam ſero tandem credent, qui in aeternam vitam credere noluerunt.* *Practicus* uſus eſt vel *generalis* vel *ſpecialis*. *Generalis*, ut huius noviſſimi omnibus vere piis & perſeveranter in Chriſtum credentibus promiſſi perpetuo memores a viſibilibus ad inviſibilia, a præſentibus ad futura, a momentaneis ad æterna, a terrenis ad cœleſtia, a corporalibus ad ſpiritualia, ab humanis ad divina oculos & animos noſtros convertamus, ac piorum veterum exemplo articulum de bonis & gaudiis vitæ æternæ quotidiana meditatione nobis familiarem reddamus. Neque enim ſine eo doctrina de cœlo beatorum & vita æterna in ſacris literis nobis proponitur, ut ſimus tantum *theoretici* de loco cœli, de viſione beatifica, de proprietatibus corporum glorificatorum &c. nude & otioſe diſputantes vel etiam contendentes; ſed ut ſimus etiam *practici*, ac promiſſa vitæ æternæ gaudia ſingulis diebus, imo horis, imo momentis expendentes viam, quæ ad vitam illam nos ducit, arcte teneamus, & ab omnibus, quæ remoram nobis iniicere vel ab ingreſſu in vitam æternam revocare poſſunt, ſtudioſe caveamus. 2 Cor. IV. 18. vere pii ab apoſtolo ſic deſcribuntur, quod non *conſiderent τα βλεπομενα*, ſed *τα μη βλεπομενα*. Quidam veterum, quibus uteretur in quotidiano ſtudio libris interrogatus, pie reſpondit, *ſe evolvere quotidie librum aliquem, cuius tria folia, rubrum, nigrum & candidum.* In rubro *paſſionem Dominicam;* in nigro *damnatorum ſupplicia;* in candido *beatorum gaudia* ſe legere ac meditari, ex quo ſtudio uberiorem referat fructum, quam ſi omnes philoſophorum libros evolvat.

A) Theoreticus.

1) Didaſcalicus.

II) Elenchticus.

B) Practicus.

1) Generalis.

§. CLXXIV. Uſus practicus ſpecialis eſt vel παιδευτικος, vel παραμυθητικος. Παιδευτικος eſt vel επανορθοτικος vel παραινετικος. Επανορθοτικος *correctorius* uſus in eo conſiſtit, ut meditatio æternorum bonorum revocet nos ab omnibus peccatis contra conſcientiam, ac frenum carni noſtræ iniiciat, ne eiusdem pravis concupiſcentiis indulgeamus. In cœle-

II) Specialis.

1) Informatorius.

a) correctorius.

leſtem Hieroſolymam *non intrabit aliquid coinquinatum & faciens abominationem & mendacium*, Apoc. XXI. 27. Quod ſi ergo eam ingredi deſideramus, neceſſe eſt, ut ab immunditie & ſordibus peccatorum nobis caveamus. *Foris*, extra cœleſtem Hieroſolymam *ſunt canes & venefici & ſcortatores & homicidae & idololatrae & omnis, qui amat & facit mendacium*, Apoc. XXII. 15. Quod ſi ergo nolumus excludi a ſupernæ civitatis conſortio, cavendum erit, ne ſimus in hoc atro peccatorum catalogo. Enumeratis carnis operibus ſubiungit apoſtolus Gal. V. 21. *qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*; ac 1 Cor. VI. 9. & 10. inquit: *Nec fornicatores, nec idololatrae, nec adulteri, nec molles, nec maſculorum concubitores, nec fures, nec avari, nec ebrioſi, nec maledici, nec rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Quod ſi ergo regni cœleſtis cupimus aliquando eſſe participes, ſedulo cavendum eſt, ne carnis opera faciendo horum peccatorum reddamur conſortes. *Exite de medio eorum*, ait Dominus Eſai. LII. v. 11. 2 Cor. VI. 17. *Et ſeparemini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos in filios & heredes meos.* Quod ſi ergo Dei filii & æternæ vitæ heredes eſſe cupimus, neceſſe eſt, ut ſpirituali peccatorum fuga a mundo nos ſeparemus. *Cum Chriſto, humilitatis magiſtro, non adſcendit in cœlum ſuperbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico diſcordia, nec cum filio virginis libido & luxuria, non adſcendunt vitia poſt virtutum parentem, nec peccata poſt iuſtum, nec infirmitates ire poſſunt poſt medicum*; ait Euſebius Emiſſenus hom. de Chriſti adſcenſ.

b) *exhortatorius.*

§. CLXXV. Uſus παραινετικος in eo conſiſtit, ut bonorum & gaudiorum æternorum meditatio in nobis excidet 1) *mundi & terrenorum contemtum.* Quisquis enim futura bona ſperat, præſentium facile obliviſcitur; qui cœleſtia amat, terrenorum faſtidio facile corripitur. Phil. III. 14. *Quae retro ſunt, obliviſcens, ad ea quae priora ſunt, meipſum extendens praefixum perſequor ſcopum ad brabeum ſupernae vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* v. 19. *Eorum, qui επιγεια φρονουσι, finis eſt interitus.* Qui biberit de fluvio paradiſi, cuius gutta maior eſt oceano, in illo ſitis mundi penitus exſtinguitur. Quemadmodum ſi quis aurum pictum vel imaginem auri, in aqua ipſo auro neglecto, captaret, merito rideretur: ſic ſimili vel etiam maiori ſtultitia laborant, qui evanida huius vitæ commoda æternis bonis anteferunt. Chryſoſtomus epiſt. V. ad Theod. lapſ. *Si Petrus, qui vidit obſcuram quamdam imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatem inditam animae a tali adſpectu; quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regiis cubiculis adapertis contueri licebit ipſum regem, non per aenigma, nec per ſpeculum, ſed a facie ad faciem.* Idem: *Quod eſt ſomnium unius diei per omnem vitam, id eſt fructus rerum praeſentium comparatus ad ſtatum futurorum bonorum.* Idem: *Vere non habet ſuper terram, quod amet, qui donum cœleſte in veritate guſtaverit.* Auguſtinus lib. III. de lib arbitr. c. 28. *Tanta eſt pulchritudo iuſtitiae, tanta iucunditas lucis aeternae, hoc eſt incommutabilis veritatis atque ſapientiae, ut etſi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitae pleni deliciis & circumfluentia temporalium bonorum recti meritoque contemnerentur. Non enim falſo aut pravo adfectu dictum eſt: Quia melior eſt unus dies in atriis tuis*

super millia. Fulgentius epist. VI. 4. *Si qui temporalium & mutabilium amore contemto in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque glorioſi, cuius vera & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius vitae desiderio praesentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiae delectamento divitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnat? Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitae mortuos aestimemus, & illas divitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu vivemus.* Gregorius hom. XXXVII. in evang. *Si consideremus, quae & quanta sunt, quae nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris. Terrena namque substantiae supernae felicitati comparata pondus est non subsidium. Temporalis vita aeternae vitae comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim, quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis &c.* Bona huius vitæ tranſitoria ſunt ac momentanea, futuræ vero æterna; gaudia huius vitæ amaritudinibus contaminantur, ſed futuræ ſunt plena, perfecta & incontaminata. Quisquis igitur futuræ vitæ bona & gaudia ſerio credit & ſperat, præſentia facile repudiat. 2) *Cæleſtium deſiderium.* Quisquis ſummam vitæ æternæ felicitatem & felicitatis illius æternitatem conſiderat, in illius corde deſiderium eiuſdem per Spiritum ſanctum accenditur. Eph. I. 18. orat apoſtolus, ut Deus piis *det Spiritum ſapientiae & revelationis in agnitione eius, illuminatos oculos mentis, ut sciant, quae sit spes vocationis eius, & quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis.* Phil. III. 20. *Noſtrum πολιτευμα eſt in cœlis, unde etiam Salvatorem Chriſtum exſpectamus* Col. III. 2. *Quae ſurſum ſunt ſapite, non quae ſunt ſupra terram. Ubi eſt theſaurus noſter, ibi etiam eſt cor noſtrum,* Matth. VI. 21. Iam vero theſaurus æternorum ac verorum bonorum in cœlis nobis paratus eſt. Ergo etiam eo extendi debet cordis noſtri deſiderium. Bernhardus de meditat. cap. 4. *Quae nos angit veſania, vitiorum ſit ire abſynthium, huius mundi ſequi naufragium, vitae labentis pati infortunium, impiae tyrannidis ferre dominium, & non magis convolare ad ſanctorum felicitatem, ad angelorum ſocietatem, ad ſolennitatem ſupernae laetitiae & ad iucunditatem contemplativae vitae.* Stephanus *videns Dei gloriam*, & mente atque oculis futuræ vitæ bona & gaudia prælibans cœleſtia unice deſiderare incipit exclamans, *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum*, Act. VII. 55. & 59. O anima, o caro mea illam vitam amplexari debes, ubi eſt vita ſine morte, ubi iuventus ſine ſenectute, ubi gaudium ſine triſtitia, ubi regnum ſine commutatione. Adſcende ergo eo per deſiderium, non enim ſumus mundi incolæ, ſed advenæ; amatrix ſis vitæ non fugientis, ſed permanentis, non tranſitoriæ, ſed æternæ. Si te delectat ſapientia, ibi de ipſo fonte ſapientiæ bibitur, & nihil rerum utilium ac neceſſariarum ignoratur, ibi ipſa lux incommutabilis veritatis a facie ad faciem conſpicienda exhibebitur. Si te delectat pacata tranquillitas & ab omnibus miſeriis & adverſis libera felicitas; ibi erit vita iucundiſſima & quietiſſima ſine mœrore, ſine indigentia, ſine infirmitate, ſine moleſtia. Si te delectat harmoniæ iucunditas, ibi angelorum hymni audiuntur, ibi beatorum citharæ reſonant, ibi ſuaviſſimus angelorum & hominum auditur concentus. Si te de-

le-

lectat cibi potusve suavitas, ibi *inebriabuntur beati ab ubertate domus Dei & torrente voluptatis potabuntur:* Psal. XXXVI. 9. ibi comeditur *de ligno vitae, quod est in paradiso Dei*, Apoc. II. 7. ac bibitur *de fluvio aquae vivae splendido tanquam crystallo procedente de sede Dei & Agni*, XXII. 1. ibi Agnus *deducit beatos adfontes aquae vivae*, VII. 17. Si te delectat proborum & honoratorum societas ac familiaritas, ibi omnes beati erunt honoratissimi & sanctissimi nostrique amantissimi, ibi omnes erunt reges & sacerdotes, omnes erunt sapientissimi, nobilissimi, opulentissimi &c. Si te delectat honesta occupatio, ibi perpetua beatorum occupatio erit Dei collaudatio. Si te delectat honor & gloria, ibi nullus erit amplius servus, sed omnes erunt liberi, omnes erunt filii & amici Dei. Si te delectant pulcra palatia, ibi meris gemmis & margaritis cœlestis Hierosolyma refulgebit, ibi in domo Dei mansiones sunt multæ. Si te delectat vestium splendor, ibi omnes induentur stolis albis, ibi vestimento immortalitatis, claritatis & puritatis omnes amicientur. Quidquid boni in hac vita optare, quidquid gaudii desiderare poteris, illud omne cumulatissime ibi erit, quinimo talia ac tanta ibi erunt bona, qualia & quanta non potes animo complecti vel efformare. *O veritas, charitas, aeternitas! o beata & beatifica Trinitas! ad te mea misera trinitas* (intellectus, voluntas & adfectus) *miserabiliter suspirat, quia in feliciter a te exsultat.* Bernhardus serm. XI. in Cant. col. 519. 3) *Bonorum operum studium.* Quam vis vita æterna sit gratuitum *Dei donum in Christo* per fidem adprehenso, Roman. VI. 23. tamen vera & salvifica fides non est otiosa, sed per caritatem & studium bonorum operum sese exserit. Quisquis igitur in plenariam cœlestium bonorum possessionem immitti desiderat, in via Domini ambulet, & in stadio bonorum operum currat, ut brabeum æternæ vitæ accipiat, 1 Cor. IX. 24. Huc pertinent cohortationes apostolicæ: 2 Cor. VII. 1. *Habentes has promissiones* (quod Deus in filios & heredes nos sit susceпturus,) *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini.* 2 Petr. I. 10. *Satagite, ut vocationem & electionem vestram firmam faciatis. Haec enim facientes non labemini* v. 11. *Sic enim abundanter subministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi* III. 13. *Novos cœlos & novam terram secundum promissa eius exspectamus.* v. 14. *Propter quod carissimi haec exspectantes satagite immaculati & inculpati inveniri in pace.* 1 Ioh. III. 2. *Cum adparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est.* v. 3. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Apoc. XXII. 14. *Beati, qui faciunt mandata eius, ut sit potestas eorum in ligno vitae, & per portas intrent in civitatem.* Sicut ad hanc vitam in utero matris præparamur ac formamur: sic ad futuram in hoc seculo per inchoatam Dei agnitionem, fidem ac dilectionem nos oportet præparari. Chrysostomus epist. V. ad Theod. lapsf. *Die obsetro, si quis te in theatrum induceret, ubi magna multitudo hominum sederet amicta stolis aureis, & in medio omnium ostenderet alium quemdam adornatum eximie gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te adsumturum in numerum eorum, an non omnia faceres, quae ipse iusserit?* Augustinus in Psal. XCIII. *Ecce quantum pretium damus quodammodo unam filiuam ad ae-*

accipiendos thesauros sempiternos siliquam laboris ad requiem incredibilem &c. Serm. LXIV. de verb. Dom. c. 2. *Amemus vitam aeternam, & ex eo noverimus, quantum pro vita aeterna laborare debeamus, cum videmus homines amatores praesentis vitae temporalis atque finiendae sic pro illa laborare, ut quando venerit metus mortis, quidquid possunt, faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem. Quantum laborat homo, quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando, & se redimendo, cruciatus molestiasque sustinendo, medicos adhibendo, & quidquid aliud homo potest &c.* Si pondus honoris momentanei, pecuniæ, gloriolæque mox evanescentis vehementer ad laborem hominum corda velut stateras inclinat, æternum gloriæ pondus, si cordi imponatur, non inclinabit?

2) *Consolatorius.*

§. CLXXVI. II) Παραμυθητικος sive *consolatorius* usus 1) respectu *nostri* in eo consistit, ut in quibusvis persecutionibus & adversis, adeoque in ipsa morte ac martyrio patientes simus, cogitantes, *passiones huius vitae non esse condignas ad futuram gloriam, quae in nobis revelabitur*, Rom. VIII. 18. *Quod in praesenti est momentaneum ac leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari*, 2 Cor. IV. 17. *Si commortui fuerimus, nos cum ipso victuros, si tolerabimus, cum ipso regnaturos*, 2 Tim. II. 11. & 12. *Consortes in tribulatione fore etiam consortes in regno*, Apoc. I. 9. Si omnes huius vitæ passiones cum futura gloria comparentur, nihil erunt aliud quam guttula absynthii comparata ad mare suavissimi mellis. Macarius Ægypt. hom. XXV. Προς το δομαο μελλουσι κληρονομειν (ευσεβεις) του το αντις ε. ποι, ει εκαστος αφ ου εκτισθη ο Αδαμ εως της συντελειας του κοσμου επολεμει προς τον Σαταναν υπεμεινε τας θλιψεις, ουδεν μεγα εποιει προς την δοξαν, ην μελλει κληρονομειν. Chrysostomus epist. V ad Theod. lapsum: *Tantumne bonorum a nobis submovebimus, ut declinemus, exigui temporis laborem? Quod si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Praeterea gehennam tormentaque omnia convenit sustinere, ut videre queas Christum venientem in gloria sua & conscribi ordini sanctorum.* Augustinus in medit. cap. 22. *Huius rei gratia scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sentiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoriae sede repono; ut tali modo tua dulcedine gustata minus istius miserrimae vitae amaritudines sentiam.* Gregorius lib. VII. moral. c. 7. *Certe cum mens, patriae felicis quanta sit dulcedo, considerat, pro ea praesentis vitae amaritudines ferventer amat.* Adrianus martyr, cum esset miles florenti ætate vigintiocto annorum, videretque tantam Christianorum martyrum in tormentis pro Christi fide tolerandis constantiam interrogavit eos: *Quid pro tantis pœnis exspectatis? quid est, quod vos tanta tormenta superare compellit?* ipsique responderent: *Speramus bona illa, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Adrianus voce ea permotus, curavit se ilico inscribi catalogo Christianorum, durumque martyrium alacer subiit inspectante & incitante eum Natalia uxore sub Diocletiano anno Domini 306. Ecquis enim non solum mortem non horreret, sed etiam cupide desideraret, si vere & ex animo crederet, eam esse εισοδον ad vitam vere vitalem & felicem, nullis seculorum ter-

terminis finiendam? Gregorius Nyſſenus lib. de dormit. *Soli infideles ſolent vivendi ſpem præſenti vita circumſcribere, atque idcirco mortem pro calamitate ducunt, quoniam id, quod nobis perſuaſum eſt, non ſperant. Nos vero, qui magno reſurrectionis ex mortuis fide iuſſori ipſi Domino credidimus, indubitatam ſpem bonorum habemus.* Confer, quæ in cap. de forma beatitudinis dicta ſunt ſuperius. 2) Reſpectu *noſtrorum*, ut mitigetur triſtitia, quam ex eorum obitu concepimus; quia enim mors piorum eſt ianua ad veram vitam, ideo non tam dolere, quam de hac felicitate ipſis gratulari convenit. Vid. Gregorius Nyſſ. orat. de dormient. p. 164.

CAPVT XII.

DE DEFINITIONE VITÆ ÆTERNÆ.

§. CLXXVII. Ex hiſce omnibus talis poteſt colligi vitæ æternæ definitio: *Vita aeterna eſt feliciſſimus ac beatiſſimus ille ſtatus, quo Deus ex immenſa miſericordia propter Chriſtum Mediatorem perſeverante fide adprehenſum pios poſt hanc vitam beabit, ut primum quidem animae eorum a corporibus ſeparatae, poſtmodum vero eaedem in die reſurrectionis glorificatis corporibus redunitae, ab omnibus miſeriis, doloribus & malis liberatae, cum Chriſto, angelis ſanctis & omnibus electis in ſempiterna laetitia, gloria & felicitate vivant, perfecta Dei cognitione, perfecta ſanctitate & iuſtitia ornatae Deum a facie ad faciem ſine fine videant, ſine faſtidio ament, ac ſine defatigatione glorificent*; ad quam beatitudinem perducat nos Chriſtus Ieſus fidei & vitæ ἀρχηγος in ſecula benedictus, Amen.

CARMINA ET RYTHMI
DE VITÆ ÆTETNÆ FELICITATE.

Auguſtinus vel quicunque alius auctor in libr. Meditat. cap. 26.

AD perennis vitæ fontem
Mens ſitivit arida.
Clauſtra carnis præſto frangi
Clauſa quærit anima.
Gliſcit, ambit, eluctatur
Exſul frui patria.
Dum preſſuris ac aerumnis
Se gemit obnoxiam;
Quam amiſit, dum deliquit,
Contemplatur gloriam.
Praeſens malum auget boni
Perditi memoriam.
Nam quis promat, ſummæ pacis
Quanta ſit laetitia?
Vbi vivis margaritis
Surgunt aedificia.

Auro celsa micant tecta
Radiant triclinia.
Solis gemmis pretiosis
Haec structura nectitur.
Auro mundo tamquam vitro
Vrbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus,
Lues nulla cernitur.
Hyems horrens, aestas torrens
Illis nunquam saeviunt;
Flos perennium rosarum
Ver agit perpetuum:
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant fata,
Rivi mellis influunt:
Pigmentorum spirat odor,
Liquor & aromatum,
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Luna non alternat vices,
Sol vel cursus siderum:
Agnus est felicis urbis
Lumen in occiduum;
Tempus & nox desunt ei,
Fert diem continuum.
Nam & sancti quique, velut
Sol praeclarus, rutilant,
Post triumphum coronati
Mutuo coniubilant.
Et postrati pugnas hostis
Iam securi numerant.
Omni labe defecati
Bella carnis nesciunt;
Caro facta spiritalis
Mens & unum sentiunt;
Pace multa perfruentes
Scandala non perferent.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem.
Veritatis & praesentem
Contemplantur speciem;
Fontis hinc vivi vitalem
Hauriunt dulcedinem

Inde statum semper idem
Exeuntes capiunt;
Clari, vividi, iucundi
Nullis peccant casibus;
Absunt morbi semper sanis,
Senectus iuvenibus.
Hinc perenne tenent esse,
Nam transire transiit;
Inde vivent, vigent, florent;
Corruptela corruit;
Immortalitatis vigor
Mortis ius absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt,
Quid nescire hi queunt?
Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum;
Vnum volunt, unum nolunt,
Vnitas est mentium.
Licet cuiquam sit diversum
Pro labore meritum:
Charitas hoc facit suum,
Quod dum amat alterum,
Proprium fit singulorum,
Fit commune omnium.
Vbi corpus, illic iure
Congregantur aquilae,
Quo cum angelis & sanctis
Recreentur animae;
Vno pane vivunt cives
Vniusque patriae.
Avidi & semper pleni,
Quod habent, desiderant;
Non satietas fastidit,
Neque fames cruciat;
Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Novas semper harmonias
Vox melodа concrepat,
Et in iubilum prolata,
Mulcent aures organa
Digna, per quem sunt victores,
Regi dant praeconia.
Felix, caeli quae praesentem
Regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta

Orbis volvi machinam;
Solem, lunam & globosa
Cum planetis sidera.
Christe, palma bellatorum,
Hoc in municipium
Introduc me, da soluto
Militare cingulum,
Fac consortem donativi
Beatorum civium.
Probes vires inexhausto
Laborantis prælio,
Nec quietem post procinctum
Deneges emerito,
Teque merear potiri,
Sine fine praemio.

Paulinus Nolanus Natal. VIII. in Felice.

Omnes, quisque suo, radiabunt lumine sancti.
Dissimili fulgore pares, nec iudice Christo
Alter in alterius meriti dispendia crescent.
Christus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.
Cernite distinctos actus sed honore iugatos
Testamentorum veterisque novique magistros,
In quibus una dedit geminas sapientia leges,
Atque ita virtutes varias par gloria pensat.

Alcimus Avitus lib. II. de peccat. origin.

Angelicae qualis narratur gloriae vitae
Sidereas habitare domos, qualemque redemtis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus:
Queis neque coniugium curae, nec fœdere turpi
Miscuerit calidos carnalis copula sexus.
Quando aberit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas;
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, discordia, livor,
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una
Sufficiet cunctis sanctorum gloria Christus.

Franco Affligenienſis de gratia Dei uſt.

Luctus ibi nullus resonat, quia nec dolor ullus,
Nil ibi quod pigeat, taedeat, aut pudeat.
Non ibi peccatum, quod possidet hic dominatum,
Quod fervens vitio non ea sit regio.
Cunctis invisa mors ipsa nec est ibi visa,
Nec metuenda tibi vita perennis ibi.
Non opus est aratris illic, aut imbribus atris,
Semina qui foveant, arida ne pereant.
Omnibus est unus panis, mirabile munus,
Quem semper comedas, nec comedens minuas.
Mirum, sed verum, facies illic nova rerum,
Qui vere cibus est, panis ibi Deus est.
Anxietas pestis, morbus, languor procul estis,
Terrigenas premitis, cœlicolas fugitis.
Qualis ibi vestis sit, adest sacra pagina testis,
Christo vestitur, qui lavacro abluitur.

Bernhardus de medit. cap. 4.

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, laetitiae, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis.

Iohannes Baptiſta Mantuanus libr. V. ſylvar.

Est requis illic, illic aeterna voluptas,
Perpetuus splendor, gaudia, risus, amor.

Quotquot erunt animas & quot nos ante fuerunt,
Accipient laeto magna theatra sinu.
Fas erit hic nostrae vultus agnoscere gentis,
Atque dare alternis mutua verba sonis.
Hic cum fratre soror, nati cum patribus ibunt,
Vespera nec festos finiet ulla dies.
Quos modo miramur, regione videbimus illa,
Et veteres inter suscipiemur avos.
Praemia terrae ne mentes terrena sequantur,
Regna manent alio nos meliora loco.

Wilhelmus Alardus decad. VII. od I. p. 175.

CErta ibi est quies;
Quieta ibi est securitas;
Secura ibi est tranquillitas;
Tranquilla ibi est felicitas;
Felix ibi est suavitas;
Suavis ibi est iucunditas:
Iucunda ibi est serenitas;
Serena ibi est solennitas;
Solennis ibi est festivitas;
Festiva ibi est aeternitas;
Ibi nec est defectio;
Sed optima est refectio.
Ibi nec est deformitas,
Sed omnium conformitas.
Ibi nec est iniquitas,
Sed una semper aequitas.
Ibi nec ignorantia,
Sed omnium scientia.
Ibi nec indigentia,
Sed omnium adfluentia.
Ibi nec est crudelitas,
Amica sed fidelitas.
Ibi nec est fugacitas,
Ævi sed est perennitas.
Ibi nec est rapacitas,
Sed est opima largitas.
Ibi nec est malignitas,
Sed summa ibi est benignitas.
Ibi nec est molestia,
Ibi nec est angustia.
Ibi nec est corruptio,
Ibi nec est destructio.
Ibi nec est inanitas,
Ibi nec est immanitas.
Ibi nec est impuritas,
Ibi nec est obscuritas.
Ibi nec ulla duritas,
Ibi nec imbecillitas,
Ibi nec est acerbitas,
Sed expedita fauslitas,
Et praeparata dignitas,
Et imputata sanctitas,
Et absoluta castitas,
Amica liberalitas.
Et absque nube amoenitas,
Et absque nocte claritas,
Et absque felle caritas,
Et absque labe puritas,
Et absque lite veritas,
Et absque peste sanitas,
Et absque fine hereditas,
Et absque morte aeternitas.
Ibi beata Trinitas
In unitate, Numine
Triuno adimplet omnia.

CONSPECTVS
LOCORVM

CAPITVM ET CONTENTORVM, IN TOMO HOC XX OCCVRRENTIVM.

LOCVS XXX.

DE CONSVMMATIONE SECVLI.

PROOEMIVM.

fistit collationem creationis & destructionis mundi. §. I.

CAPVT I.

de onomatologia.

Exhibetur I) ετυμολογια, ostenso significatu vocum
α) *consummationis.* §. II.
β) *mundi.* §. III.
γ) *seculi* sive αιωνος §. IV. V.
II) συνωνυμια. §. VI.

CAPVT II.

an sit consummatio seculi?

I) *Affirmans* sententia demonstratur
A) ex sacræ scripturæ dictis
a) *vet. test.* §. VII.
b) *nov. test.* §. VIII. IX.
B) ex momentis rationum, quæ petuntur
a) e natura *creatoris Dei.* §. X.
b) e natura *mundi conditi.* §. XI.
C) ex suffragiis generis hominum
a) *intra* ecclesiam. §. XII.
b) *extra* ecclesiam. §. XIII.
II) *Antithesis* proponitur
A) Commemorantur eius *propugnatores*
a) *intra* ecclesiam. §. XIV.
b) *extra* ecclesiam. §. XV.
adductis *gentilium* opinionibus *de mundi origine.* §. XVI.
B) Solvuntur argumenta *pro mundi aeternitate*, petita
a) e scripturis. §. XVII.
b) e variis rationibus, quæ sunt
1) stabilis *naturæ* perpetuitas.
2) consequens *absurdum.*
3) *divinae voluntatis* constantia. §. XVIII.

CAPVT III.

de causa efficiente consummationis seculi.

I) Causa efficiens *principalis* in mundi destructione est ipse *Deus*, §. XIX.
II) Causa *instrumentalis* est *ignis* §. XX. de cuius

A) *natura*
B) *origine*
C) *effectis*

D) *durationem* agitur §. XXI. - XXIV.
Antithesis paucis subiungitur §. XXV.

CAPVT IV.

de materia consummationis seculi.

I) Materiam destructionis *totam rerum creaturarum universitatem* esse futuram, *exceptis solis angelis & hominibus*, probatur §. XXVI. XXVII.

II) *Antithesis* consideratur *pontificiorum*, qui a materia conflagrationis excipiunt
A) *cælos stellatos*, sive superiores, §. XXVIII. provocando
a) ad naturam cæli. §. XXIX.
b) ad apostolicam cæli interituri descriptionem. 2 *Petr.* III. 5. §. XXX.
c) ad comparationem inter *finale* orbis excidium & devastationem terræ per *diluvium* institutam, *Matth.* XXIV. 32. 2 *Petr.* III. 6. seq. §. XXXI.
d) ad causas interitus. §. XXXII.
e) ad *Augustini* assertionem §. XXXIII.
B) elementum *ignis* §. XXXIV.
C) *superiorem aëris* regionem §. XXXV.
D) *mare* §. XXXVI.

CAPVT V.

de forma consummationis seculi.

Forma consummationis dicitur non in nuda qualitatum alteratione, sed ipsius potius *substantiae abolitione*, & *totali annihilatione* consistere. Id præmissis quibusdam de *veterum* circa hanc materiam opinionibus §. XXXVII. & de *moderatione theologica* isthic adhibenda, §. XXXVIII.

I.) *asseritur* adductis
A) *scripturae* dictis, in quibus notanda
a) emphatica futuri interitus descriptio. §. XXXIX. XL.
b) comparatio excidii finalis cum iis, quæ *prorsus* corrumpuntur. §. XLI. XLII.
c) oppositio. §. XLIII.
d) *novi* cœli ac *novae* terræ promissio. §. XLIV.
B) *rationibus*
a) ab incorruptibilitatis conditione. §. XLV.
b) a temporis cessatione.
c) a finis remotione.
d) ab Hierosolymæ cœlestis descriptione.
e) ab absurdi consecutione.
f) a rerum serie & connexione.
C) *patrum* dictis. §. XLVI.
D) *adversariorum* suffragiis. §. XLVIII.

II) *defenditur* contra *dissentientes*, quorum
A) *diversitas* indicatur, §. XLVIII.
B) *firmamenta* subvertuntur, desumta
a) e sacris literis
1) *Psalm.* CIV. 29. §. XXIX.
2) *Esai.* XXX. 26. §. L.
3) *Act.* III. 20. §. LI.
4) *Rom.* VIII. 19. seq. qui locus copiose explicatur §. LII - LIX.
5) 1 *Cor.* VII. 31. §. LX.
6) 1 *Thess.* IV. 17. §. LXI.
7) 2 *Petr.* III. 11. §. LXII.
b) e variis rationibus. §. LXIII.

CAPVT VI.

de fine consummationis seculi.

Ostenditur I) finis *primarius*, Dei glorificatio. §. LXIV. II) finis *secundarius*, piorum liberatio §. LXV.

Quae-

Quaestio adnectitur: an mundus conflagratione periturus fuisset, si *primi* homines eorumque posteri *a peccato immunes* mansissent? §. LXVI.

CAPVT VII.

de adiunctis consummationis seculi.

Sunt ista
1) *Tempus*, dies novissimus. Notantur heic ii, qui *immediatam* adventus Christi, resurrectionis universalis, extremi iudicii & consummationis seculi *connexionem negarunt*, *Chiliastae* sive *millenarii*. Opinionis igitur *chiliasticae*
A) *auctor Cerinthus* §. LXVIII. atque *defensores* tum ex *antiquissimis* ecclesiae christianae doctoribus, tum ex recentioribus proferuntur, §. LXVIII-LXXVII. addita defensione *Lutheri* §. LXXVIII. & distinctione. §. LXXIX.
B) *falsitas* demonstratur: est enim
a) αγραφος §. LXXX.
b) αντιγραφος, quod elicitur
1) ex regni Christi *conditione* §. LXXXI.
2) ex piorum *in his terris* sorte §. LXXXII.
3) e diei novissimi *adpropinquatione* §. LXXXIII.
4) e *substantiali* mundi interitu ac destructione. §. LXXXIV.
5) ex *immediata* novissimorum connexione. §. LXXXV.
6) ex *simultaneae* resurrectionis adsertione. §. LXXXVII.
C) *robora* confringuntur, sumi solita
a) ex vaticiniis *propheticis* & *apostolicis vet.* ac *nov.* test. §. LXXXIX.-VCIII.
b) ex libris *apocryphis*. §. XCIV.
c) ex oraculis *sibyllinis*. §. XCV.
d) ex *traditionibus apostolicis*. §. XCVI.
e) ex carminibus *poetarum*.
f) e quibusdam *ratiocinationibus*. §. XCVII.
II) *Modus* §. XCVIII.
III) *Antecedentia & consequentia*.

CAPVT VIII.

de cognatis consummationis seculi.

Cognata ultimae συντελειας sunt 1) diluvium. 2) Excidium sodomiticum. 3) omnes particulares regionum devastationes. §. XCIX.

CAPVT IX.

de pugnantibus. §. C.

CAPVT X.

de usu doctrinae de consummatione seculi.

Usus huius doctrinae est
I) theoreticus §. CI.
II) practicus,
A) generalis.
B) specialis
a) informatorius, isque
1) *correctorius*. Revocat enim nos
α) ab inordinata mundi dilectione. §. CII.
β) ab avara divitiarum adquisitione §. CIII.
γ) a poenitentiae dilatione. §. CIV.
2) *excitatorius*. §. CV.
b) consolatorius. §. CVI.

CAPVT

CAPVT XI.

de definitione consummationis seculi.

LOCVS XXXI.

DE INFERNO, SEV MORTE ÆTERNA.

PROOEMIVM

Nexum huius loci cum præcedentibus indicat §. I.

Doctrinam de futuris impiorum pœnis ab eius *utilitate* ac *necessitate* commendat §. II.

CAPVT I.

de onomatologia.

Occurrit
I) Ετυμολογια vocum
A) infernus. §. III.
B) ἅδης
C) שאול. §. IV - VI.
II) *Homonymia.* §. VII.
III) Συνωνυμια,
A) apud *Hebraeos.* §. VIII.
B) *Graecos.* §. IX.
C) *Latinos.* §. X.

CAPVT II.

an sit infernus.

I) *Adfirmative* probatur
A) ex *scripturae* dictis
a) *veteris* testamenti
1) in *Mose* §. XII.
2) in *Iobo* §. XII.
3) in *Psalmis.* §. XIV.
4) in libris *Salomonis.* §. XV.
5) in *prophetis* §. XVI.
6) in libris *apocryphis* §. XVII.
b) *novi* testamenti,
1) in *evangeliſtis* §. XVIII.
2) in epiſtolis *apoſtolicis.* §. XIX.
3) in *apocalypſi.* §. XX.
B) ab *exemplis* diabolorum & hominum. §. XXI.
C) ex *rationibus*, §. XXII. petitis
a) a divinæ *inſtitiae* conditione.
b) a *legis* divinæ comminatione.
c) a *peccati* turpitudine.
d) a *conſcientiae* teſtimonio.
f) a προγευσει dolorum infernalium.
g) ex articulo de *Chriſti ad inferos deſcenſu.*
h) ab *impiorum* reſurrectione.
i) ab *extremo iudicio.*
k) a ſaniorum *gentilium* confeſſione.
D) ex *typis* §. XXIII.
II) *Secus ſentientes* commemorantur. §. XXIV.

CAPVT III.

Quid sit infernus.

Sumta voce pro του *damnatorum*, quæſtionem eſſe difficilem, ſed cer-

certum aliquod τέλος, in quo damnati supplicia sua persolvant, *non negandum*, videri, declaratur. §. XXV.

CAPVT IV.

de causa efficiente inferni.

Causa inferni (si *pro morte aeterna* accipiatur) *promerens*, adeoque propria immediata & adaequata est *creaturae rationalis a Deo creatore apostasia*. §. XXVI.

Concurrit autem in hominis damnatione
I) *Diaboli* seducentis malitia. §. XXVII. XXVIII.
II) *Hominis* delinquentis culpa. §. XXIX.
III) *Dei* vindicis ira. §. XXX.

Quo respectu poena damnatorum *Deo* tribuatur, amplius exponitur §. XXXI. XXXII.

Denique adfertio, *propriam & adaequatam inferni causam positam esse in apostasia a Deo, ab obrectionibus* quibusdam vindicatur. §. XXXIII.

CAPVT V.

de materia inferni. §. XXXIV.

CAPVT VI.

de forma inferni.

Forma inferni constituitur
I) *Interna*, sc. poenarum infernalium. *gravitas*, §. XXXV. quae colligitur
1) ex *quantitate*, eaque
A) *discreta*, sive multiplici varietate. §. XXXVI. status enim damnatorum describitur
a) *generaliter*, ut
1) perditio, §. XXXVII. XXXVIII.
2) mors.
3) interitus.
4) iudicium. §. XXXIX.
5) ira Dei. §. XL.
b) *specialiter*, secundum mala
1) στερητικα. §. XLI. quorum principale est *separatio a Deo & Christo*, §. XLII. XLIII. ex quo sequitur separatio
α) a beatis angelis.
β) a beatis hominibus.
γ) a paradiso.
δ) a luce, gaudio, quiete & felicitate
ε) a praeconio laudis divinae.
ζ) a consortio commiserationis humanae. §. XLIV.

2) θετικα, quae declarantur
a) *comparative*. §. XLV.
β) *effective*. §. XLVI. XLVII.
א) quoad *corpus*, per ignem infernalem. §. XLVIII-L.
ב) quoad *animam*, per vermem rodentem. §. LI. LII.
ג) quoad *universalitatem*. §. LIII.
ד) quoad *socios* & locum supplicii. §. LIV.

B) ex quantitate *continua* seu *tempore*. Considerandа autem venit in *duratione* poenarum infernalium
a) *Continuitas*. §. LV. LVI.
b) *Aeternitas*, quae
1) *confirmatur*
α) dictis scripturae *expressis*. §. LVII.
β) rationibus, e f. f. deductis. §. LVIII.
γ) piorum *veterum* effatis. §. LIX.
2) *illustratur* propositis *quaestionibus*:
α) an conveniat divinae iustitiae ac misericordiae, peccata *temporalia aeternis* poenis adfigi? §. LX.
β Quomodo *corpora* damnatorum in *igne ferventur*? §. LXI.

3) *propugnatur* contra *secus sentientes*.
α) *Recensentur* isti. §. LXII. LXIII.
β) Argumentis quibusdam *generalibus profligantur*. §. LXIV.
γ) *Rationes* opinionis *adversae* examini subiiciuntur. §. LXV.
2) ex *qualitate*, sive *acerbitate*. §. LXVI.

II) *Externa*. §. LXVII.
subiunguntur quaestiones:
1) An ignis infernalis futurus sit *materialis*? §. LXVIII. LXIX.
2) An in inferno sint *vermes corporei*? §. LXX.
3) An praeter ignem & vermem *alia corporalia supplicia* in inferno statuenda? §. LXXI.
4) An damnati retineant *fidem & spem*? §. LXXII.
5) An *daemones* futuri sint damnatorum *tortores*? §. LXXIII.
6) An in suppliciis infernalibus futurus sit aliquis *ordo*? §. LXXIV.
7) An in suppliciis infernalibus futuri sint *gradus*? §. LXXV.
8) An *omnes* damnatorum actiones sint *malae*. §. LXXVI.

In fine notantur ii, qui de poenis infernalibus vel *nihil* vel *minus iusto* statuunt. §. LXXVII-LXXIX.

CAPVT VII.

de causa finali inferni.

Exponitur *finis* praeparati inferni
I) *Principalis* ac summus, divinae iustitiae manifestatio.

II) *Proximus* ac *intermedius*, impiorum iustissima poena, piorum vero laetitia & gloria sempiterna. §. LXXX.

CAPVT VIII.

de obiecto inferni.

Obiectum, cui paratus infernus, sunt
I) Diaboli.

II) Homines *finaliter* impii & incredoli. §. LXXXI. LXXXII.

CAPVT IX.

de subiecto inferni.

Non *animas* solum, sed etiam *corpora* damnatorum poenis infernalibus esse obnoxia, adseritur §. LXXXIII.

CAPVT X.

de adiunctis inferni.

Occurrunt I) *tempus*.
II) *locus* inferni. LXXXIV. *pontificiorum* opinioni, quod inferni locus sit in *centro terrae*, nonnulla opponuntur, §. LXXXV. LXXXVI.

CAPVT XI.

de cognatis & pugnantibus cum inferno. §. LXXXVII.

CAPVT

CAPVT XII.

de usu doctrinae de inferno.

Usus huius articuli ostenditur
I) theoreticus. §. LXXXVIII.
II) practicus,
A) generalis.
B) specialis, §. LXXXIX.
a) παιδευτικος
1) *correctorius.* §. LXXXIX. XC.
2) *exhortatorius.* §. XCI.
b) παραμυθητικος §. XCII.

CAPVT XIII.

de definitione inferni. §. XCIII.

LOCVS XXXII.

DE VITA ÆTERNA.

PROOEMIVM

I) vitam æternam tanquam *fidei finem* pie expendendam proponit, §. I.

II) Doctrinæ istius *utilitatem* & *necessitatem* prædicat. §. II.

CAPVT I.

de onomatologia.

I) Explicatur *vis* nominum
A) *vitae aeternae.* §. III. IV.
B) *Caeli* §. V.
II) Docetur, *quemplici* sumatur *sensu* nomen
A) *vitae aeternae* §. VI. VII.
B) *caeli* VIII-X.
III) *Epitheta* enarrantur
A) *sedis* beatorum. §. XI.
B) *status.* §. XII. XIII.

CAPVT II.

An sit vita aeterna.

I) Esse vitam æternam *adfirmatur*
A) ex dictis *sacrae scripturae*
a) *ver.* test.
1) ex *Mose* §. XIV.
2) ex *Iobo* & *Psalmis.* §. XV.
3) ex *Prophetis.* §. XVI.
4) ex libris *apocryphis.* §. XVII.
b) *nov.* test. §. XVIII.
B) ab *exemplis.* §. XIX.
C) ex *rationum* momentis quæ spectant
a) *Deum* salvantem. §. XX.
b) *homines* salvandos. §. XXI.
D) ex *typis* & parabolis,
a) *primariis.* Huc pertinet
1) Christi transfiguratio. §. XXII.
2) cæleſtis Hierosolymæ præfiguratio. §. XXIII. XXIV.
b) *secundariis* compluribus obviis
1) in *ver.* test. §. XXV.
2) in *nov.* test. §. XXVI. XXVII.
E) ex *ecclesiae symbolis.* §. XXVII.
II) *Antithesis.* consideratur

A) eorum, qui vitam esse æternam *prorsus* negant, §. XXIX.
B) *photinianorum*, qui piis in *vet. test.* promissam fuisse vitam æternam inficiantur §. XXX - XXXII.
III) Quæstio adnectitur: an per *naturam* notum sit esse vitam æternam. §. XXXIII.

CAPVT III.

quid sit vita aeterna?

I) Beatitudo æterna *generaliter* describitur, §. XXXIV.
II) *specialim* disquiritur de *cælo*, & τῶ *illo beatorum*. §. XXXV. XXXVI.

CAPVT IV.

de causa efficiente vitae aeternae.

Iustificationis ac μακαρισμὸς arctissima *connexione* exposita, §. XXXVII. indicatur *causa* vitæ æternæ
I) *principalis*, gratia Dei. §. XXXVIII.
A) Id *probatur*
α) ex testimoniis divinis.
β) ex rationum momentis.
B) *distinctius* explicatur, *qua ratione Deo* tribuatur electorum beatitudo, §. XXXIX.
nimirum
a) quoad *praeparationem*.
b) quoad *promissionem*.
c) quoad *acquisitionem*.
d) quoad *adplicationem*.
e) quoad *continuationem* & *conservationem*.
f) ratione *creationis* si cœlum sumatur pro *loco corporeo creato*. §. XL.
C) *porisma* deducitur. §. XLI.
II) *Meritoria*, Christi obedientia.
A) *praemittuntur* quædam ad uberiorem assertionis istius declarationem. §. XLII.
B) Thesis ipsa *demonstratur*. §. XLIII.
C) *Corollarium* elicitur. §. XLIV.
III) *Instrumentalis*, fides in Christum.
A) *Argumenta* adferti proferuntur. §. XLV.
B) *Qualis* heic intelligatur *fides*, exponitur. §. XLVI.
C) *Porisma* additur. §. XLVII.

CAPVT. V.

de materia & forma vitae aeternae.

Forma vitæ æternæ
I) *Generatim* enunciatur. §. XLVIII.
A) *incomprehensibilem* atque *ineffabilem* esse summam illam vitæ æternæ felicitatem, si de *adcurata* cognitione agatur, docetur
a) ex prophetica adfertione. Esai. LXIV. 4.
b) ex parabolica & mystica cœlestis beatitudinis descriptione.
c) ex vitæ præsentis conditione.
d) ex cognitionis nostræ imperfectione.
B) *Certo* tamen eam *colligi*, adseritur
a) ex adpellatione. §. XLIX.
b) ex oppositione. §. L.
c) ex collatione analogica cum hac vita.
d) ex gaudii illius prægustatione.
e) ex parabolica beatitudinis descriptione. §. LI.
f) ex speciali bonorum futurorum enumeratione. §. LII. LIII.
II) *Speciatim* describitur §. LIV.
A) *Quantitas discreta*, sive multiplex bonorum

norum vitæ æternæ varietas, dum recenſentur

AA) bona *privativa*. Aberunt enim a beatis

a) *peccatum*. §. LV.

b) peccati *cauſae*. §. LVI.

c) peccati *pœnae*. §. LVII.

id quod confirmatur dictis veterum. §. LVIII.

BB) bona *poſitiva*, eaque

a) *interna*.

1) *toti* hominis *compoſito* communia, quo pertinent

α) *Dei viſio*. Hæc qualis ſit, oſtenditur §. LIX. LX. adductis piorum *veterum* effatis. §. LXI. cum explicatione dicti *apoſtolici*, 1 *Cor*. XV. 28. §. LVII. LXIII.

β) ineffabilis *beatorum laetitia* & exſultatio. §. LXIV - LXVI.

γ) *Dei glorificatio*. §. LXVII. LXIX.

δ) perfecta *imaginis divinae* reſtauratio. §. LXX - LXXII.

2) ad *alterutram* ſpectantia *partem*, ſc.

α) ad *animam*;

א) perfecta *Dei cognitio*. §. LXXIII. LXXIV.

ב) *voluntatis* perfecta *ſanctitas*. §. LXXV - LXXVII.

ג) *adfectuum* cum recta ratione conformitas. §. LXXVIII. LXXIX.

β) ad *corpus*, cuius qualitates futuræ

א) *generatim* enarrantur ac diſtribuuntur §. LXXX - LXXXIII.

ב) *ſigillatim* enumerantur; ut

1) ſpiritualitas. §. LXXXIV. LXXXV.

2) immortalitas, & incorruptibilitas. §. LXXXVI - LXXXVIII.

3) impaſſibilitas. §. LXXXIX. XC.

4) claritas. §. XCI. XCII.

5) firmitas ac ſanitas. §. XCIII.

6) formoſitas. §. XCIV. XCV.

7) agilitas. §. XCVI. XCVII.

8) ſubtilitas. §. XCVIII. XCIX.

9) illocalitas. §. C.

10) inviſibilitas. §. C.

11) impalpabilitas. §. CII.

b) *externa*.

1) ſuaviſſima *conſociatio*

α) cum Deo & Chriſto. §. CIII.

β) cum angelis.

γ) cum omnibus beatis; quos inter vigebit.

א) mutuus amor. §. CIV.

ב) honor.

ג) gaudium.

ד) ſuaviſſimum colloquium.

Veterum ſententiæ adduntur. §. CV.

2) pulcerrima *habitatio*. §. CVI. CVII.

Univerſalitas bonorum vitæ æternæ probatur. §. CVIII.

B) *Quantitas continua*; §. CIX. quæ complectitur gaudiorum cœleſtium.

a) *Continuitatem*. §. CX.

b) *Aeternitatem*, variis *ſacrae ſcripturae* argumentis, *veterumque* effatis declaratam. §. CXI - CXIII.

De *ſcholaſticorum* quæſtione. *an beatitudo intrinſece vel extrinſece ſit aeterna*, agitur. §. CXIV.

Qualitas bonorum vitæ æternæ paucis indicatur. §. CXV.

III) ſubiunguntur *quaeſtiones* de beatitudine electorum in vita æterna.

A) Generales.

1) An beatitudo illa ſit *habitus* vel *actus*? §. CXVI.

2) *Qua ratione Deus* ſit hominis beatitudo? §. CXVII.

3) An beatitudo ſit *hominis accidens*? §. CXVIII.

4) An beatitudo *potius* ad *intellectum* quam ad *voluntatem* pertineat? §. CXIX.

5) An futuri ſint *gradus gloriae* in vita æterna. §. CXX. - CXXII.

B) Speciales.

a) de Dei *viſione*.

1) An beati *clare & intuitive Dei eſſentiam* ſint viſuri? §. CXXIII - CXLII.

2) An beati divinam *eſſentiam oculis corporeis* ſint viſuri? §. CXLIII. CXLIV.

3) An beati per *ſpeciem intelligibilem* videant divinam eſſentiam. §. CXLV.

4) An beati ad Deum videndum *indigeant aliquo lumine gloriae*. §. CXLV.

b) de Dei *glorificatione*.

1) An beati etiam *externa voce* Dei ſint glorificaturi. §. CXLVI.

2) Qua *lingua* ſint Deum glorificaturi?

c) De bonis futuris AA)

aa) animæ

1) An beati *ſeſe invicem* ſint *agnituri*? §. CXLVII.

2) An beati *damnatos* sint *agnituri*? §. CXLVIII.
3) An *virtutum habitus* in animabus beatorum sint *mansuri*? §. CXLIX.

bb) corporis.

α) in *genere*
An in corporibus glorificatis futura sit *potentia contradictionis*? §. CL.

β) in *specie*.

ℵ) de *claritate*.
1) an beatorum corpora futura sint diaphana? §. CLI.
2) an *lux* glorificatorum a *luce solis specie* distinguatur? §. CLII.
3) an claritas glorificati corporis *intuentium oculos offendat*?
4) an possit corpus *glorificatum se subtrahere a conspectu* hominis *nondum glorificati*?

ב) de *impassibilitate*.
א) An in corpore glorificato sint qualitates *quatuor elementorum*? §. CLII.
2) An *calor nativus* agat in *humidum radicale*? §. CLII.
3) *Unde* corporis impassibilitas in beatis,
4) An corpus glorificatum possit *vulnerari*?

ג) de *agilitate*.
1) An a corpore glorificato auferenda *gravitas*? §. CLIII.
2) An beati possint *se movere in instanti, medio non pertranseto*? §. CLIII.

ד) de *subtilitate, unde* ea *trahat originem* in corporibus glorificatis. §. CLIV.

BB) externis. An beatorum corpora *vestibus induenda*? §. CLV.

IV) *Antithesis*. proponitur
1) *Iudaeorum* recentiorum. §. CLVI.
2) *Mahumeti*. §. CLVII.
3) *Chiliastarum*. CLVIII.
4) *Origenis*.
5) *Methodii*.
6) *Pepuzianorum*.
7) *Aeternalium*.
8) *Pelagianorum*.
9) *Ioviniani*.
10) *Armeniorum*.
11) *Pontificiorum*. §. CLIX - CLXII.
12) *Calvinianorum*. §. CLXIII. CLXIV.

Concluditur caput *vindicis Lutheri*. aliorumque doctorum nostræ ecclesiæ. §. CLXV.

CAPVT VI.

de fine vitae aeternae.

Finis vitæ æternæ *summus* ac *principalis* est *Dei glorificatio*; proximus ac intermedium, piorum gloria ac beatitudo. §. CLXVI.

CAPVT VII.

de obiecto vitae aeternae.

Obiectum vitæ æternæ proprium & adæquatum sunt
I) *Angeli boni*.
II) *Homines* finaliter & perseveranter in Christum *credentes*. §. CLXVII. quorum respectu
1) monetur
α) paucos ex genere humano dici salvandos.
β) salutem credentibus offerri & conferri sine ullo *externae conditionis* respectu.
γ) *finaliter* in Christum *credentes*, & *omnes* & *solos* fieri salvos.
δ) Vere & finaliter in Christum credentes describi in s. literis tum a *priori*, per electionem ab æterno in Christo factam, tum a *posteriori*, per veram ad Deum conversionem.
2) Notatur adversa sententia. §. CLXVIII.
α) Origenis.

β)

β) Pontificiorum.
γ) Calvinianorum.
δ) Franciſci Pucci.
ε) Photinianorum.

CAPVT VIII.

de ſubiecto vitae aeternae. §. CLXIX.

CAPVT IX.

de adiunctis vitae aeternae.

Adiuncta vitæ æternæ ſunt
I) Tempus.
II) Locus. De *cœlo empyreo* agitur. §. CLXX. CLXXI.

CAPVT X.

de cognatis & pugnantibus vitae aeternae. §. CLXXII.

CAPVT XI.

de uſu doctrinae de vita aeterna.

Oſtenditur uſus huius articuli.
I) Theoreticus. §. CLXXIII.
A) Didaſcalicus,
B) Elenchticus.
II) Practicus.
A) Generalis.
B Specialis.
a) informatorius, isque
1) correctorius. §. CLXXIV.
2) exhortatorius. §. CLXXV.
b) conſolatorius. §. CLXXVI.

CAPVT XII.

de definitione vitae aeternae. §. CLXXVII.

In fine exhibentur *carmina* & *rythmi* de vitæ æternæ felicitate.

Jg 1830
g
(15120)

ULB Halle
002 610 884
3

1018

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841236-p0557-8

(4) ad deprimendam in propria merita fiduciam.
consolatorius, §. CXXIV - CXXV.
) ad confirmandam spei & salutis

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM IENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS VICESIMVS

E RECENSIONE

b. IO. FRIDERICI COTTAE

THEOLOGI TVBINGENSIS.



TVBINGÆ
SVMTIBVS IO. GEORGII COTTÆ
MDCCLXXXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841236-p0559-3